COMMENTATIONES THEOLOGICAE.

EDIDERUNT

ERNEST. FRID. CAROL. ROSENMUELLER,
THEOL. D. ET LL. ORR. IN ACAD. LIPS. PROF. ORD.

GOTTLOB HENR. LUDOV. FULDNER,
PHIL. D. ET AA. LL. M., GYMN. ELECTOR. RINTELIENSIS CONRECTOR, SOC. HISTORICO-THEOL. LIPS. SOD. ORD.

ET

JOS. VALENT. DOMINIC. MAURER,
PHIL. D. ET AA. LL. M., SOCIET. HISTORICO-THEOLOG. LIPS. SOD. ORD.

TOMI PRIMI PARS PRIMA.

LIPSIAE,
PROSTAT APUD C. H. RECLAM.
MDCCCXXV.

BIBLIOTECA NAZIONALE "V.E. III" NAPOLI

LECTORIBUS
S.
EDITORES.

Quae selecta ex universa quadam disciplina seorsum tractantur argumenta, de iis plerumque subtilior est et accuratior disputatio. Quod quum in academicis aliisque, oblata nescio qua occasione scribendi, editis libellis fieri soleat, recte quidem a multis iudicari apparet, a quovis litterarum et amantissimo et studiosissimo manibus versandos adhibendosque esse maxime eiusmodi commentarios ad eruditionis subtilitatem acquirendam; impeditur autem eorum usus in primis eo, quod saepius parabiles non sunt. Ex utilitate communi itaque habendum est, si huius generis libelli in unum quasi corpus collecti eduntur; nec aliud nos spectabamus, quum huic negotio, ad res theologicas quod attinet, post alios operam impendere constitueremus, quam ut illa promoveretur. Quare et *gratis ac sine stipendio* provinciam istam

suscepimus. De instituti ratione pauca dicenda sunt. Primum opuscula, inter quae nonnulla ab ipsis venerandis auctoribus passim correcta et emendata prodiere, in iis locis posuimus, quos ex argumentorum rationibus occupare debebant. Inde hac primi tomi priori parte (quivis enim in duas partes distribuetur, quarum alteri rerum indices adiiciendos curabimus,) commentarii leguntur e genere exegetico; posteriori prodibunt theologico - historicae dissertationes. Deinde vero spectat nostrum consilium non tantum ad colligendas, quae antea editae sunt, commentationes; sed etiam in animo est, typis nondum exscriptas tomis deinceps emittendis edere, quarum auctores aequas conditiones habebunt, ut iamiam alio loco significavimus. Itaque viros doctos rogatos volumus, ut missas ad Reclamum, Lipsiensem bibliopolam honestissimum latinas dissertationes utrinsque generis, quod descripsimus, nobiscum communicare atque hoc modo institutum nostrum, quod ut ipsis probetur, vehementer optamus, adiuvare velint.

Observationes quaedam *de Pentateuchi quatuor librorum posteriorum auctore et editore*, commentatio critica.

Scripsit L. G. Herbst, Theol. Dr. et Prof. Ord. Tub. *)

§. 1.

Postquam variis iisque eruditissimis disputationibus extra dubium positum erat, sacrarum eandem fuisse sortem, quae fuit litterarum profanarum; ideoque illas ipsas vitiis quamplurimis per tot seculorum decursum variis de caussis depravatas esse; singularis exorta est disciplina, occupata ea in detegendis fontibus, unde promanarunt crebrae textus corruptiones, emendandisque locis, revera corruptis. Vocatur haec disciplina, quam omnes, quibus est aliqua historiae textus sacri notitia, summe necessariam habent, *critica verbalis* sive *therapeutica*. Quae vero *sublimior* dicitur, nostra aetate a plurimis maximo applausu accepta, quum, face illius tenebras, quibus obvolutae essent sacrae litterae, depelli, atque impedimenta, quae rectae interpretationi obsisterent, facili negotio removeri penitusque

*) Edita est haecce dissertatio ab auctore doctissimo pro summis in theologia honoribus consequendis Elvaci 1817. et excusa in nostra collectione paullo correctior.

dilui posse crederent; ab aliis tamen non minoris nominis hominibus oppugnata atque reiecta tanquam res, quae auctoritatem, sinceritatem et sanctitatem sacrae scripturae everteret, fontesque sacrae nostrae religionis in classem librorum gentilium referret: ea nata est ex arte critica verbali atque occupata non in singulis verbis et constructionibus, sed in integris libris diiudicandis eorumque indole exploranda. Hac itaque libri spurii et suppositi a genuinis discernuntur. At, uti fieri solet, tum patroni, tum adversarii, via, quae ducit ad veritatem, saepissime derelicta, in declivia delapsi sunt, reique, quam defendebant, invidiam crearunt. Patroni, critices suae altioris face freti, omnium fere antiquorum monumentorum sinceritatem in dubium vocare coeperunt; quamlibet propositionem, a genio seculi, quo conscriptus dicitur liber, quodammodo abhorrentem, pro argumento sat firmo habuerunt, ut totum librum abiudicarent scriptori, quem vel inscriptio vel subscriptio vel traditio nominat; et ita veterum testimonia, totius libri contextum et indolem non constituerunt iudicem, qui de authentia libri certa daret suffragia, sed suum quisque arbitrium. Adversarii contra, praeconceptis opinionibus irretiti, res sacras atque nonnisi metu quodam tractandas esse censebant, quae cum externam tantum formam librorum sacrorum constituant, iisdem abnoxiae sunt quaestionibus criticis, quibus quaecunque ab hominibus profecta, semper subfuere, semperque subfutura sunt; et ita, pertinaciter *inscriptioni* vel *traditioni* inhaerentes, *argumenti* veritatem subruebant, nomenque auctoris, quem operis ratio respiciebat, summo virium adnisu defendentes, in absurda delapsi non sentiebant, sacros libros ludibrio a se tradi.

Dubitari nequit, antiquissimis temporibus auctores libellis suis nomina virorum saepe inscripsisse, qui plures ante annos, egregiis factis dictisve clari, a posteris

celebrabantur, ut hisce libellis comitem quasi darent, cui benignum non denegatum iri hospitium sciebant. Quis nesciat, multos hymnos Orphei et Homeri, multas sententias Pythagorae nomine esse condecoratas? Certum deinde est, saepenumero operi cuidam adiectum esse nomen alius auctoris, cuius scripta genuina eiusdem fere erant argumenti; hoc modo orationem, quae inscribitur pro Marcello, Ciceroni supposuit antiquitas, si argumenta, quibus Cl. Wolfius innixus, huic orationi Ciceronianum nomen detraxit, satis sint idonea. Nemo ignorat denique, saepius factum esse, ut librarius, postquam scriptionem codicis cuiusdam ad finem perduxerat, vacuum tamen adhuc spatium in volumine reliquerat, priori novum, alius autem auctoris, codicem, pro magnitudine spatii residui adscriberet, indeque posteriori aetate, vel quia nomen auctoris secundi codicis iam tunc temporis vel serius omissum fuit, uterque codex eodem nomine veniret. His aliisque modis libri sunt interpolati.

Quod factum est in litteris profanis, fieri quoque potuit in litteris sacris. Ac primum quidem fieri potuit, ut, cum antiquissimis temporibus inopia supellectilis ad scribendum aptae, minori tantum mole prodirent opera, libello cuidam haud voluminoso sensim sensimque pro temporum hominumque ratione novi adscriberentur, qui secundum regulam „a potiori fit denominatio" nomine prioris accepto, eidem, qui illum confecerat, sunt attributi. Hoc modo Psalmi omnes Davidis, proverbia Salomonis nomine salutantur; sic plura prophetarum vaticinia, auctore haud nominato, quondam exstitisse contendunt viri docti, quae denique illustris cuiusdam vatis oraculis adiecta, ipsi quoque ceu auctori postmodum attributa sint. Deinde, cum illis temporibus non solenne esset rerum hebraearum scriptoribus, nomina sua historiis addere, hocque modo longiori tempore in manibus versarentur libri

auctoris ignoti, fieri potuit, ut illum ipsum aliquis scire cuperet nomenque adiiceret, quod vel mera coniectura, vel traditio quaedam obscura suppeditabat. Tum vero, cum editores veterum monumentorum saepius nomina eorum, quorum res gestas narrari videbant, libro inscriberent, evenit, ut posteri iisdem tanquam auctoribus monumenta adiudicarent. Sic quivis scit, Josuae, Samueli aliisque libros, qui eorum nomine veniunt, tanquam auctoribus esse vindicatos, quanquam res narrantur, quae demum post mortem ipsorum contigerunt *). Denique, haud incognitum fuisse morem Hebraeis, libris, ut maiori cum applausu acciperentur, nobilis cuiusdam viri nomen inscribendi, docet liber Kohelet **), caeteraque opera, quae Salomonis nomine ornata sunt.

Quae cum ita sint, non mirum est, quod, primum quidem velut summissa, recentiori autem aetate alta voce critici conclamarent, cum tot monumenta biblica spuria et supposititia essent, caetera quoque fraudis suspicione non esse immunia. Caveant autem illi, qui ita conclamant, ne criminum insimulent antiquitatem, virisque diem dicant, inscitiae posterorum dicendum. Non enim sunt spuria et supposititia sacra monumenta, quae a posteris ad auctores relata sunt, qui ea sibi nunquam vindicabant; non dolose ab impostoribus supposita, fraude ad nos pervenerunt; nunquam in mentem venit illius, qui librum Josuae vel Samuelis composuit, Josuae vel Samueli tanquam auctoribus assignare, quae eorum nomine venerunt; non culpandi sunt, qui Psalmos in unum corpus disposuerunt, dictaque sententiosa, quibus clarum fuisse Salomonem regem

*) Cf. Clerici Dissert. de scriptt. librr. hist. Vet. T. Commentar. suo praefixa.

**) Cf. Eichhornii Einl. ins A. T. Vol. III. §. 659.

famà fert, collegerunt, quod collectionibus suis nomina horum illustrium virorum praefigerent; posteri culpandi, qui opera integra iis quoque ceu auctoribus attribuerunt, culpandae opiniones praeconceptae, quae titulos et inscriptiones sanctos certosque habuerunt, et eum inter homines improbissimos retulerunt, qui de sinceritate, vel falsitate iudicium ferre, sibi sumeret. Nunquam sacrae litterae ex una parte adeo essent profanatae, ex altera parte tot obstacula rectae interpretationi obiecta, et hypotheses hypothesibus superstructae, nisi pro suo quisque arbitrio vocem ambiguam *authentiae* tam angustis circumscripsisset cancellis, veritatem sanctitatemque argumenti ab inscriptione vel subscriptione derivasset, falsissimamque opinionem fovisset, aequales esse inscriptiones librorum compositioni.

Procul ergo absit, ut eos, qui operam suam in discernendis veris a falsis collocant, sinistris oculis explodamus; modo nobis quoque concedatur facultas, argumenta, quae pro re sua in medium proferunt, sub examen vocandi, iisque, nisi firmissima sint et gravissima, assensum denegandi.

Mirum autem in modum id egere viri docti recentiori tempore, ut Mosaicorum operum habita ratione consensum ambiguum, famam fallacem redderent, antiquitatisque auctoritatem subverterent; mira fuit armorum varietas, quae e penu sua deprompserunt, ut argumenta, quae pro authentia Pentateuchi militare videbantur, profligarent, suisque de hac re opinionibus speciem veri darent. Dubio enim semel exorto de authentia Pentateuchi, necessario forma eius exterior, rerum, quas continet, dispositio attentius et ex omni parte pervestiganda et examinanda fuit; quam cum ab ea aliorum librorum differre viderent, de origine operis magis magisque dubitari coeptum est. Namque ut breviter rem exponam, fieri potuit, ut Israelitarum

quidam libros Pentateuchi conscriberet, iisque nomen Mosis praefigeret, quia huius res gestae referuntur, quemadmodum libri Josnae et Samuelis horum nomine veniunt, quia eorum facta praecipua enarrantur. Attamen haec sententia non habet multos patronos. Sunt qui legum et praeceptorum, quae hi libri continent, Mosen quidem auctorem faciant, narrationes vero rerum gestarum ab aliena manu adiectas suspicentur; abeunt autem in diversas partes, cum alii defendant, Mosen praecepta, quae suo nomine circumferuntur, in deserto condidisse eaque litteris exarasse; alii, ea tantummodo ore tenus tradidisse, alium vero postmodum scripsisse, et in istam collectionem redegisse; sunt denique, qui parvam tantummodo legum collectionem a Mose editam, caetera sensim sensimque cum parte historica adiecta, asserant; quae quidam sententia ingeniis huius aevi maxime arridet. Cum ita variae sint variorum sententiae, et cum nulla earum per se vana sit iudicanda; cum istae de re gravissima sententiae a viris profectae sint, qui tum summa eruditione spectatissimi, tum aeqnitatae iudicii celeberrimi, digni sunt, ut audiantur: optimum et ad veritatem utilissimum esse putamus, istas sententias iusto perlustrare, et argumenta, quibus innituntur, diligenti sed sedata mente pervestigare; eorum vim atque robur sedulo ter quaterque ponderare, tamdiu veteri sententiae adhaerentes, donec argumentis certissimis convicti, non assentiri non possimus, nisi mente captos nos profiteri voluerimus.

§. 2.

Plurima, quae constituunt libros Mosaicos, monumenta aliunde adscita et illata esse, ipsa operis indoles seu materiarum singularis plane dispositio innuere videtur. Huius enim operis materia non ita digesta sibique iuncta est, ut integrum inde continuumque opus

enatum sit; sed fragmentis constat, sive partibus, in se quidem absolutis, antecedentibus vero et subsequentibus nullo modo nexis. Hanc libri indolem obscurius quidem suspicati sunt viri docti superioris aevi; nostro autem tempore rei tanta affusa est lux, ut nullus dubitare posse videatur. Provinciam sibi sumpsit Vaterus rem pro sua, qua clarus est, eruditione, omni ex parte examinandi; idque tanta perfecit eruditione, mentis sagacitate, et quae maxime in his rebus laudanda est, iudicii aequitate, ut omnium calculo comprobaretur disputationis ab ipso institutae summa.

Quae cum ita sint, inde recte concludi posse duxerunt docti homines, non ab uno eodemque, sed pluribus auctoribus profectos esse libros Mosaicos; si enim (haec est argumentandi ratio) vir quidam doctus sese accingit ad librum quendam historicum componendum, hoc maxime curat, ut documenta, quibus utitur, accurate seligat, diligentissime disponat, omniaque ita iungat, ut prodeat opus integrum continuumque. Huiusmodi dispositionis autem in libris Mosaicis nullum fere reperitur vestigium; sunt enim documenta, quae res gestas referunt, sine ullo apto nexu mox aliis relationibus historicis, mox legibus cum inscriptionibus et subscriptionibus, ordine chronologico penitus neglecto, adiecta; hinc eaedem res, eaedem leges, quarum jam alio in loco fuit mentio, repetuntur; in his denique documentis dictionis, eiusdem rei denominationis tanta est et talis differentia, ut nullo pacto eidem auctori assignari possit Pentateuchus. Quis enim sibi persuaserit, Mosen, inclytum priscae aetatis legislatorem adeo ingenii viribus destitutum fuisse, ut res, quas *ipse* gesserat, quas *ipse* optime noverat; ut leges, quas ipse tulerat, hoc modo disponeret.

Gravis profecto magni viri criminatio! sed omnia mox facili negotio evanescent, quorum arguitur. Si hebraeae gentis scriptor, *eadem rerum negotiorumque*

conditione litteris mandasset suos libros, qua alia antiquitatis opera, quae vel integra, vel fragmentis ad tempora nostra pervenerunt, exorta esse scimus; *si eundem finem*, suas cum componeret paginas Moses, sibi proposuisset, quem graeci vel romani scriptores, suos cum conscriberent libellos, habuisse novimus; recta utique ista esset conclusio, primusque forem, qui de statu suo Mosen deiicerem, nomenque Mosaicum Pentateuchi libris detraherem. Sed tantum inter Mosen atque alios non hebraeae gentis scriptores interest, ut illum potius ignorantiae accusarem, qui eandem rerum dispositionem, limam perfectionemque in paginis Mosaicis quaereret, qua alia opera excellunt. Homines enim illi celebres, qui opera posteris tradiderunt, quorum tum argumentum, tum elegantiam styli, tum rerum ordinem admiramur, et quae libris hebraeis anteponenda omnes conveniunt, haud ita breve tempus fontibus excerpendis, excerptis elucubrandis limandisque dabant, atque alienis negotiis non distracti, continuum otium operamque istis studiis impendebant; Moses vero, ut Israelitas ad frugem reduceret, eorum in idololatriam propensos animos dirigeret, mentemque, superstitionis faecibus depressam, ad cultum sublimiorem amplexandum praepararet — his aliisque curis quasi obrutus eiusmodi otio ad scribendum haud gavisus est. Ponamus, ad componendas lites inter plebem obortas, adiutores sibi adiunxisse; quaenam adhuc negotiorum moles restabat! Quadraginta quidem annos in Arabiae deserto commoratum esse, sacra refert historia; quibus autem quantisque curis multitudo illa doceri flectique nescia, pacisque semper inimica vexavit eius animum; qui labores erant subeundi, ut infestae coercerentur Arabum catervae! Profecto mirum est, nostris temporibus abiudicari Mosi libros ea de caussa, quoniam fragmentis constant. Quam dissimile deinde est aevum Mosaicum istius, quo praeclara Graecorum opera

prodiere! Aegyptum si excipias, summa tunc temporis orbem terrarum opprimebat barbaries; nullus usquam litterarum cultus, nullus artium favor, innumeris obnoxia vinculis lingua, scribendi ars adolescens, scribendique cara supellex: nulla prorsus notitia, nullus usus, cogitationes conceptusque apte coniungendi, et materias bene disponendi. Singula si adhuc in manibus nostris versarentur illa vel graeci vel romani nominis scripta monumenta, quae ea antecedebant, quae nonnisi summo humanarum virium adnisu et exuberante quasi ingenii vigore nata sunt, plura forsan inter ea deprehenderemus, quorum compositionem minime laudaremus. Quo jure ergo illae dispositionis virtutes expectantur in opere, quod scriptum fama fert in summa artis inscitia?

Fac vero, otium Mosi fuisse, opus suum maxima cum cura componendi, fac, Mosen prae caeteris omnibus jam tunc temporis mentis facultatibus polluisse, ut omnibus numeris librum suum absolvere potuisset, aliter tamen non prodire potuerunt, quaecunque scripserat, quam fragmentis. Ipse sacer textus rem innuit. Quotiescunque enim in Pentateucho refertur, Mosen relationem quandam rei gestae scripsisse, sive id faceret sua sponte, sive altiori nutu impulsus, rem vel ipse gesserat, vel ei saltem intererat; non ergo, ut caeteri historici historiarum suppellectilem ad manum habebat paratam, quam pro lubitu, pro concesso sibi otio seligere et disponere poterat, sed suppeditabat argumenta temporis successus, quae non aliter disponere poterat, quam prout tempore se excipiebant, sensim, sensimque, frustatim; nec prius apte coniungi seorsim fragmenta scripta poterant, quam mors rebus ab eo gerendis finem faceret.

Tum multum interest inter *finem*, quem spectaverunt historici non hebraei, atque eum, quem spectavit Moses, suas cum conficeret historias; non stimulabat

eum gloriae spes, non suorum aviditas legendi. Quare non fuit in animo, opus edere absolutum, quod contineret historiam prolixiorem rerum *omnium*, quae ab exitu ex Aegypto usque ad occupationem terrae Canaaniticae contigerant; vel quod esset itinerarium a sinu arabico usque ad Jordanis ripas. Specimina tantum notare voluit singularia, quae divina providentia edidit, cum populum innumerabilem ab Aegyptiorum dira servitute liberaret, incolumemque per sterile desertum in terram, patribus promissam, duceret; ut nunquam non Hebraei Jehovae reminiscerentur, gratumque semper animum ipsi exhiberent. Hinc, more omnium gentium antiquarum, in sacro quodam loco, penes arcam nimirum foederis, scripta deposuit.

Nec alia fuit legum, quas Moses genti sibi creditae tradiderat, *origo*, nec alius earum inter se potest esse nexus; suum enim ut munus recte persequeretur, non in consilio esse potuit, systematicam legum collectionem in manus populi tam rudis tradere, sed ex temporis ratione pro singularibus populi necessitatibus iura legesque dare; hinc eandem saepe legislator legem repetiit, vel eandem paullulum immutavit, modo restringendo, modo accuratius definiendo, et indoli gentis magis conformando. Sunt denique haud paucae arctiori vinculo inter se iunctae; illae nimirum fere omnes, quibus non singularis quidam casus, sed longior maturiorque meditatio originem dedit, cuius generis sunt leges rituales maximam partem. Praecepta de sacrificiis in primis capitibus Levitici bene sunt collecta et rite disposita; subsequuntur additamenta quaedam, et quaecunque de immundis successu temporis fuere praecepta, in unam postmodum collectionem digesta, caeteris annexa sunt.

§. 3.

Quodsi in quibusdam fragmentis voces, dictiones seu locutiones rerumque denominationes deprehenderentur, quas in aliis frustra quaereres, quanquam iidem occurerent rerum conceptus — in stylo ergo eiusdem libri fragmenta differrent; iustior inde enasci videretur conclusio, pluribus tribuendam esse auctoribus operis compositionem; succresceret saltem suspicio, textui legitimo aliena quaedam esse adnexa. Cum enim ea sit humani ingenii vis atque natura, ut etiam is, qui praestantissimis animi dotibus praeditus est, in suis, quae componit, operibus, iisdem fere sibique plane solennibus utatur dictionibus et eodem quasi colore diversissimi argumenti libellos distinguat, quem quisque statim ab aliis dignoscit; cum haec sit, inquam, humani ingenii natura, nulla prorsus dubitationi locus esse potest, Pentateuchi fragmenta, si stylo inter se differant, non eiusdem esse auctoris, quia, quod hic maximi est momenti, eorum scriptio aevo tribuitur, quo ad rem quandam vocabulorum aliqua varietate exprimendam minime apta erat lingua.

At, si stylus Pentateuchi *generatim* spectatur, nulla usquam conspicienda praebetur oculis quoque acutissimis talis ac tanta discrepantia, quae arguat, aliena sinceris immixta esse. Eadem ubique est dictionum ratio, eadem ex notionibus theocraticis desumta auctoritas etc. Quis, haec cum ita sint, ex tribus vel quatuor vocibus, quae nonnisi in uno alterove fragmento occurrunt, colligeret, tantae molis opus, qualis est Pentateuchus, non unius esse ingenii? Fateor quidem, denominationem Dei *Elohim*, quae in posterioribus quoque Pentateuchi libris adhibetur, criticis et interpretibus negotium facessere; cum autem in libro Exodi voces אלהים et יהוה promiscue usurpentur, et

in illo insigni fragmento Num. 22 seq. historiam Bileami referente, praeter אלהים, quod nomen illi singulare esse videtur, יהוה quoque 24, 6, occurrat, sequitur, ab eodem auctore utramque vocem cognitam et adhibitam esse: — ex hac saltem diversitate contra sinceritatem textus nihil posse effici.

Non maioris ponderis est diversitas nominis eiusdem montis *Sinai*, qui in Deuteronomii libro *Horeb* vocatur; potuit enim fieri, ut mons iste duobus insigniretur nominibus, et nomine quidem Sinai a populis, qui in Aegypto et regionibus degebant ad sinum arabicum adiacentibus; Horeb autem ab illis, qui cacumen eius in terra Canaan terrisque vicinis conspiciebant. Ex vocibus denique שערים et בער, quae nonnisi in Deuteronomio leguntur, id tantum evincitur, annis circiter quadraginta elapsis eas usitatiores fuisse, vel, si id non concedas, duabus vocibus stylum operis tantae molis non immutari, cum plurimae adhuc supersint dictiones, quae Pentateucho propriae, omnibus tamen, quibus constat, partibus communes sunt.

§. 4.

A generalibus exorsi ad *specialia* progredimur. Et primum quidem id nobis datum est, ut, quantum fieri potest, Mosi sua vindicemus, quibus solis clarum nomen nactus est, quae vero doctissimi viri fere omnes, qui recentiori tempore suum de hac re iudicium ferebant, ei surripiebant, leges, inquam, et praecepta, quae in Arabiae desertis condidisse fertur. Magna enim vi contenditur, universam, paucis exceptis, legum collectionem Mosi esse abiudicandam, aevoque posteriori tribuendam; cum ut aiunt, antiquitatis genio, sanae rationi veritatique historicae prorsus repugnet, tot ac tales leges, ei populo, eo rerum statu traditas esse.

Cui enim, argumentantur, sanae mentis compoti, rerumque priscarum haud imperito arriserit sententia, populo adeo *rudi*, qui summa paupertate pressus, totque difficultatibus in Arabiae locis desersis errabat, leges datas esse *ita speciales*, cum tamen constet, leges omnes, si ad primam earum originem respexeris, *generales* tantummodo fuisse. Hanc sententiam clarissimorum virorum suffragiis ornatam scimus: sunt enim patroni Cl. Vaterus, de Wettius, Bertholdtus, imo Eckermannus, qui tam saepe magna eruditione pariter ac modestia animi indicia parum subacta refutavit. An illi patriae nostrae celebres homines, qui in evolvendis investigandisque veterum iuribus legumque collectionibus operam suam collocant, huic sententiae, *generaliter sumtae*, adstipulentur, nescio; ego quidem adstipulari non possum. Fieri quidem potuit, quod lubentissime concedo, hinc inde gentibus datas esse leges tantummodo *generales*: si enim miles atrox subito provincias invadit, armorum vi subigit, subditisque postmodum leges praeceptaque scribit, nonnisi *generales* istae leges esse possunt, cum singulae quaevis illorum necessitates, eorum indoles atque natura primis imperii annis principi non sint cognitae, talisque princeps fisci magis quam populi res curare soleat. — Paucas et generales esse leges, facile largiar, in republica, cuius civium ratio litteris artibusque ita est exculta, ut singulas quascunque actiones ad statuta generalia possint conformare; concedam denique, legislatorem prudentem, cuius est, plebem indocilem rudemque ad subliniorem culturam extollere, *primis annis* ingenium sui populi non obruere magna legum farragine, sed paucis tantum ab initio coercere, *specialibus* autem, mentis infirmitati aptis.

Quantum vero interest inter originem legum Mosaicarum eamque, quam modo posuimus! Monumenta antiquissima, quibus nunquam fides detrahi potuit, refe-

runt, Mosen ex Aegypto populum eduxisse hebraeum, ut eum regiminis theocratici, quo gubernanda esset Hebraeorum respublica, modum et rationem doceret, novoque adstringeret cultui, qui ab idololatriae et superstitionis faecibus immunis, tum sublimitate tum simplicitate cultum caeterarum gentium longe antecelleret; quadraginta annos in Arabiae praeruptis suam detinuisse plebem; praeparanda enim fuit antea plebs, generatio improba delenda, novaque procreanda soboles, ut sensim sensimque tristibus fatis et longinquitate temporis delinita, ad amplexandum cultum puriorem apta redderetur. Jam quaero, quot ad hanc rem leges praeceptaque ferre debuit dux summusque legislator, ut mores pravos populi excuteret, animum, tam longinqua diraque servitute depressum, erigeret, sensus indociles et hebetes acueret, ignaviam menti insitam, huic populo prae caeteris innatam, expelleret, eumque agriculturae, cui tanquam basi Hebraeorum respublica superstruenda esset, adsuefaceret! Quot legibus et *specialibus* quidem cavere debuit dux, qui novam docuerat religionem, ne mens prava, Deo iuvisibili spreto, Aegyptiaca desideraret idola, quae oculis cerni, manibusque palpari possent. Quot caerimoniis ritibusque sensus populi adeo ignari, adeo rudis capi oportuit, ut superstitionis gentilis oblitus, vera sublimioraque successu temporis de Jehova sentiret, in hostiarum suffitu et in sacerdotali splendore maiestatem et sanctitatem veri Dei suspicaretur! Quot specialium mandatorum habenis fraenanda fuit effera plebs, ne, quae per tot annos gravissimum servitutis iugum perpessa, sui non fuerat iuris, pretioso libertatis dono abuteretur.

Positum sit denique, ut omnia, quae nobis obiici possunt, expediamus, commenta fabulasque esse, quaecunque de legislatione, de singulari regiminis forma cultuque Jehovae per Mosen instaurato referuntur; modo id in concesso sit, quod nunquam in dubium

vocatum est, Mosen provinciam sibi sumsisse, populum suum in patriam reducendi, et quadraginta annos in Arabia commoratum esse; — an nullas condi oportuit leges, nullis coerceri praeceptis plebis libido; vel si ea plebs destituta erat omnibus, quae praecordia emolliunt ingeniumque excolunt, *generalia* quaedam sufficiebant statuta? an nunquam inter tot homines obortas esse lites, cogitaveris, an tale semper duci praestabant obsequium, ut nunquam admonendi, nunquam cohibendi essent? Quot, ut caetera praeteream, praecepta specialia dare debuit dux, ut per tot annos suum cuique tribueretur, ut in terra arida et ignota corpora curarentur, ne morbis exitialibus abriperentur homines? — Si rite sobrieque perpenderent, quicunque parte Pentateuchi *legislativa* Mosen exuunt, quam depravatae et praefractae fuerint res Hebraeorum, cum Aegypti solum relinquerent; quemnam dux sibi propositum habuerit finem, dum in patrias terras populares suos reduceret, tantoque temporis spatio in desertis inviis detineret; non ita de hac re iudicaturos fuisse reor, nec sententiae patrocinarentur, genti rudi, insciae et semibarbarae leges tantummodo *generales* traditas esse. Falsa est sententia, leges originetenus apud *omnes* populos *generales* fuisse, genioque antiquitatis contraria. Ex singularibus orta sunt generalia; en historiam priscae legislationis! Nullo non tempore ea, quae non accurate definita sed abstracta tantum erant, odit prisca aetas, improbavit Oriens. Non firma sunt ergo argumenta, ex quibus *universae* parti legislativae Mosaicum nomen detrahitur: — sed nec firmiora sunt ea, quibus singularium quarumdam legum compositio in tempora seriora reiicitur.

§. 5.

a.) Inter primas, quae recentiori tempore Mosi abiudicantur, leges, referenda est lex Deut 19, 14. Prohibentur Israelitae, ne removeant terminos, quos posuerunt רִאשֹׁנִים, tempore ergo hoc praeceptum datum est, quo terra Canaan per plures iam annos occupata et divisa erat, quoniam illi, qui terminos posuerunt, רִאשֹׁנִים vocantur, patres, maiores, quibus successerunt ii, qui a remotione terminorum arcentur: adeoque ultro se offert observatio, Mosen huius legis auctorem esse non posse, quia, ante occupationem Palaestinae morte abreptus, eos *maiores* vocare non potuit, qui demum *post eius tempora* partiti sunt occupatas terras certis limitibus: sic nisi fallor, plures de hoc praecepto iudicant.

Huic autem sententiae subscribere non possum; primum enim hic bene notandum, Mosen, si summi legislatoris munia pro virili obibat, multa dedisse praecepta, quae non tantum res, prouti in castris, in itineris vexationibus sese offerebant, moderarentur, sed quae futurae reipublicae inservirent, nullis inde vicissitudinibus obnoxia, semperque valitura; in quibus, sicuti in caeteris quoque fieri solet, multa erant *supponenda*, quae nonnisi *post* occupatam Palaestinam evenire legumque moderamini subesse poterant. In hunc censum si referas legem Deut. 19, 14. solvitur eius difficultas. Mosi quidem non contigit Palaestinam occupare et inter suum populum distribuere; versabatur autem eius occupatio et inter tribus distributio ita ante oculos dies noctesque, et ita in votis erat felix possessio vitaque suorum placata, ut iustis quibusdam praeceptis consulendum huic rei et prospiciendum censeret, perinde ac si iam esset peracta. Erat haec possessio terrae patribus promissae, faustusque in ea rerum status assidua magni viri cogitatio meditatioque; finis erat,

quem intendisse scimus, cum populum suum per Arabiae deserta duceret. Procul ergo absit, ut legem Mosi surripiamus, quae tam clarum nobis exhibet documentum summae mentis eius providentiae, maximaeque eius auctoritatis, cum ille tantum cavere potuit, ne, divisione per Iosuam eiusque successores facta, Hebraei, patrum voluntate neglecta, praestantissimarum terrarum prava habendi cupidine se indignos redderent. Omne denique dubium tollit textus, qui verba praecepti subsequitur: *in possessione tua* etc. *quam possidebis in terra, quam Dominus Deus tuus dabit tibi posisdendam*: quae verba nonnisi ab eo profecta sunt, qui Israelitis praeerat, *anteqûam* terrae, de qua hic fit mentio, potiti essent.

b.) Ab aliena manu posteriori tempore textui Mosaico illata habetur lex Deut. 17, 14. de electione et officio regis. Primum enim regiminis forma theocratica, quam Moses instituerat, respuere videtur dignitatem et potestatem *regiam;* dein Samuel caeterique sacerdotes precibus Hebraeorum, cum regem peterent, non adeo restitissent, si lege Mosaica *comprobata* fuisset regia potestas. Moses ergo legis non esse potest auctor, qua theocratia subruebatur, et quam postmodum sacerdotes non cognoscebant. Conferamus sobrie textum, qui hanc legem complectitur: *cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam*, habitaverisque in illa, et dixeris: (ואמרת cogitaveris) *constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes:* eum constitues etc. Ex formula: *cum ingressus fueris — dabit tibi — habitaveris*, legibus illis communi, quae res hebraeorum post occupatam Palaestinam respiciunt, patet, legem hanc datam esse, cum adhuc in castris detineretur legislator. Ex verbis autem: *si dixeris* (cogitaveris) *constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes*, patet, illum qui

hanc dedit legem, rem supposuisse, *quam nunquam fieri exoptabat*, et, ut cum Clerico loquar, praemonuisse, quid fieri oporteret, si id contingeret, quod, *ne contingeret*, metuebat. Non comprobatur a legislatore regia potestas, sed cavetur, ne id, quod prohiberi non amplius poterat, damno esset. Quem autem magis haec lex ad salutem populi pertinens decuit, quam Mosen, qui in omnibus, quae praeceperat, clarissima summae mentis edidit specimina? qui ipse in aula regia adultus noverat tyrannidem ex eaque in res subditorum redundantia mala. Moses, qui gentis suae mentem mobilem, et indomitum sane pruritum, exterarum gentium mores consuetudinesque aemulandi noverat, suspicari poterat, Israelitas rege invisibili, per sacerdotes tantum et Levitas adeundo, non contentos, regem petituros esse, quem oculis suis cernere, quem precibus suis adire, quem exercitibus praeficere, quem regio splendore induere possent. Sane, cui minus providens est animus, haec praevidere potuit. Iam cum hanc rem prohibere non posset, concessit eam, (legislatoris prudentis instar, qui cum legem quandam non observatum iri scit, satius ducit eam tollere, quam caeterarum auctoritatem infringere;) certisque coercuit limitibus, ne, si contigisset, genti exitio foret. Samuel ergo precibus non ideo restitit, cum regem peterent Israelitae, quod haec lex non nota, vel theocratiae Mosaicae contraria erat potestas regia, sed quia sciebat, Mosen tantummodo concessisse, ut maiora inhiberentur mala. Tandem precibus annuit, quod lege iam Moses abusum praescidisset.

c.) Praeceptorum de oppidis asyli Num. 35, 9. Deut. 19, 1—14. uni vel alteri Mosaicum nomen plures detrahunt. Nam iuxta textum libri Deuteronomii iubet Moses, ut tria in terra Canaan oppida asyli seligantur, his tamen adiectis verbis, ut tribus illis oppidis, si Iova terminos ampliaverit, *alia tria addantur; in*

libro autem Numerorum, qui tamen libro Deut. prior tempore exaratus habetur, de tribus oppidis nulla fit mentio, sed sine clausula sex oppida seligi iubentur. Negotium facessit, non nego, haec legum discrepantia criticis: non tamen concesserim, hanc ob rem ex textu Mosaico unam vel alteram tanquam spuriam esse deiiciendam. Moses cum nosset, se abolere non posse antiquissimum morem, Arabibus quoque aliisque gentibus solennem, quo ex cognatione proximus (Goel) teneretur, caedem quocunque modo ulcisci, satius duxit, praecepto conservare innocentem, qui nimirum per imprudentiam, casu, alium occidisset, et in hunc finem tria oppida seligenda curavit, ad quae homicidae innocentes perfugerent. Lex scripta, sicut caeterae penes arcam deponebatur. Quum autem Moses inter tribus Ruben, Gad et dimidium Manassis terram cis Iordanem distribuere coactus esset, caeterasque turbas ingentes Hebraeorum, qui inhabitaturi essent provincias trans Iordanem, vidisset, tria alia asyli oppida homicidis patefecit, ut et in ditionibus cis Iordanem moris rigor praecepto salubri mitigaretur. Novam legem ea de re ferebat dux, qua prior rebus ita ferentibus immutata et accuratius definita est. Cum postmodum scripta Mosis colligerentur, incuria editorum lex posterior libro Numerorum inserebatur, et priori, cum pius quidam Israelita alteri repugnantem videret, clausulam „si autem ampliaverit" adiecit, quae proinde in textum irrepsit.

d.) Quae de lepra variisque ritibus mundationis Lev. 13—15. leguntur, aliunde adscita et aevo seriore immissa esse, contendunt viri docti. Quis enim, aiunt, sibi persuaserit, tam *prolixum* praeceptum iam Mosis tempore de hoc morbo extitisse? Tantum abest autem, ut praeceptum, eo quod tam prolixum est, suspicionem mihi moveat, ut maiori vi id Mosi attribuendum censeam. Nemo negat, veram naturam, varias species

atque indicia morbi huius exitialis, et quae efficax est ad eum pellendum medicina, nonnisi in eius patria recte cognosci posse; est autem leprae patria Asiae plaga meridionalis et Aegyptus. Hinc Hebraei, qui per plura secula in Aegypto degebant, optime eam cognoscere poterant, cum tristi lue tangerentur et ipsi, eamque in desertum patriosque fines deportarent. Constat porro, antiquis temporibus scientiam, morbos aptis medicaminibus depellendi, penes eos fuisse, qui sacra faciebant; iam cum Moses in aula adolesceret, sacerdotibus aegyptiacis adiunctus, omnes, quibus illi tum temporis clari erant, cognoscere potuit artes; potuit igitur et lepram cognoscere scientiamque remediorum, quae ad eam auferendam adhibebantur. Haec cum nulli sint dubio obnoxia, an suspectum esse potest praeceptum de lepra eiusque medicina? Nonne decet legislatorem summumque ducem, qui populum suum sospitem incolumemque vult, summa mentis attentione removere omnia, quae corporis sanitatem tollunt? Quis nisi Moses, cui frequens erat occasio morbum observandi, remedia in aula cognoscendi, characteres leprae, quibus ab aliis distinguitur morbis, accurate definire poterat, ut terror inanis iis excuteretur, qui vera non inficiati essent lepra, et a caeteris separarentur, quos inficiatos esse nullum ultra erat dubium? Cuiusnam nisi supremi legislatoris erat, summa animi providentia curare, ut lethalis tabis suppримeretur ortus, inhiberetur progressus; ut inficiatis omnibus, quae in promptu erant, mediis, pristina sanitas restitueretur. Non minus decuit instauratorem cultus, mundationum ritus suis iniungere, cum lutrationes ubivis non minimam constituerent partem prisci cultus.

Quod autem ad ambitum istorum attinet praeceptorum, bene est notandum, singulas partes, quibus constat collectio, non simul eodemque tempore litteris esse signatas, sibique *iunctas*. Longo tempore *singula ista*

praecepta non inter se iuncta in manibus versabantur sacerdotum, donec postmodum ab aliquo collecta, et disposita prodibant.

e.) Ut argumenta levioris momenti, quibus leges Exod. 20—23. Lev. 19, 23—25. Lev. 25. impugnantur, praeteream, ea tantummodo adhuc in examen revocanda censui, quo relationem de tabernaculi foederis exstructione suspectam et dubiam reddere videntur. Obiiciunt enim, populum, qui tantis molestiis, vitaeque angustiis oppressus funestisque iactatus periculis, Aegypti fines reliquisset, sinumque arabicum transiisset; populum, qui toties de fame conquestus esset, toties seditione furens, obsequium duci genegasset, *eam materiem, eiusque pretii supellectilem tanta abundantia possidere non potuisse, quam ad exstruendum sacrum tentorium adhibitam esse relatum sit.* Haec viri docti.

Me iudice haec argumentandi ratio non est iusta atque vera; ex molestiis, angustiis et periculis, quibus agitatur gens, quaecunque sit, et ex animo seditionis amante pacemque exoso ad abundantiam vel defectum materiae, quae ad exstruendum quid necessaria est, nulla valet conclusio: quae enim inter pericula itineris, mentem flecti nesciam — et inter materiem intercedit coniunctio? Non perspici potest, quare gens peregrina, cui migranti varia obstant impedimenta, neque ob pravitatem menti insitam novus rerum status arridet; quae et libertatem quamvis maximis periculis vindicatam, ferendo adhuc impar est, — possidere non possit aurum, argentum, ligna, lapides pretiosos aliamque hoc genus supellectilem. Quod famem attinet, de qua questi sunt Hebraei, notandum est, eos potius conquestos esse de defectu ollarum carnium, quibus in Aegypto assederant, quam de victus penuria; sed largiamur, saepe factum fuisse, ut victus penuria in summas sint redacti angustias, quid inde? aurum, argen-

tum lapidesque pretiosos ipsis defuisse? non video. Nemo facile negaverit, fieri potuisse, ut in desertis, qualia sunt Arabiae, quae pecorum gregibus vix alimenta suppeditant, vexarentur, iis destituti, quae ad vitam sustentandam sunt necessaria; ex hoc autem conclusionem enasci, metalla et textilia aeque atque esculenta non adfuisse, nemo concesserit. Nostris diebus saepe fit, ut mercatores, si per deserta loca iter faciunt, ob penuriam victus, defectum aquarum etc. in maximis versentur discriminibus; unde merces quoque *non esculentas* ipsis defuisse minime sequitur.

Maior vis obiectioni inesse videtur, si quaeritur, *quo pacto* fieri potuerit, ut genti, quae tot annis gravissima tyrannidis iuga perpessa, servilibus operibus, v. c. lateres coquendo, stipulas convectando etc. intenta, vitam agebat, cui nullum cum aliis gentibus commercium erat, et quae praeter greges nihil possidebat, tanta fuerit auri, argenti, praestantiumque textilium penus? Removebimus et hanc difficultatem. Satis patet ex testimoniis certis, Aegyptum iam ante tempora Mosis auro, argento aliisque rebus pretiosis abundasse, quae non, ut in Asiae provinciis, cumulabantur in regum satraparumque aerariis, summa egestate pressis subditis, sed quae inter omnes distributa erant incolas: quem latet, quot auri pondera frumenti mercatura atque textura, qua omnes tunc temporis gentes antecellebant Nili accolae *), ex Aethiopia advectaverit? Ab Aegyptiis autem largam vasorum aureorum, argenteorum vestiumque copiam accepisse Hebraeos, tradit historia **). Speciem porro probabilitatis prae se fert sententia, Hebraeos temporibus prioribus, cum res ipsorum adhuc essent secundae, varias accepisse merces

---

*) Herod. III.

**) Exod. 3, 22. cf. 11, 2; 12, 36.

pretiosas rerum permutatione; habebant enim innumeros greges, quorum lac, vellera, carnes etc. Nili accolis erant necessaria; iisdem pene temporibus multos Hebraeorum ab Aegyptiis artem texendi etc. didicisse, quis negaverit, cum quilibet infimae sotis homo texendi artem profitebatur. Intercesserat denique procul dubio commercium quoddam inter Israelitas Arabesque Sabaeos, qui metallis divites multis quoque artibus erant conspicui; intercesserat commercium, quod tanta praestantissimorum aromatum, ad cultum divinum necessariorum copia nonnisi ex Sabaea, Casiae, Myrhae etc. patria, advectari potuit.

Argumentum ex eo petitum, quod tempore posteriori, regnantibus Davide et Salomone, artifices et architecti ex Phoenicia fuerint adsciti, nullius est ponderis, et nullo modo efficit, ut dubitemus, an unquam Hebraei euismodi tentorium habuerint. Quantum enim interest inter exstructionem magnificorum et amplorum *palatiorum templorumque* atque exstructionem tentorii, templi portatilis, quod ab aliis quibuscunque tentoriis nonnisi maiori quadam magnificentia, amplitudine et soliditate distinctum erat. Si reges Persarum magna aedificia exstruenda curabant, architectos Bactrios adsciebant; nemo vero inde coniecerit, Persas penitus fuisse rudes artis, aedificia minoris molis et tentoria fabricandi.

§. 6.

Eodem modo difficultatem expediemus, quam multi in eo sitam esse opinantur, quod plurimae leges in Pentateucho contentae, ab Israelitis non fuerint observatae; ex hoc enim, aiunt, colligendum esse, eas non fuisse cognitas, adeoque a Mose non traditas *). Si

*) Vaterus l. c, §. 78. pag. 662.

generaliter haec accipitur conclusio, falsa est. Largior, caeteras antiquitatis gentes non neglexisse leges *recens* acceptas, demumque post multos annos sensim sensimque earum oblitas esse; Hebraeos antem primis post Mosen seculis fere omnia aprevisse mandata Mosaica, et demum post decem circiter secula strictissime ea observasse. At quaenam fuit gens Hebraeorum, si cum aliis eam conferas! Animo servitute et superstitione penitus depresso, cultum amplecti cogebatur, cui nunqnam antea addicta erat; Deum colebat, qnem nonnisi nomine ab aliis caeterarnm gentium nnminibns distinctum credebat; regiminis forma, cui se adsuefaciebat, nnnqnam ante cognita, omnem prorsus priorem vitae conditionem immutabat, priores consnetudines, mores, ritnsque deturbabat; armorumque strepitus, quo terram peregrinam occupabat, omnino mentem depravabat. Quid mirum ergo, quod iam primis post legislationem annis, praeceptorum obliti sint, quornm utilitatem nunquam perceperant? Si ea est omnium legum sors, ut earum praestantia finisque optimus ab hominibus, quorum mens ratioque non adhnc est exculta, sensnumqne potestate depressa, non capiatnr; quid mirum, quod praecepta Mosaica ab Israelitis, qui telluris opimas segetes otiumqne ignavum pro finibus honorum habebant, tanquam onus molestum spreta sint?

§. 7.

His ita expositis ii adhuc nobis audiendi sunt, qui aeque toti occupati sunt in eo, ut Mosi sna vindicent, ipsumque contra varias criminationes defendant. Horum antem rationes eo accuratius diiudicandas censemus, cum maiorem rei invidiam creare soleant, si leves sint vel falsae, quam gravissimae et vehementissimae adversariorum obiectiones.

Ut a generalibus ordiamur, primnm circumspiciamus argnmentum pro librorum Mosaicorum auctoritate

ex eo petitum, quod *res, quas Pentateuchus complectitur, omni aetate publice fuerint serioribus Hebraeorum scriptoribus notae.* Nam cum forma reipublicae et ecclesiae ad normam in Pentateucho scriptam sit ininstituta; leges politicae et religiosae, quae nullo non tempore vigebant, in Pentateucho traditae deprehendantur; cum per omnia secula occurrant testimonia innumera, quibus publica notitia omnium, quae in Pentateucho leguntur, abunde comprobetur; cum in omnibus libris respiciatur ad historiam non minus quam ad leges Pentateuchi; cum in libris historicis perpetuo laudentur, quae libris Mosaicis consentanea, et arguantur, quae contraria eis acta sunt; cum Psalmi et proverbia spirent indolem Pentateuchi; prophetae perpetuo urgeant obsequium legibus praestandum etc. dubitari sane non potest, argumentum Pentateuchi omni aetate fuisse notum. Huic sententiae prae caeteris patrocinantur recentiori tempore duo viri doctissimi; *Jahnius* *) in his rebus versatissimus, et in iis, quae ad Archaeologiam biblicam spectant, vir plane singularis et unicus; et *Fritzschius* **), tum eruditione, tum animi modestia clarissimus. Cum a talibus viris tam speciosum prolatum sit pro libris Mosaicis argumentum, liceat nobis ex omni parte vim eius atque momentum in examen vocare et ea, quae inde recte concludi posse videntur, explicare, adiunctis quae calculo nostro non comprobantur.

Nemo, qui unquam sacrum V. T. codicem accuratius perlustravit, in libris seriori tempore conscriptis

---

*) Introd. in V. T. pag. 209. in Introd. germ. Part. II. Sect. I. §. 5. pag. 26 sq.

**) In opere, cui titulus: Prüfung der Gründe, mit welcher neuerlich die Aechtheit der Bücher Mosis bestritten worden ist.

mentionem fieri variarum in libris Mosaicis relatarum rerum negabit. Inde concludi potest, res illas semper notas fuisse, v. c. virum quondam nobilem Israelitas ab Aegyptiis servitute detentos liberasse hisce vinculis, atque duxisse per desertas Arabiae regiones; deum populo illi in isto itinere multa beneficia praestitisse; horum vero oblitam ad numina aliarum gentium colenda deflexisse Hebraeam. Testatur quaevis fere pagina, singularem plane religionem ac reipublicae formam apud Hebraeos fuisse, fundatam illam singularibus praeceptis et legibus.

Attamen ex hisce pro aetate et auctore librorum Pentateuchi posteriorum certam rationem peti posse, negari debet. Facta enim quod attinet historica, quorum in recentioribus Hebraeorum libris fit mentio, nonne fieri potuit, ut ex aliis fontibus, quam ex Pentateucho, haurirentur? Quot scriptores posterioris aevi ad manus habebant monumenta scripta, cum iam in libro Iosuae imo Pentateuchi quaedam commemorantur? Quot suppeditabant iis materias prisca carmina, genealogiae etc. quot suggerebat traditionis fons largifluus, qui tunc temporis tanti adhuc erat momenti? Nonne fieri potuit, ut librorum Mosaicorum auctor ex iisdem fontibus suas hauriret historias, ex quibus caeteri hauserunt? Bene denique est observandum, in *quibus* libris rerum fiat mentio, quae ex Pentateucho exscriptae putantur; nam paucos si excipias, caeteri post tempora exilii aut scripti aut compositi sunt; eo autem tempore Pentateuchum iam extitisse, non negant adversarii. Si denique in libris loci allegantur, qui ad litteram ex Pentateucho exscripti sunt, ex iis quidem sequitur, adfuisse singula fragmenta; totum autem Pentateuchum habuisse illos scriptores, inde non recte concluditur.

Quanquam vero ex eo, quod argumentum Pentateuchi omni aetate publice fuerit notum, non evincitur, libros eius posteriores a Mose scriptos vel editos

esse; aliud tamen inde proficiscitur argumentum haud minoris pretii, nimirum, si non pro aetate et nomine auctoris, *certe pro veritate, sinceritate et antiquitate eorum*, quae in libris Mosaicis continentur. Quum enim quaevis hebraeorum librorum pagina de singulari Hebraeorum cultu sacro et regiminis forma certiores nos reddat; quum rituum, morum et consuetudinum, legum et praeceptorum faciat mentionem, quae universa gens observabat, et quae in aliis terris frustra quaesieris; necessario ad natales huius reipublicae ascendimus quaerentes, quaenam eius fuerit origo, et quisnam genitor illi et auctor, qui tanta fuit sapientia consilioque conspicuus, ut divina quasi auctoritate inter suos valeret. Quum omnes scriptores uno ore Mosen eum fuisse asserant, qui tanto animi consilio, tanta apud Hebraeos fuerit auctoritate; et quum, si quid unquam relatum fuerit, de cuius fide dubitare nefas esset, certe quae tradita sunt de Mose, eum reipublicae hebraeae originem dedisse aptis legibus sancitis; cultum instaurasse sublimiorem etc. minime in dubium vocari possint: *quae veritatis, sinceritatis et auctoritatis documenta liber continet*, qui de industria et prolixe ea refert, quae in aliis scriptis de origine et fatis patrum obiter tantum perstringuntur, et ita quidem refert, ut relationes eius et caeterorum monumentorum de eo, quod rei caput est, penitus inter se congruant, de adiunctis non dissideant? Quidnam fidei singulis propositionibus, quae de *auctore* illius libri quid edicunt, accedere debet? Quidnam, ut rem expediam, fidei accedere debet *locis tum librorum Mosaicorum*, quae de auctore suo aliquid edisserunt, tum librorum caeterorum, qui libros Mosaicos *citant, et nomine auctoris citant?*

Atque hoc modo argumentum, ex eo petitum, quod res, quae in Pentateucho continentur, semper fuerint notae, per se si spectetur, et in medium proferatur, invalidum, — cum aliis coniunctum, firmam

constituere potest basin, cui librorum Pentateuchi auctoritas innititur, et ex qua tum eorum aetas tum nomen auctoris deduci potest.

§. 8.

Bene hoc sensit Cl. Iahnius; quare §. 6. addidit: argumentum Pentateuchi omni aetate nomine legis Iehovae: §. 7. tanquam lex Mosis et §. 8. tanquam liber Mosis fuit notum. Et profecto, quivis, qui perlustrat sacras litteras aevo Mosaico recentiores, videt, quanquam nullo in loco sacri scriptores distincte aliquid vel de existentia Pentateuchi tanquam *totius* operis, vel de eius auctore dicant, saepius tamen ad monumenta quaedam ceu fontes antiquiores recurri eosque iisdem nominibus insigniri, quibus Pentateuchum, vel saltem partes quasdam insignitas legimus: sunt enim nomina ספר תרת משה, ספר התרה, תורת יהוה, התורה, Et cum, ut Iahnius contendit §. 4. haec nomina non usurpentur de legibus non scriptis, aut de solis legibus, sed de toto argumento horum librorum una cum rebus gestis, quae non modo in Genesi, Exodo, Levitico et Numeris, sed in ipso quoque Deuteronomio memorantur, dubium esse non potest, in caeteris quoque libris eadem nomina eodem significatu capienda esse, adeoque omni aetate ab Hebraeis scriptoribus *totum Pentateuchum tanquam opus Mosis cognitum fuisse.* Huic autem sententiae Clarissimi viri plura obstant; nam etsi concedatur, illis nominibus *totum* Pentateuchum cum omnibus suis partibus comprehendi, obiici tamen potest, eam ob caussam hunc librum *legem Mosis* vocari, quod res, quas Moses gesserat, et leges quasdam, quas oretenus tradiderat, in eo referantur, quemadmodum libris posterioribus Iosuae, Samuelis, Tobiae, Iudith, Estheris nomina praefixa sunt; — vel quia maior pars praeceptorum a Mose profecta sit,

quemadmodum Psalmorum, Proverbiorum, quorumdam vaticiniorum collectiones Davidis, Salomonis, quorumdam prophetarum illustrium nomine sint condecoratae. Sed his aliisque huius generis obiectionibus merito supersedere possumus, cum alia et maioris quidem ponderis exoritur quaestio, quae propius ad rem spectare videtur; scilicet quonam vox saue singularis תורה in libris Mosaicis et quonam in caeteris capiatur significatu.

In genere vox תורה (a. v. ירה hiph. instituere, informare, docere), significat institutionem, mandatum, legem; et hoc significatu multis in locis s. scripturae occurrit: hinc inde designat *ritum*, modum (aliquid agendi) ut Exod. 12, 49. ubi Moses iubet, ut agnus paschalis iuxta eundem ritum (תורה אחת) ab indigena et peregrino, qui circumcisus est, comedatur; Lev. 7, 7. ubi dicitur תורה אחת i. e. parem rationem esse sacrificii piacularis et pro delicto; Num. 15, 16. in quo loco vox תורה eodem fere significatu capitur ac חוק V. 15. nimirum significatu *instituti*, *ritus*, *modi*; vult enim legislator, ut sit *idem ritus* tum indigenis, tum peregrinis in offerendis sacrificiis; et V. 16. una lex (eadem ratio) et idem ius Israelitis et peregrinis. Saepissime vero significat תורה *legem*, *praeceptum* sive rituale, sive morale, et *singulare* tantum designat Lev. 6, 2. 7. 18; 7, 1. 11. 37; 11, 46; 12, 7; 13, 59; 14, 2. 32. 54. 57. Num. 11, 46; 5, 29; 15; 32; 19, 2. 14; 31, 21. Deut. 1, 5. *Collectionem* denique maiorem vel minorem praeceptorum significat Exod. 24, 12. Deut. 4, 8. 44; 27, 3. 8. Voce תורה Deut. 17, 18. ubi Moses praecipit, ut rex Iraelitarum *legem* sibi describat, eamque nullo non tempore vitae suae meditetur et legat, omnes libros Mosaicos intelligendos esse multi contendunt; quam quidem sententiam nostram facere non possumus; nam primo tunc temporis, cum Moses hanc legem ferret, totus Pentateuchus nondum extitit; subsequebantur enim hanc legem de officiis re-

gis successu temporis aliae quam plurimae, quae a Cap. 18. usque ad finem operis recensentur; porro adpositum nomini תורה pronomen demonstrativum *hanc* satis innuit, de *singulari* praecepto, in fragmento 17, 14—20. contento, et ad regem solum spectante esse sermonem: deinde תורה h. l. idem est ac חוק et מצוה quae de libro seu de collectione historiarum nunquam usurpantur; regi denique inculcatur, ut *ab hac lege* in neutram partem deflectat, sed omnes suas actiones ad *eam* conformet, ex quo sponte sequitur, hic nullam de legibus ritualibus aliisque ad sacerdotes tantum, non ad regem spectantibus mentionem fieri.

Non multis demonstrandum erit, vocabulum תורה cap. 27, 8. de toto Pentateucho capi non posse: nam, cum ibi legislator iubeat, ut traiecto Iordanis flumine haec תורה insculpatur lapidibus calce obductis, (mandatum hoc Iosua fideli cura persequutus est, legemque *duodecim* lapidibus inscribi iussit) nemini, qui artis sculpendi aliquam habet notitiam, in mentem venerit, vel omnes libros Mosaicos, vel, ut quidam volunt, Deuteronomium, — sed singularium tantum praeceptorum parvae molis collectionem lapidibus potuisse inscribi.

Idem tandem de voce תורה Cap. 27, 26; 29, 29. statuendum esse nullatenus dubito, cum pronomen demonstrativum *haec* et mandatum, ut *observentur* omnia verba legis huius, satis indicent, de fragmentis mere *legislativis* תורה accipiendum esse.

Sunt tamen loca quaedam, in quibus vox תורה latiori significatu capienda esse videtur, nimirum Deut. 28, 58. 61; 29, 20. 26. Die quodam solenni ad se convocatis Israelitarum senioribus edixit Moses, omnem populum sacrum Deo suo factum esse; quare omnes lubenti animo praecepta et statuta eius observarent, quae ipsis traderet et *iam* iniungeret. Subsequuntur itaque omnia a. V. proximo praecepta et statuta, quae

V. antecedente se iniunctorum dux promiserat, frequenter adiectis varii generis plagis, quibus multandi essent, si leges has neglexerint, bonisque promissis, si observaverint, usque ad Cap. 28, 58. ubi Moses: Nisi diligenter obtemperaveritis omnibus verbis *legis huius*, in *hoc* volumine scriptis, omnibus plagis punientur posteri vestri; imo morbis et plagis V. 61. quae non nominatae sunt *in hoc* ספר *huius legis*.

Si nunc ad interpretationem vocum ספר et תורה animum adverto, et, ut interpretem decet, scopum auctoris, orationis contextum, ogitatorum seriem, rerum adiuncta, vocumque obvium significatum perpendo, alium sensum vocis ספר exsculpere non possum, quam quem exhibet trita nominis significatio, scilicet *voluminis* singularis, quod solenni illa die in manibus habuit Moses, cum Israelitis illa praecepta praelegeret, et תורה aliam legum collectionem designare nequit, quam illarum, quas huic volumini inscriptas solenni illo die coram populo recitaverat; nam caetera innumera volumina, quibus ante hunc diem statuta sua inscripserat, in adyto sacri tentorii deposita iacebant. Et si legislator eodem orationis contextu omnes morbos et plagas *in hoc libro legis non nominatas* a Iehova immissum iri comminatur, simplicissima inde promanat conclusio, quaedam morborum plagarumque *genera esse nominata in hoc volumine*, sive in hoc fragmento; et ecce! nominata sunt trucida morborum genera V. 21. 22. Cf. V. 27. 28. Hinc non recurrere possumus ad alios libros Pentateuchi, ubi quidem saepissime varia morborum genera commemorantur, illorum autem h. l. non fit mentio, ad quos depellendos tot statuta sanciverat legislator, sed eorum, quos in oratione ad Hebraeos habita comminatus est.

Eandem esse rationem vocis תורה Deut. 29, 20. 26. superfluum duco pluribus docere.

Nullus ergo in libris Mosaicis exstat locus, ubi vox תורה de toto usurpatur opere; et omnia vana sunt, quae ex illa depromuntur pro auctoritate vel pro aevo librorum Pentateuchi, argumenta. Hinc ad eos progredimur sacrae scripturae libros, qui post aetatem Mosis exarati huius *libri legis* mentionem faciunt.

§ 9.

Saepissime quidem in libris Hebraeorum tum historicis tum poëticis vocabulum תורה occurrit, cum vero singularum eius significationum recensiones parum lucis argumento nostro adferre possunt, iis omnibus posthabitis, consultius esse videtur, ea tantummodo loca in examen nostrum vocare, in quibus תורה non tantum ab iis, qui omnes Pentateuchi libros ad Mosen referunt, sed qui maiori parti Mosaicum nomen detrahunt, pro integro habetur opere, quod nos modo Pentateuchum appellamus.

Ac primus quidem locus, qui huc in censum venit, est Neh. 10, 36. quem hic allegasse sufficit; nunquam enim dubium exoriebatur, quin denominatio ספר התורה de integro Pentateucho, eo ordine disposito, quo hodie in manibus nostris versatur, sit intelligenda; cum, ut iam Cl. de Wettius *) et post eum Cl. Bertholdtus **) recte observarunt, *libri legis* argumentum a Cap. 9, 5. breviter exponitur, et facta maiorum a conditione mundi et vocatione Abrahami usque ad occupationem terrae Canaan eodem referuntur ordine, quo Pentateuchus ea nobis exhibet.

Retro ad superioris aevi monumenta regressis obviam fit nobis illustris locus 2. Reg. 22, 8. quem mirum in modum interpretes pro re sua detorserunt. In

---

*) Beyträge Part. I. pag. 181.

**) In introd. hist. crit. P. III. pag. 759.

magna semper auctoritate fuit apud doctos, et a Cl. Eichhornio *), Iahnio **), Bertholdto ***) pro argumento, cuius vis labefactari non posset, habitus est, totum Pentateuchum tempore Iosiae regis extitisse, donec Cl. de Wettius vim eius revera labefactaret. Hic enim librorum Chronicorum fidem et auctoritatem dubiam reddidit, qua collapsa, corruit etiam probandi vis loci citati, quia sensus verborum ספר התורה, in quibus rei cardo vertitur, per se ambiguus et obscurus, ex loco parallelo libri secundi Chronicorum 24, 14. lucem et momentum nanciscitur.

Manus hic cum viro tum eruditione, tum ingenii acumine conspicuo conserere, librosque Chronicorum in pristinam suam dignitatem restituere nolo, quia nullum inde vel parvum tantummodo in rem nostram redundaret lucrum. Mea sententia omnes difficultates, quae sensum loci ambiguum reddunt, haud gravi negotio, posthabito omni ex libris Chronicorum adscito auxilio, dilui possunt, si, officiorum boni interpretis memores, ad antecedentia et consequentia, rei adiuncta verborumque veram significationem animadvertimus. Brevis rei expositio haec est: II. Reg. C. 23. refertur insignis Iosiae regis pietas, cuius splendidissima tunc edidit specimina, cum vix octodecim annos natus, miro quodam studio idololatriae et superstitionis longe lateque propagatae radices evelleret, cultum reformaret et in pristinam suam integritatem restitueret, solennique ritu festum paschatis celebraret. Hanc pietatem et alacritatem in cultu sacro restaurando auctor librorum regum repetit a lectione *cuiusdam libri* in aede Iehovae recens inventi; cum enim Chilcias sacerdos magnus,

*) Introd. in V. T. T. II. §. 409.
**) l. c. §. 8. p. 213.
***) l. c.

pecuniae in templum illatae summam iussu regis subduceret, opificibus praefectis aedi Iehovae traditurus; forte in templo invenit ספר התורה (librum legis), qui a Saphane scriba ad regem delatus ipsique praelectus ita eum terruit, ut vestes suas laceraret, subitoque quosdam ad celebrem Prophetiden Huldam mitteret, sciscitatum, an Iehovae indignatio a se et populo suo posset deflecti.

Nunc quaeritur, quinam sit ille ספר התורה: catalogum quorundam praeceptorum esse, sacerdotum machinatione fabricatum et productum, ut rex deciperetur, inde suspicatur de Wettius *) quod argumentum libri prorsus fuisset incognitum, et sine nomine auctoris ad regem liber esset delatus. Huic autem sententiae multa obstant. Si sacerdotibus argumentum penitus fuisset incognitum, non dixissent, librum התורה esse repertum, namque תורה cum articulo demonstrativo ה nunquam in litteris hebraeis designat collectionem incertae auctoritatis, sed authenticum legum codicem, qui tanta apud omnes fuit auctoritate, ut simplici voce התורה (das Gesetz) insignita, a quovis cognosceretur. Magni ergo est momenti et multam *nomini* lucem affundit articulus ה; nam quod est incognitum et indefinitum, illo caret; hinc si leges in templo repertae incerti argumenti et incerti auctoris fuissent, sacer scriptor ספר תורה vel ספר אחת vel ספר תורות in numero plurali scripsisset. Quaenam autem legum collectio unquam in manibus fuit Hebraeorum, quam Mosaicarum, vel quaenam tanta fuit auctoritate, ut simplici voce (das Gesetz) insignita, a quovis intelligeretur, quae eo nomine veniret, quam lex Mosaica? Concesserim, *regi* incognitum *antea* fuisse auctorem libri; a magno tamen viro, cuius praeceptis obsequium

*) l. c. p. 179.

denegare nefas esset, codicem prodiisse certus esse debuit; secus enim fieri non potuisset, ut animus eius ita moveretur, ut tanto studio ingens consilium caperet, brevissimo tempore singulas suae ditionis provincias ab idololatriae superstitionisque faecibus expurgandi cultumque reformandi. Concesserim, *regi* argumentum libri novum et *antea* incognitum fuisse: certa tamen in eo summae antiquitatis deprehenderat indicia; qua enim fronte, haec si non deprehendisset, si nunquam antea cognitum fuisse credidisset, Iehovae indignationem et quae inde mala in patriam nascerentur, V. 13. in pravitatem maiorum vertere, — qua, inquam, fronte rex pius et iustus patres accusare potuisset, eos leges et praecepta in hoc libro contenta neglexisse? Quanto eiusmodi accusatio a pietate et sapientia abhorreat, nemo non videt. Concesserim, *regem* a sacerdotibus edoctum non esse de illo libro legis, sed tantis ac talibus *sinceritatis* et *sanctitatis* documentis conspicuum esse cernebat, ut ne minima quidem fraudis suspicio mentem eius vexaret, imo summa cura in praeceptorum strenua observatione posita sollicitaret.

Sed quid opus, ut per ambages longiores quaeramus, quod ipse sacer textus ultro nobis offert? Et profecto mirum semper mihi visum est, a doctissimis viris libros Chronicorum in auxilium vocari, rem illustrandi caussa, quae a contextu magnam accipit lucem, ita ut *verus* sensus verborum *libri legis* minime obscurus esse possit. Liber, qui in templo repertus ad regem defertur Cap. 22, 8. 9. 10. 13, sine auctoris nomine apellatur ספר התורה. Sed Cap. 23, 2. etiam vocatur ספר הברית (liber foederis); nam continebat secundum V. 3. relationem foederis Iehovae cum Hebraeis pacti. Iam in quonam libro authentico hebraei nominis tot deprehenduntur narrationes de foedere, quod Iehova cum populo suo, perpetuo ut observaretur, fecerit, quam in libris Mosaicis? et quodnam

aliud illud foedus, cuius verba in libro invento descripta erant, esse potuit, quam quod in deserto toties cum populo Israelitico inierat? quidnam ergo codex ille aliud esse potuit, quam fragmentum quoddam librorum Mosaicorum, eodem nomine notatum? Iste codex denique, liber legis, liber foederis dictus, Cap. 23, 25. simpliciter vocatur *lex Mosis.* Postquam enim auctor librorum Regum narrationem suam de rebus gestis Iosiae regis absolverat; subiungit V. 25. *Ante eum similis illi non fuit rex, qui reversus fuerit ad Iehovam toto corde, tota anima et totis viribus* secundum legem Mosis. Quae ergo prius auctor ex observatione legum in libro foederis contentarum deduxerat Iosiae regis insignia facta; hoc versu ex observatione *legis Mosis* deducit; quae ex hoc fluunt, in promptu sunt.

Quanquam vero ex his sponte efficitur, librum *legis* hoc loco de libro *legis Mosaicae* esse intelligendum; alia tamen exoritur quaestio, quam detrectare non possumus, — an integer Pentateuchus, ut Clericus, Iahnius, Dereser credunt, sive Deuteronomium isto veniat nomine. Qui pro Deuteronomio certant', ad graves illas diras provocant, quibus Iosiae regis animus ita fuit territus, ut vestes laceraret, omnesque subito, qui sacra cooperabantur, consuleret, quid sibi agendum censerent, ut iram Iehovae flecteret, et mala imminentia a se suisque amoveret; quas comminationes nonnisi in Deuteronomio litteris consignatas inveniri perhibent. Huic autem argumento alii obiiciunt, non eam ob caussam allegatas esse illas comminationes, quia argumentum libri inventi constituissent, sed quia istae fuissent, quibus Iosias motus dicitur, ut cultum restitueret; qua de caussa laudasse auctorem illas ipsas dicunt ex annalibus prolixioribus tanquam notatu dignissima.

Simpliciori modo litem de hac re solvi posse reor, si, ut antea id factum est, contextum narrationis re-

spicimus, et quae inde fluunt, rite deducimus. Cap. 22. V. 10. dicitur, a scriba librum illum esse praelectum regi, quo audito hunc vestimenta suà dilacerasse. Est ergo in aprico, nec totum Pentateuchum, nec Deuteronomium tam brevi tempore praelegi potuisse. Si quis obiiciat, aliquot dies forsan praelectioni illi esse datos, ad alium locum provocamus, Cap. 23, 2. quo refertur, regem cum omnibus incolis Solymae, sacerdotibus, prophetis et aliis templum ascendisse ibique *omnia verba legis* illis praelegisse. Quis iam, qui Pentateuchum vel Deuteronomium unquam adspexit, contendet, unum vel alterum tam brevi tempore *et a rege quidem* praelectum esse?

Quare iam supra *librum foederis* fragmentum aliquod fuisse diximus librorum Mosaicorum; quodnam autem fuerit, determinare nobis non est in promptu; sed a veritate non plane abhorrere existimamus statuentes, fuisse fragmentum Deut. 27, 9. — Cap. 29. Nam primum diras, quae h. l. proclamantur, in alio fragmento frustra quaesieris: suntque ita comparatae, ut regi pio et iuvenili aetate florenti praelectae ingentem necessario terrorem incutere deberent; deinde ista illarum recensio adeo prolixa est, ut earum volumen tantum esse deberet, quanti forte volumen fuerat legis in templo inventum *); denique notatu dignissimum est, quod ad promissionem regi factam pertinet, fore, ut et ipse in maiorum monumenta efferretur. Metuit itaque rex, ne e patrio solo abductus in terram peregrinam sibique inimicam captivus deportaretur; qui vero metus nonnisi e comminatione, qualis Deut. 28, 26. continetur: „*Abducet Iehova te* (populum He-

*) Esse in eiusmodi relationibus ספר sensu proprio (voluminis, einer einzelnen Rolle) capiendum, haud demonstrandum esse reor.

braeorum) *et regem tuum, in gentem tibi et patribus ignotam, ibique coles Deos alienos de ligno et lapide* (fabricatos)" proficisci potest. Similis autem imprecatio in alio loco sive Deuteronomii sive caeterorum librorum Mosaicorum non legitur.

§. 10.

Haud minori vi locus 1. Reg. 2, 3. ab aliis impugnatur, ab aliis defenditur. Refert ille, Davidem moribundum exhortatum esse filium suum, ut omnia observaret praecepta et statuta Iehovae, sicut scriptum esset in *lege Mosis.* Iam de Wettius nobis persuadere vult, hunc Davidis cohortationem ad filium non esse veram, sed ex compilatoris luxuriante ingenio natam et Davidi suppositam; nullius itaque pro existentia vel auctore Pentateuchi ponderis esse. Bertholdtus vero aliique viri docti pro illustri eam habent argumento, tempore Davidis Pentateuchum cum omnibus suis partibus fuisse conscriptum, et in ordinem suum redactum. Ne omnia argumenta, quae proferunt, perlustrem, id tantum adnotare volo, interpretem sacrae criseos terminos excedere, qui, ut de Wettius, locum, quia in rem suam non quadrat, sine ullo iusto argumento textu expungit, et, quod alteram sententiam attinet, cui Bertholdtus post alios adstipulatur, id tantum iusta consecutione ex loco citato effici, tempore Davidis partem Pentateuchi *legislativam* fuisse collectam et cognitam; de legibus enim solum atque praeceptis, *ad quorum normam Salomon vitam suam dirigere* deberet; non de rebus gestis illa morientis cohortatio mentionem facit.

Libri Samuelis et Iudicum, cum in iis ad *thoram* Mosis nunquam provocatur, pro re nostra nihil certi suppeditant.

At regressis ad librum Iosuae, blandius nobis affulgere videtur spes, gravem litem, quam eruditissimi

viri moveront, argumentis firmissimis, ex limpidissimo fonte haustis, componendi. In hoc enim libro distinctis verbis de thora tanquam *libro* loqui videtur auctor: *Librum istum legis*, admonet Iehova Iosuam, *nunquam de ore dimoveas, et de eo die nocteque mediteris.* Habemus hic non unam tantum legem, singulare quoddam praeceptum; habemus hic integrum librum (ספר) maiorem ergo collectionem praeceptorum, de quibus semper meditetur successor Mosis; habemus testem eum virum, qui Hebraeorum legislatori vinculo amicitiae coniunctus et ab eo electus erat, ut coeptum opus perficeret, ideoque certissima nobis suppeditare potest de iis, quaecunque Moses conscripserat, suisque tradiderat. — Ita patroni Pentateuchi; et mihi quoque comprobaretur haec ratio, si certa essent ac vera, quibus illa innititur. Eam quidem non comprobo criticorum sententiam, sermonem Iehovae, quem ad Iosuam habuit, fictum, et compositionem libri recentiorem esse, quam quod ex eo iustum pro existentia Pentateuchi posset depromi argumentum: aliasque huiusmodi obiectiones; sed me sollicitat vera significatio vocc. ספר התורה; nam ab hac dependet vis atque momentum argumenti.

De locis Cap. 1, 8; 8, 31, 34; 23, 6. in quibus vox תורה occurrit, non patet, quonam ea capienda sit significatu, utrum latiori, an strictiori? Sed Cap. 8, 32. eadem vox occurrit, et antecedentibus et consequentibus ita illustratur, ut dubitare ulterius non possimus, quid — *non significet*; cum enim Iosua, *verba legis*, quam scriptam reliquerat Moses, lapidibus insculpenda curaret, in promptu est, non fuisse Pentateuchum, imo ne maiorem quidem legum Mosaicarum collectionem, sed singula quaedam statuta, forsan illa decalogi; quod si uberius exponere et demonstrare vellem, certe cuiusvis sanam rationem ludibrio haberem. Secundum regulas hermeneuticas hanc loci significationem ad caetera loca supra citata transferre possemus;

sed nolumus hic urgere istas regulas. Audienda vero adhuc vox viri praestantissimi, tum doctrina tum mentis sagacitate conspicui Cl. Staeudlini *), qui discrimen intercedere dicit inter verba legis, quae lapidibus insculpta sunt, et inter ea, quorum nomine libri legis V. 34. 35. fit mentio.' Concessa hac doctissimi viri sententia, cui ego quam lubentissime accedo, quid inde aliud recte deducitur, nisi quod ספר התורה in libro Iosuae collectionem quandam praeceptorum Mosaicorum designat? Pro existentia *totius* Pentateuchi itaque nullum inde depromi potest argumentum.

Cum locis librorum hebraeorum, in quibus vox תורה occurrit, perpensis ad monumenta illa antiquiora, unde exoriebamur, regressi sumus; nuspiam, libris Esrae et Nehemiae exceptis, vocabulo תורה eam pro existentia sive auctoritate totius Pentateuchi probandi vim inesse, quam plures viri docti tum superioris tum recentioris aevi ratam habent, ingenue nobis fatendum est. Vidimus enim contextum consulendo, nonnisi praecepta, mandata intelligi, si de libro illo legis sermo est; neque disputari in illis locis de rebus gestis viri celebris, cui *thora*, ceu auctori tribuitur. Sed procul absit, ut ex iis, quae diximus de significatu *libri huius*, Mosi quae sua sunt, detrahamus; et rem in dubio positam relinquamus. Nam adhuc in promptu est argumentum, cuius vis atque momentum nullo modo dubia reddi, nullo modo infringi potest.

§. 11.

In Pentateuchi librorum posteriorum locis haud paucis refertur, Mosen in desertis Arabiae praecepta tum singularia, tum maiores eorum collectiones *sua*

---

*) In Ephemerr. Critt. ab Ammonio et Bertholdto edit. T. III. pag. 352.

manu litteris mandasse, et a Iehova ei demandatum esse, ut rem, quam gessisset, in perpetuam memoriam *volumini cuidam inscriberet*. Loca, quibus haec referuntur, citant Bertholdtus *), Staeudlinus **), alii. Iam si in veteri quodam documento, cuius auctor nec inscriptione, nec subscriptione nominatur, vel certum eius indicium invenitur, vel obscurius saltem vestigium, ex quo veri auctoris nomen, vel libri aetas cognosci potest, nemo dubitat, fidem illi indicio, vel vestigio huic obscuro esse adhibendam. Imo si ex aliis fontibus certiora de auctore peti non possunt, traditionem saepe sufficientem habemus, ut librum homini cuidam adscribamus, dummodo res, quas ille complectitur, nec tempori, nec ingenio auctoris, qui sumitur, repugnent. Quae cum ita sint, sponte sequi videtur, quae in Pentateuchi libris de auctore inveniuntur, easdem fidem et auctoritatem iure suo sibi vindicare; perspici enim non potest, cur ad documenta gentis hebraeae transferri non liceat, quod in aliis iudicandis ratum habetur. Id quidem negari nequit, locum, qui *omnes* libros posteriores a Mose litteris esse mandatos, probaret, in Pentateucho frustra quaeri; refertur tantum, *singulares* narrationes, leges legumque collectiones ab illo scriptas esse ***); quod hic eo maioris est momenti, cum, uti supra ostendimus, istae partes nullo apto vinculo inter se sint connexae, sed inscriptionibus et subscriptionibus a se distractae. Verum eodem loco observavimus quoque, librorum Mosaicorum, si revera a Mose profecti sunt, aliam compositionem esse vix potuisse, quam quae est singularium fragmentorum, quae uti e temporis ratione exorta sunt, sine apta compage coniungun-

*) l. c. pag. 767.
**) l. c. pag. 338.
***) cf. Bertholdtus l. c.

tur. Iusta itaque consecutione a minori ad maius etiam illas leges et historias, quibus non affixa certa est auctoris notatio, ad Mosen referendas esse putamus.

Id si quis male concludi duxerit, is demonstrare debet primum, iure postulari posse, ut *omnibus* fragmentis nomen auctoris esset adscriptum; deinde, inter leges et praecepta, quibus Mosis nomen praefixum est, et inter illas, in quibus id ipsum non factum scimus, tantam ac talem esse dissensionem, *ut ab uno eodemque legislatore prodire non potuissent*: denique res, quas gestas fragmenta referunt, nec viri indoli nec aevo illius congruere. Id autem nemo demonstraverit; nam omnes critici conveniunt, postulari non posse, ut nomen auctoris omnibus eiusdem libri partibus adiectum sit. Inter praecepta deinde, quae libri Mosaici continent, nullum ab aevo, quo conditum, et a legislatore, a quo traditum perhibetur, abhorrere, in hanc rem supra multa protulimus argumenta *); denique quod attinet ad relationes rerum gestarum, haud paucae **) a Mose exarari potuerunt; sunt enim res, quas ipse gesserat, vel quibus interfuit. Quare non dubitamus firmiter contendere, *legum omnium, partisque relationum historicarum Mosen esse auctorem.* Sed alia nunc magni momenti exoritur quaestio, quae adhuc solvenda est: nimirum, an Moses suos libros quoque ediderit, et in eum ordinem, quem modo tenent, dispositos populo suo tradiderit.

*) Plura protulit Cl. Staeudlinus in Ephem. cit.

**) Non omnes a Mose exarari potuisse mox patebit.

Digitized by Google

§. 12.

Supra observavimus, quod et ab omnibus fere concessum est, libros, qui fata Hebraeorum a maris rubri transitu usque ad occupationem terrae Canaan relata nobis exhibent, fragmentis exortos esse, nec aliter sane exoriri potuisse. Si enim in deserto quid gereretur, quod memoratu dignum censebatur, brevem eius relationem scripsit dux, vel alii quicunque, quos sibi in hunc finem adiunxerat, eamque ad arcam foederis deposuit, sive morem Aegyptiorum imitatus, qui documenta publica in templis asservabant; sive adytum sacri tentorii hisce scriptis locum tutissimum ratus. Si inter populum lis exoriebatur, vel quid eveniebat, quod legi occasionem praeberet, legem scripsit dux, tum ut ab aliis praelegeretur singulis tribubus et familiis (ingenti enim hominum multitudini eodem tempore proclamari non potuit), tum, ut summo, quod in auxilium constituerat, seniorum tribunali norma esset, secundum quam similes diiudicarent caussas; quandoque legi brevem occasionis, cui ortum debebat, adiiciebat narrationem. — Inde fiebat, ut praeceptum repeti, vel rerum facie immutata, paullulum immutari et gentis necessitatibus adaptari necesse esset; hoc modo innumerae condendae erant leges singulares, quae seorsim existebant, nullo vinculo inter se iunctae.

Haec dum fierent, Moses, si otium ipsi esset, ad ea quoque statuta scribenda se accingebat, quae non tantummodo praesentem populi statum, sed quae futuram reipublicae formam, vitae conditionem, cultusque sacri ritus temperarent; hocque modo ampliores praeceptorum arctiori vinculo inter se nexorum prodibant collectiones. — Hanc autem fragmentorum historici et legislativi argumenti vastam farraginem in unum corpus congerere, et in ordinem quendam redigere, in animum legislatoris venire non potuit, *dum* in desertis castrisque

Israelitarum munus suum obiret; nesciebat enim, an non aliae etiam res memorabiles eventurae aliaque praecepta tradenda scribendaque essent. Hinc consilium, sua, quae scripserat, fragmenta apto ordine nexa *edendi*, si id Mosen unquam cepisse contenderis, *tunc demum* capere et de eo persequendo serio meditari potuit, cum ex viribus corporis et ingenii exhaustis diem supremum se mox obiturum adeoque nihil ultra scripturum sentiret.

Sed hoc negotium quot et quantae difficultates impediebant! Ignoramus quidem, quae tunc temporis scribendi ratio, quae fuerint ad scribendum apta supellectilia; id autem scimus, compositionem et editionem tanti operis, quantum constituunt Pentateuchi libri quatuor posteriores, aevo Mosaico summis obnoxiam fuisse difficultatibus. — Qui deinde rerum status, quae negotiorum conditio erat, quibus opus edendum fuisset! Israelitae, desertas terras Arabiae, in quibus per quadraginta annos in tantis versabantur discriminibus, tantisque laborabant periculis, tandem aliquando emensi, ob oculos habebant terrae Canaaniticae, ingenti desiderio exoptatae, opimos tractus — quantus inter tot homines tumultus, strepitus motusque cooriri debuit? quae tunc temporis duci obeunda negotia, quae adhibenda cura, ut turbidam plebem legibus adstringeret, pervicaciam et obstinationem totius populi non minus ac singularum tribuum inhiberet. Et concesso, ea quae modo dixi, locum non habuisse; alia tamen laborum et curarum moles animum ducis obruebat. Ad finem enim, quem Moses sibi proposuerat, cum tot leges sanciret, res tam varias institueret, suumque populum tot annis in deserto detineret, nondum perventum erat; praeparata tantum res fuit; nonnisi prima impedimenta erant remota, at — quod rei fuit caput, *ad ripas Iordanis initium capiebat.* Non ut antea sparsae praedantium Arabum catervae erant profligandae,

sed instructa acie hostibus obviam eundum, proelia tentanda cum viris bello robustis, qui pro patria, pro coniugibus et liberis, pro aris et focis dimicabant; opulenta oppida tum situ, tum civium animo et armis munita expugnanda: — quanta mentis sagacitas, quanta animi cautio et providentia die nocteque a duce fuit adhibenda, ut omnia recte disponerentur, gensque depravata et imbellis tanto certamini apta redderetur? Editioni librorum Mosaicorum ineptius sane temporis momentum dari non potest, quam quod inter adventum Mosis ad Iordanis ripas, eiusque obitum intercessit; nec tamen aliud statui potest, cum res adhuc, quas paullo ante mortem suam gesserat, in Pentateuchi postremo libro referuntur.

§. 13.

Nulla denique aderat caussa, qua Moses scripta sua ad finem vitae colligeret, et tanquam opus integrum omnibusque numeris absolutum suis traderet; non enim conferendus est priscus ille legislator et dux cum alio quocunque nostri aevi homine, qui omnia, quae in itinere notatu digna sibi videntur, libellis suis inscribit, quos post reditum sedulo disponit, librumque inde conficit typis divulgandum. Moses sua scripta populo non destinavit; nam non voluit, ut ab omnibus legerentur; secus praeceptum non dedisset, ut septimo quoque anno in solenni tabernaculorum festo coram universo populo praelegeretur thora. Sacerdotibus, omnia quae scribebat, destinabat. Sacerdotibus destinatae leges, quae cultus sacri ritus praescriberent: sacerdotibus destinatae leges, quae futurae reipublicae necessitatibus prospicerent, utpote supremis in rebus sacris et civilibus iudicibus, quibus praeceptorum systematica dispositio nullatenus fuit necessaria: nam ubi arca, ibi semper quoque erant sacerdotes.

His, quae modo diximns, accedit, quod leges Mosaicae, quotqnot earum sacer codex complectitur, nonnisi prima reipublicae formae constituunt lineamenta, variis modis per decursum temporum amplificanda et accuratius definienda, reformanda et immutanda; Moses nonnisi prima eius iecerat fundamenta, quibus nsus et experientia caetera superstruerent; hinc legislatoris sententia non fuit, nt nulla post eum praecepta thorae accederent, cnm certus esset, id tum demum fieri posse, si statns reipublicae fundamentis immotis innixus, ab omni parte munitus nullisque nlterius vicissitudinibus obnoxins esset. Has observationes non esse vanas et revera post Mosis tempora legibus alias esse additas, e sacra scriptura confirmatur. Sio Iosua, successor Mosis, foedus, quod cum Israelitis de solo Iehova, exclusis omnibns quibuscnnque numinibus, colendo, contraxerat, *thorae Iehovae inscripsit.* Ios. 24, 26. Simili modo Samnel librum, quem scripserat, cum Sanl regia dignitate condecoraretur, coram Iehova deposnit. 1. Sam. 9, 25.

§. 14.

Ut antem omnia, quae huic rei illnstrandae inservire possunt, perpendamns, hac nostra sententia de difficultatibus, quae editionem librorum Mosaicornm praepediebant, missa, illis adstipulemur, qui forte obiicinnt, obstacula, quae compositioni librorum Mosaicorum opponimus, a nobis esse potius excogitata, qnam exorta ex illius temporis rationibus, adeoqne nihil obstare, quin firmiter contendamns, Israelitarum ducem fragmenta, quae in itinere penes arcam foederis deposuerat, ad finem vitae suae collegisse, collecta et in integrum opus digesta sacerdotibus tradidisse. Sed si hanc sententiam nostram facere volumns, supponere qnoque nos oportet, Mosen eodem modo, eodemqne

consilio rem suam adgressum esse, quo quivis alius cuiuscunque aevi et nationis adgreditur scriptorum suorum conligationem, dispositionem et editionem. Supponere nos oportet, Mosen pro sua, qua clarus est, sapientia, praecepta, progressu temporis aliis conditis abrogata, penitus codice suo delevisse; ex praeceptis, quae in deserto repetebantur, et saepius scribebantur, unum tantummodo recepisse, vel saltem leges, quae eiusdem argumenti erant, inter se coniunxisse, occasiones denique, quibus leges ortum suum debebant, ordine chronologico addidisse.

Libros autem Pentateuchi si consideramus, nullum vestigium talis consilii invenimus. Deprehenduntur praecepta eiusdem argumenti sine ulla immutatione iisdem fere verbis bis ver ter repetita e. g.

Exod. 20, 8 — 11.

Memento Sabbathi, ut sancte peragas illud. Sex diebus labores, et opera tua cures, septimo autem die Sabbathum est Iehovae Dei tui, quo non facies opus, nec tu, nec filius tuus et filia tua, nec servus, ancilla, iumentum tuum. Sex enim diebus fecit Iehova coelum et terram etc.

Exod. 31, 12 — 17.

Dic Israelitis: Videte, ut sabbatum meum custodiatis, nam est signum inter me et vos. — Servate sabbathum meum, sancte illud peragatis; qui profanaverit illud, morte moriatur, qui opus in eo fecerit, e populo excindetur. — Sex diebus laboretis, septimo autem die Sabbathum est. — — Sex enim diebus fecit Iehova coelum etc.

Exod. 34, 21.

Sex diebus operaberis, die autem septimo cessabis messis quoque et sementis tempore.

Exod. 35, 2.

Sex diebus laboretis, septimus autem vobis sanctus erit. Sabbathum est Iehovae sacrum. Quicunque

in eo opus fecerit, moriatur. Quae eiusdem praecepti repetitiones eo magis offendunt, quod partem constituunt maioris collectionis legum, quae eodem loco eodemque tempore traditae perhibentur. Nam in libro quoque Deuteronomii de sabbatho mandatum occurrere, non est quod miremur, cum hic liber priorum epitome vulgo habetur. Conferantur porro leges Exod. 13, 12—13; 22, 29; 34, 19—20. Ut nihil dicam de eo, quod lex Exod. 13, 12—13. in hunc contextum non quadret, id tantum notandum puto, nullam prorsus caussam excogitari posse, quare toties repetita et tandem in codicem recepta fuerit. Denique Exod. 12, 18. cf. Lev. 23, 5—7. et Numer. 28, 16. Exod. 21, 12. cf. Lev. 24, 17. Exod. 21, 21. cf. Lev. 20, 9. Exod. 21, 24. cf. Lev. 24, 20. Exod. 13, 3. 4. Exod. 23, 15. Exod. 23, 19. cf. Exod. 34, 20. Exod. 23, 10—11. cf. Lev. 25, 3. 4. Exod. 22, 21. cf. Lev. 19, 33. Exod. 23, 32. cf. Exod. 34, 15. Exod. 29, 1. cf. Lev. 9, 2. Lev. 18, 21. cf. Lev. 20, 2. Lev. 18, 23. cf. Lev. 20, 16. Lev. 23, 27. cf. Num. 29, 1. Lev. 23, 27. cf. Num. 29, 7. Lev. 27, 25. cf. Exod. 30, 13. et Num. 3, 47. Tanta repetitionum praeceptorum in eodem codice farrago satis ostendit, quantum a vero abhorreat opinio, Pentateuchi partem legislativam ab auctore suo esse editam. Priusquam tamen sententiam nostram proferamus, videndum est, qua ratione pars historica composita sit.

§. 15.

Si Moses rerum gestarum relationes, quas in Arabia scripserat, ante obitum suum digessit, coniunxit et edidit: eas, ut historiographum decet, quantum fieri potuit, ordine chronologico disposuit, i. e. facta, prout tempore se exceperunt, in suo libro narravit. Haec dispositio in fragmentis libri Exodi non penitus quidem

est neglecta: est tamen narratio tam tenui, et frequens interrupto filo deducta, ut nullo fere fundamento innitatur inde depromtum pro editione argumentum, penitusque corruat, si proferri possunt loci, qui ita sunt comparati, ut hoc modo, si eorum sententiam respexeris, non coniungi possent. Et profecto non desunt. Facit huc Exod. 16, 33. Moses enim mandat Aaroni, ut vas Gomere Mannae impleat, idque in adyto reponat in posterorum memoriam; hoc autem mandavit mense secundo, postquam ex Aegypto populum eduxerat, quo tempore nondum exstructum fuisse sacrum tentorium satis notum est. Fieri quidem potuit, ut Moses arcae mentionem faceret, cum eam *mox exstructum* iri sciret: si vero sacer textus V. 34. subiungit, Aaronem *fecisse*, quae frater ei mandasset, et vasculum Manna plenum *in adyto deposuisse:* manifestum est, vel narrationem esse falsam, quod non concesserim, vel ineptissimum locum occupare, adeoque ab auctore suo nec digestam, nec editam esse. Simili modo ordinem chronologicum subruit relatio Exod. 33, 7. Mosen tentorium suum procul ab Hebraeis extra castra constituisse, et ad illud omnes, qui Iehovam consulere vellent, egressos esse; huius enim tentorii exstructio capite demum 40. ad finem perducta refertur. Cf. quoque Deut. 10, 5. et locum parallelum Exod. 34, 29. cum Exod. 37 et 40. Textui sacro Exod. 6, 25. inserta est genealogia, ubi Eleasar ceu caput familiarum Leviticarum exhibetur; caput vero istarum familiarum tum demum factus est, cum fratres natu maiores Nadab et Abihu (Lev. 10, 1. Num. 13, 4.) igne consumti periissent. Filius Nun Hoseas iam in libro Exodi 33, 11. vocatur Iosua, quo tamen nomine a Mose condecorabatur, cum in terram Canaan mitteretur, incolarum et terrae indolem exploraturus (Num. 13, 17.).

Hinc fuerunt, qui hisce difficultatibus territi, *editionis* vocabulum latiori significatu sumerent, statuen-

tes, Mosen, quae scripta reliquerat, non in unum contulisse, et in integrum opus systematice disposuisse, sed tantummodo, prouti sese offerebant, coniunxisse et sacerdotibus tradidisse. Atque ingenue fateor, hac significatione accepto *editionis* vocabulo difficultates dilui, quas tam crebrae eiusdem praecepti repetitiones, nexusque narrationum chronologicus interruptus, facere videntur; nam cum non negamus, eandem saepe legem repetitam, inculcatam adeoque iteratis vicibus scriptam esse *), hae ipsae repetitiones in universa collectione, facta illa absque iusto selectu, abesse non possunt; ad relationes historicas vero quod attinet, nemo negaverit, fieri potuisse, ut tanto temporis spatio ordo chronologicus, quo scriptae et inter se connexae erant, casu quodam turbaretur.

Sed iam aliae difficultates, et graviores quidem exoriuntur, quae tam facili negotio solvi non possunt. Libri enim Mosaici fragmenta continent, quae a Mose *nec scribi*, *nec edi* potuerunt. Huius generis sunt repetitiones narrationis unius eiusdemque factae e. g. Exod. 6, 10—13. cf. Exod. 6, 29. 30. Exod. 16, 13. 14. cf. Num. 11, 31. Exod. 17, 1. 2. cf. Num. 20, 1—10. Exod. capp. 25—31. cf. capp. 36—40. Exod. 40, 32—36. Num. 9, 15—25. — Possunt quidem, ut supra a nobis observatum est, repeti leges et praecepta; possunt etiam relationes rerum gestarum, quando nimirum historiographus rei memorabilis cuius-

*) In transcursu hic adnotare volo, eas tantummodo leges repeti potuisse, quae *praesentem* populi statum dirigebant, adeoque ex peculiaribus necessitatibus, quae varias subeunt viciasitudines, oriebantur: non autem illas, quae *futurae* reipublicae formam cultusque sacri ritus concernebant; nam illarum tenor mobilis, harum immobilis erat: illae casibus fortuitis, hae liberae mentis meditationi originem suam debebant.

dam duo vel plura documenta *diversorum auctorum* ad manus habet, eaque, uti priscis solenne fuit, operi suo integra inserit; sed repeti non possunt eiusdem rei narrationes a prudente auctore, *qui ipse rem gessit*, ipse ei interfuit, quod pluribus demonstrare superfluum esset.

Insunt denique libris Mosaicis eiusdem rei narrationes *diversae*, *contrariae et inter se pugnantes*. Huc spectat e. g. narratio de iudicibus in castris Hebraeorum designatis; namque Exod. 18, 13 sq. refertur, Mosen hos iudices sibi in auxilium adiunxisse *ante* adventum ad montem Horeb, suadente *socero Iethro*; verum iuxta Num. 11, 11—17. *suadente Iehova* et secundum Deut. 1, 9—17. *post* adventum ad montem Sinai. Porro Exod. 2, 20. Exod. 3, 14. cf. Exod. 18, 12. Num. 14, 45. cf. Num. 21, 3. Num. 14, 23. 24. cf. Num. 14, 29. 30. Num. 13, 1. 2. cf. Deut. 1, 20. 23. Num. 20, 18. cf. Deut. 2, 29. Num. 24, 17. 18. cf. Deut. 2, 2—5. Num. 33, 30—38. cf. Deut. 10, 5—8. Num. 35, 24. 30. cf. Deut. 19, 12. Nota quidem et mihi est virorum doctorum cura, qua has difficultates solvere studuerunt, ita scilicet, ut provocarent ad impedimenta, quibus impeditus Hebraeorum dux historias conscripsisset, quippe qui tot ac tantis negotiis distractus, rei narrationem semel inchoatam, alio tempore denuo inchoasset etc. quo factum esset, ut duae hinc inde, brevior altera, altera prolixior eiusdem rei narrationes exorirentur, tandemque toti operi insererentur. Verum ista sententia de negotiorum mole, quae animum auctoris obruisset otiumque scribendis suis libellis necessarium sustulisset, difficultatem quidem tollit, quae in *repetitione* sita est, sed quae in diversitate et relationum discrepantia cernitur, tollere non potest, nisi acceperis, Mosen quandoque negligentem parum accurate rem suam curasse, quod non modo

historiarum inter se discrepantium, sed omnium eius librorum auctoritatem dubiam redderet.

In aliam idcirco sententiam abiit vir in his rebus celeberrimus, Richardus Simon, Mosen scilicet leges tantummodo et praecepta, scribas vero, quos in hunc finem elegisset, historias litteris exarasse. Quae quidem opinio illustris Critici non ita omni destituitur argumento, ut vulgo creditur; nam perspicue de his scribis liber Iosuae mentionem facit; nec ita contemnenda; nam solvit dubia, quae repetitiones et *diversitates* expositionum excitant. At restat quaestio, quomodo fieri potuerit, ut scribae in referendis rebus, quarum erant *testes oculati*, inter se discreparent, et Moses eiusmodi fragmenta in suum opus exciperet? Satis de his. Convertamus paullulum adhuc animum ad locos, qui nec a Mose nec a scribis profecti, seriori aevo originem suam debent, et rite deducamus, quae inde recte concludi posse videantur.

§. 16.

Iam superiori aevo plures, qui Pentateuchi libros illustrandi provinciam sibi sumserunt, in eo consentiebant, sincerum textum infectum esse haud paucis locis, aevo Mosaico nec aequalibus nec supparibus; peccarunt autem in eo, quod istas sacri textus partes spurias obiter tantummodo perstringebant interpretisque officia rite obiisse credebant, si in classem vulgarium glossarum reiicerent, quae incuria librariorum vel alia quacunque ex caussa e margine in textum successu temporis irrepsissent; ex quibus, ut Iahnius ait *), nullo modo sequitur, caeteras quoque partes Mosi esse abiudicandas, cum totum opus ingenio aetatis Mosaicae sit distinctum, tot ac tanta a Iosua usque ad Exilium te-

*) l. c. II. pag. 57.

stimonia, tot ac tanta argumenta internā sint, quae pro Mose ceu auctore militant. Ego quoque lubenti animo contendo, ista loca spuria, per se spectata, libris Mosaicis nomen auctoris non detrahere, nisi aliae accedant difficultates, quae textus aetatem dubiam reddunt. Cum vero difficultatum tantus sit numerus, testimoniorumque et argumentorum vis, quibus Iahnius usus est, perquam dubia sit et incerta, eo maiorem isti loci curam efflagitant, neque facile glossis adscribi possunt. Sunt enim tot ac tanta, quod bene hic notandum est, ut, si pro meris ea habeas glossis, difficultates ex iis exortae nullatenus diluantur. Eiusmodi glossae proinde tunc tantum temporis in textum irrepere solent, si textus saepius describitur, quod autem ante exilium finitum factum non fuisse, quivis sacri textus historiae gnarus concedit; sed nec tunc facile fieri potuit, ut glossae in textum irreperent, cum summa et superstitiosa quasi cura ab Iudaeis adhiberetur, ne textus sacer spuriis additamentis adulteraretur. Nonnulla denique tanquam documenta et *fontes* usurpantur, ex quibus auctor relata comprobat; adiunxit itaque de industria; et duo postrema capita Deuteronomii non ceu glossas locum suum occupare, nemo non videt. Qua ex caussa asserere non dubito, *de industria* ab illo textui esse immixta, qui totum opus edidit. Sunt autem haec: Exod. 16, 35. 36. Num. 3, 47. (cf. Ios. 14, 15; 15, 13.) Num. 18, 16. Num. 21, 14. Num. 21, 26—31. Deut. 3, 9; 4, 48. Deut. 10, 8. 9. Deut. Capp. 33 et 34. et alia, quae nec nos nimis urgebimus, cum de eorum sensu et aevo non inter omnes constet.

§. 17.

Quae cum ita sint, ulterius dubitare non possumus, quin genuina scripta Hebraeorum ducis et legislatoris, quae sparsa multorum forsan in manibus versabantur,

recentiori tempore protracta sint, collecta, disposita et in unum corpus digesta a viro quodam illustri eoque eiusmodi auctoritate, ut genuinis fragmentis Mosaicis haud pauca et haud exiguae molis additamenta adiungendi, nomina obsoleta explicandi, quaedam dicta, lectoribus obscura et dubia, ex vetustis et fide dignis fontibus comprobandi et uberius exponendi, toti denique operi, brevem relationem ultimorum fatorum magni viri addendi ius quoddam vel haberet, vel provinciam istam sibi sumere haud dubitaret, quum omnes lubentissimo et gratissimo animo opus accepturos esse confideret quod documentum esset singularium, quae divina providentia iam in natalibus reipublicae Hebraeorum ediderat, speciminum. Sed *quonam tempore* id factum est, et quis fuit *ille* vir, qui tantis animi dotibus praeditus fuit, ut tanto operi se haud imparem censeret tantaque valuit *auctoritate*, ut mentem non sollicitaret timor, ne populares tale donum detrectarent et respuerent? Cl. *Fritzschius*, quem iam supra nominavimus, contendit quidem, interpretem limites, quibus crisis sublimior circumscribitur, excedere, qui eiusmodi moveat quaestiones; cum id tantummodo eius sit muneris, ut demonstret, opus quoddam ab eo auctore *non* esse profectum, cui vulgo tribuitur *). Sed si modestas coniecturas candide profert interpres et *argumenta*, limites sacrae criseos non excedit.

Viri docti, qui recentissimo tempore sua de editione librorum Mosaicorum iudicia ferebant, in duas potissimum abiere sententias. Altera, cui Bertholdtus et Griesingerus **) adstipulantur, temporibus Samuelis et Davidis; altera, quam Vaterus et de Wettius fovent, tempore, quod Iosiam inter et captivitatem Babyloni-

*) l. c. pag. 13.

**) In opusculo, cui titulus: Ueber den Pentateuch.

cam intercessit, Pentateuchum integrum compositum et editum esse contendit. Inter utramque dubius haeret Othmarus (Nachtigall) in ephemeridibus ab Henkio editis. Speciosa est sententia prior; nam cum summa rerum hebraearum apud Samuelem esset, scholae florebant Prophetarum, in quibus facile ita excoli potuerunt facultates iuvenum, ut operi edendo sat pares redderentur; et collectione Pentateuchi opus fuit, quia in his scholis thoram doctam et explicatam esse, vulgo creditur. Davides rex omnem suam operam in cultu sacro instaurando collocavit, cantica et Psalmos, quae tum a se, tum ab aliis prodierunt, Levitis cantoribus tradidit; nonne simul curare potuit rex pius, ut, quae scripta Moses reliquerat, colligerentur tam in suum, ipsius tum aliorum usum? Vestigia quidem, revera hoc factum esse, in sacra historia nulla sunt, nec ad talia provocant, qui editionem Pentateuchi in tempora Davidis reiiciunt. Provocant illi ad *Pentateuchum Samaritanum*, quem non longe post Davidem exortum esse aiunt. Sed quam vana sint omnia, quae ex Pentateucho Samaritano pro aevo librorum Mosaicorum huiusque deducta sunt, demonstrare hic non est locus; quare ad Cl. Gesenium provoco, qui in egregia sua commentatione de *S. P. origine, indole et auctoritate* hanc rem expedivit.

Nec firmioribus altera sententia innixa est argumentis. Nil dicam de facie rerum hebraearum, tempore, quod inter Iosiam et captivitatem Babylonicam intercessit; nil de tristissimis aerumnis, quae quemlibet opprimebant; nil de infestis hostium invasionibus et summis inde in patriam redundantibus periculis et malis; nil de seditionibus in populo ipso iudaico coortis; qua rerum conditione certe nemo facile de editione operis cuiusdam cogitare potuit; id unum monitum volo, ne ullum vestigium esse in historia compositi circa hoc tempus per virum quendam Pentateuchi.

Itaque missis hisce sententiis ad Iudaeos descendimus in Babylonia captivos, quaerimusque, an forte hoc tempore prodierit Pentateuchus, an aliqua vestigia, sive in documentis scriptis, sive in traditione contenta, supersint, ex quibus pro editione librorum Mosaicorum effici quid possit.

§. 18.

Omnibus constat, tum in sacris paginis tum aliis libris hebraei et christiani nominis frequentia esse testimonia, Esram exulem de sacrae scripturae in genere, et de Pentateuchi in specie sive interpretatione, sive compositione, sive descriptione bene meritum esse. Inter tot nobiles viros, qui ex terris Babylonicis in patriam redierunt, solus ille claro nomine *Scribae periti in lege* a popularibus suis condecoratur *) Vaterus **) eam ob caussam nomen hoc clarum nactum esse putat, quod forte de accuratiori textus sacri descriptione, sive litterarum hebraearum in characteres Assyriacos mutatione bene meritus fuerit; sed satis hanc sententiam Clericus (in Comment. ad Esr. pag. 655.) refutavit, quare uberiori supersedere possumus. Magis ad veritatem accedunt, qui istas Esrae laudes inde profectas opinantur, quod in sacris litteris interpretandis prae caeteris fuisset insignis; nam eadem significandi potestate vocabulum סופר in libris serioris aevi pollet. Mirum tamen mihi semper visum est, quod Esra *solus* sit, qui peritus interpretandae legis dicatur, semperque arrisit mihi traditio Rabbinorum: iussu et auspiciis Esrae collegium centum viginti Seniorum in colligendis priscis documentis, quotquot eorum deprehendi potuissent, operam suam posuisse (cf. Talm. Fr. Pirke aboth.

---

*) cf. Esr. 7, 6. 10. 21. 26. Neh. 8, 1. 4. 9.

**) l. c. p. 687.

Cap. 1. Babâ bathra fol. 15.) magisque arrisit traditio, Esram Pentateuchi compositionis magnas habuisse partes. *Sive Moysen*, dicit *Hieronymus* ad Helvidium in disputatione de perp. Virg. Mariae, *dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esram eiusdem instauratorem operis, non recuso.* Eandem traditionem refert Augustinus, vel quisquis sit auctor libri de mirabilibus s. scripturae, hisce verbis: *Interea captivitatis tempore completo, quod Dominus per prophetas implendum esse praedixerat, reversionem populi sui et captivitatis solutionem per Cyri regis clementiam praeparabat. Quo tempore Esdras Dei sacerdos combustam a Chaldaeis in archivis templi restituit legem.* Utpote qui eodem spiritu, quo ante ipsum Moses, plenus fuit. Cf. Iren. adversus haer. III, 25. Clem. Alex. Strom. 1, 1. Longe lateque ergo ista traditio propagata fuit, et non dubitarunt doctissimi S. S. Patres assensum ei praebere, quamquam *iudaica* fuit traditio.

Recentioris aevi Critici in eo consentiunt omnes, hanc traditionem nullius momenti esse et tanquam fabulam et commentum Rabbinorum penitus reiiciendam. Deflectamus paullulum ab ista criticorum sententia et deducamus e traditione, quae sua sponte inde fluunt. Cum ab omnibus in concesso sit, cunctis fere priscorum Rabbinorum narrationibus et traditionibus, utut prodigiosis, veram aliquam historiam subesse: necessario investigare nos oportet, quid veri antiquissimae de instauratione Pentateuchi traditioni subsit; et obviam fit responsio, Esram *de textu Pentateuchi bene meritum esse.* Qua in re id meritum constiterit, traditum est, nimirum Esram divinitus inspiratum restaurasse textum Pentateuchi Hierosolymis igne consumti. Sit falsa haec Esrae inspiratio, sit falsa historia instaurationis; id tamen inde efficitur, antiquissimis temporibus opinionem fuisse Iudaeorum, *ante Esram nulla extitisse Pentateuchi exemplaria.* Iam quaero, an talis opinio, quae

auctoritatem librorum Mosaicorum infringit, saltem dubiam reddit, exoriri et propagari potuerit, si ante Exilium adfuisset Pentateuchus, vel plura eius exemplaria in manibus fuissent versata. Pentateuchi quidem *Mosaici* fidei et auctoritati hanc ipsam traditionem periculum facere, optime Iudaei senserunt, sed tantum abfuit, ut periculum tollerent simpliciter asserendo, alia adhuc (praeter illud quod igne consumtum erat) exemplaria thorae extitisse, ut confugerent ad fabulam, Esram divinitus inspiratum textum instaurasse; et cum iis ista fabula non adhuc satis idonea videretur ad curas ex animis excutiendas, in auxilium adsciverunt narrationem 2. Maccab. 2. exemplar in templo depositum a Ieremia esse inventum et postea cum exemplari Esrae collatum. Adeo persuasi erant Iudaei, ante Esram nulla prorsus adfuisse Pentateuchi exemplaria. — Quae ex traditione dubia et incerta deduximus, documentis ipsius sacrae scripturae comprobantur.

§. 19.

Postquam omnibus, qui in Assyria degebant, Iudaeis potestatem dederat rex Persarum, in patriam redeundi, haud parva colonia duce Serubabele Palaestinam redibat, urbem Solymam aliaque vicina oppida domicilio sibi diligebat, ad templum restituendum se accingebat, intereaque cum filiabus vicinarum gentium, Canaanitarum, Hethitarum, Pheresitarum e. a. coniugia Iudaei inibant *). Quanquam vero eiusmodi coniugia a Mose erant interdicta **), nemo tamen aderat, qui legem Mosaicam in memoriam Iudaeis revocaret, tantoque crimini obsisteret; imo ipsi principes,

---

*) Esr. 9, 1.
**) Deut. 7, 3. 4.

praepositi et sacerdotes legem negligebant. An hoc fieri potuisset, si Pentateuchum ad manus habuissent? Numquid nobis persuadere possumus, populum, qui tanta animi voluptate sacrum patriae solum ingreditur; qui tanto fervore templum aedificare incipit, machinationibus adversariorum non territus; qui tanta religione minutissimis quibusque legibus, quarum est notitia, obsequium praebet, negligere praeceptum maximi! momenti, quod atrocissimis comminationibus proclamaverat legislator? Postquam autem Esra advenerat, animum vexare incipit atrox crimen, uxoresque illegali coniugio sibi adsociatas lubenter dimittunt. An maiori apud Iudaeos auctoritate valuerit Esra quam stator rerum hebraearum Moses? An maiori vi mentem stimulaverint Esrae lacrimae, quam Iehovae terribiles comminationes? Certe alia non fuit caussa, quod uxores dimitterent, quam quod Esra Pentateuchum ad eos deportaret, legemque monstraret, quam neglexerant.

In relatione de festo tabernaculorum, (Esr. 3.) quod *tempore Serubabelis* Iudaei celebrabant, omnia prolixe enarrat auctor libri Esrae sacrificia Iehovae delata aliaque minoris momenti adiuncta; de *ritu* autem *primario* huius festi, *de praelectione thorae* ne verbo quidem mentionem facit. In relatione de eodem festo (Neh. 8.), quod *tempore Esrae* ab Iudaeis celebratum est, nihil enarratur de sacrificiis, nihil de caeteris adiunctis; sat prolixa autem exstat narratio de *praelectione thorae*, tanquam de re *nova*, *inaudita* et *insolita*. Sed non urgebimus, quae ex hisce locis deduci possunt; nam adiuncta quaedam huius praelectionis referuntur, quae litem nostram dirimere possunt. Altero autem die, ait sacer textus (Neh. 8, 13.) adierunt principes familiarum totius populi, Sacerdotes et Levitae Esram, *ut in verbis legis se erudiret*. Haec autem eruditio in verbis legis nec *explicationem*, nec *versionem* in linquam chaldaicam designat: non explicationem; quis

enim crediderit, thoram ante Esram non fuisse intellectam; quis crediderit, *principes* populi, *sacerdotes* et *Levitas* adeo rudes, adeo imperitos fuisse, ut thoram non intelligerent, si in manibus eam habuissent. Non *versionem;* illo enim tempore nondum lingua hebraea ita fuit intellectu difficilis et obsoleta, ut cultiores homines, ut Sacerdotes eam non callerent: sed *expositionem rei* designat, *quam antea non cognoverant*, ut sequens Versus (14.) indicat. *Invenerunt* antem scriptum, ait textus, in lege, quam dedit Iehova per Mosen, habitare oportere Israelitas sub frondeis tabernaculis, tempore septimi mensis; et promulgare et pronunciare etc. Nesciebant ergo Israelitae, antequam in lege ab Esra eruditi sunt, ritus solennes, quos in hoc festo observandos voluit Moses; nesciebant specialia adiuncta, quibus festum celebrandum esset. Iam initium ceperat celebratio festi, et nondum iis cognitum erat, folia oleagina, folia myrti, palmae etc. advectanda et tabernacula frondea exstruenda esse. Die demum secundo, postquam in thora praeceptum *invenerant*, defectum resarcire properabant. Nullam igitur legum Mosaicarum 3. Mos. 23, 34—43. 4. Mos. 29, 12—39. nullam, ut verbo expediam, Pentateuchi ante adventum Esrae notitiam habuere. Et nunc comprehendimus, quare solenni modo Neh. 10. foedus inierint, comprehendimus, quare enumerata sint praecepta, quibus obsequium semper se praebituros promiserant: scilicet, *nova* erant Israelitis ista praecepta.

§. 20.

Ulterius ergo non dubito, quin Esra fuerit, qui thoram eo ordine, quem adhuc tenet, dispositam, primus in Iudaeam adportavit, et ad normam eius cultum sacrum, novaeque reipublicae formam restituit. Splendidissimis ingenii facultatibus praeditus, tali operi

perficiendo aptus; ingenti fervens religionis amore, pietate insignis, nulloque pollutus crimine alienus erat a pruritu, commenta captandi, vel dubiis traditionibus fidem adhibendi; munia, quae obidat in Palaestina, eadem fere, quae Moses in Aegypto et Arabia obibat, sanctitatis et divinae sanctionis characterem operi suo imprimebant, efficiebantque, ut eadem veneratione scripta Esrae Iudaei amplecterentur, qua quondam in deserto amplectebantur sacerdotes thoram Mosis.

Commentatio *de loco Koheleth* 11, 9—12, 7.

Scripsit

Iul. F. Winzer Theol. D. et Prof. Ord. Lips. *).

Qui Koheleth s. Ecclesiastes inscriptus est liber, eius auctor postquam ex undecimi capitis initio de praesentis vitae bonis recte, id est sapienter et prudenter, usurpandis *homines* admonuit *in genere*, quippe qui opum bene collocatarum fructus reportaturi sint insperatos, quid mali sit eventurum in terris, ignorent, facta infecta reddere nequeant, modum rationemque gubernationis divinae haud perspiciant, rerum denique humanarum ac terrestrium omnium vanitatis atque inconstantiae debeant esse bene memores: in eiusdem capitis parte extrema et septem versibus prioribus capitis sequentis *separatim ad iuvenes* orationem convertit, eosque in εὐθυμίαν et laetitiam, quae cadat in ipsos, quaeque cum debita Deo reverentia et perpetua iudicii divini cogitatione sit coniuncta, exhortatur. Tempus nimirum ait instare tristissimum, quo laboribus plurimis ac molestiis delassati homines, iidemque suspiciosi

*) Haec commentatio, passim aucta et emendata, tribus partibus constat, ab auctore doctissimo deinceps editis ann. 1818 et 1819.

timoris pleni, ad omnem voluptatis et hilaritatis sensum hebescant, tandemque excedere vita cogantur. Quem quidem locum, sive vocabulorum, quae in eo leguntur, et loquutionum vim ac potestatem, sive imaginum atque comparationum delectum, sive sententiarum propositarum naturam et rationem, sive denique partium, quibus constat, adornationem et coagmentationem spectaveris, difficilioribus ad intelligendum atque obscurioribus esse adnumerandum, penes quos de his rebus iudicium est, uno omnes ore testantur. Et quanquam ille praeter eos, quorum cura ac diligentia in illustrando toto libro versabatur, peculiares etiam nactus est interpretes tum alios, tum duos maxime, subtilissimos et doctissimos, Ioannem Bernardum Koehlerum, cuius *Observationes criticae ad Ecclesiastae caput ultimum*, editae denuo, passim emendatae et auctae, leguntur in: Repertor. für bibl. u. morgenl. Literat. P. XVI. p. 199 sqq., et Henricum Fridericum Pfannkuchium, qui *Exercitationes in Ecclesiastae Salomoni vulgo tributi locum vexatissimum Cap.* 11, 7. — 12, 7. Gottingae 1794. 8. prodire iussit: tamen, ad eum explanandum si nostram etiam conferremus operam, facilem ab aequis harum rerum arbitris veniam nos impetraturos esse speravimus.

Cap. 11, 9.

שְׂמַח בָּחוּר בְּיַלְדוּתֶךָ) *Laetare, iuvenis, in adolescentia tua.* Non serio, sed ironice, haec et subsequentia esse accipienda, Kimchi, Munsterus, Mercerus, Drusius, Vatablus aliique, suum dumtaxat sequuti arbitrium, et ad mentem scriptoris parum apte statuerunt, quippe qui laetitiam tanquam praesentissimum atque efficacissimum infirmitatis rerum omnium et imperfectionis solatium per totum fere librum commendat. Cf. cap. 2, 10; 3, 12. 13. 22; 5, 17. 18; 6, 1—6. 9;

7, 14; 8, 15; 9, 7—9; 11, 8. Ex altera parte qui Epicuraeam, quam dicunt, voluptatem et licentiam hoc in loco concedi iuvenibus, imo commendari et suaderi monent, haud profecto minus ab vero aberrant. Sunt quidem oblectamenta, eaque non animi solum, sed etiam sensuum, quorum Noster potestatem iuvenibus facit et usuram largitur, nec tamen gaudia immodica atque effraenata, sed certis circumscripta limitibus et cogitatione Dei iudicis sapienter temperata. Id quod ex iis, quae in hoc ipso commate porro leguntur, clarissime apparet. Vocabulo בְּיַלְדוּתֶךָ, quod nonnisi hic et v. 10. de *adolescentia*, s. tota illa aetate, quae est infra virilem, usurpatum legitur, non tam *obiectum* laetitiae, uti e. c. Dathio visum est, quam potius *tempus* gaudendi notatur. Et in permultis quidem codicibus mss., etiam aliquot editis, numero plurali scriptum exstat בְּיַלְדוּתֶיךָ, quod ipsum Lilienthalius in editione, quae Pragae a. 1518 cum commentario Raschii prodiit, se reperisse testatus est. Veterum tamen interpretum auctoritas lectionem receptam tuetur. LXX: *ἐν νεότητί σου*. Vulgat: *in adolescentia tua*. Item Arabs. Nec Chaldaeus, qui plenius redditit בְּיוֹמֵי עוּלֵימוּתָךְ, *in diebus adolescentiae tuae*, aliter legisse censendus est. Huic Syrus consentit, qui habet ܒܝܘܡܝ ܥܠܝܡܘܬܟ ܚܕܝ ܥܠܝܡܐ ܘܢܛܐܒ ܠܟ *in diebus adolescentiae tuae laetare, adolescens, et bene sit tibi*, nisi eum בְּיַלְדוּתֶךָ omisisse, et tantum sequens בִּימֵי בְחוּרוֹתֶיךָ expressisse, cum Koehlero statuas. Gr. Venet. *ἐν τῇ παιδιότητί σου*.

(וִיטִיבְךָ לִבְּךָ) *Et bene faciat tibi cor tuum, i. e.* hilarem te esse iubeat animus tuus, ex animo laeteris. LXX. *καὶ ἀγαθυνάτω* (cod. 2. a b. Spohnio coll. *ἀγαθυνέτω*) *σε ἡ καρδία σου*. Vulgat. *et in bono sit*

cor tuum. Chald. עֲלָךְ וִיהֵי לִבָּךְ טָב· Symmach. *καὶ ἐν ἀγαθῷ ἔστω ἡ καρδία σου.* Gr. Ven: *καὶ ἀγαθυνῆς τὴν καρδίαν σου.* — בִּימֵי בְחוּרוֹתֶךָ) Respondere haec praecedenti בְּיַלְדוּתֶךָ manifestum est. Neque variant antiqui. LXX. *ἐν ἡμέραις νεότητός σου.* Vulgat. *in diebus iuventutis tuae.* Chald. בְּיוֹמֵי רַבְיוּתָךְ· Arabs: في ايام شبيبتك Gr. Ven: *ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς νεανισκότητός σου.* Hieronymus in Comment. *in diebus adolescentiae tuae.* Perperam igitur Arias Montanus, etymon vocabuli בְּחוּרוֹת (quod nonnisi Cap. 12, 1. repetitum legitur) sequutus, vertit: *in diebus electionum tuarum,* quem tamen imitatus Desvoeux *) transtulit: *in den Tagen deiner Wünsche.*

וְהַלֵּךְ בְּדַרְכֵי לִבְּךָ וּבְמַרְאֵי עֵינֶיךָ) *Et incede in viis cordis tui, atque in adspectu oculorum tuorum;* consectare, quidquid animus concupiverit, et oculi sibi oblatum adpetierint, i. e. omnino, animo et sensibus indulge. Mercerus manifestam hic monet esse ironiam; id quod pateat tum ex sequenti *sed scito* etc., tum ex praesenti formula, quae in malam partem sumatur Numer. 15, 39. Enimvero bene iam Lutherus, *manendum est,* inquit, *in argumento et consequentia textus.* Nempe, quae subiiciuntur, quum intelligi debeant proprie, et restringendi ac coërcendi vim habeant: ea, quae hic legimus, et ipsa non aliter sunt capienda, nec quidquam habent iustae offensionis. Textus quidem Vaticanus versionis LXX. haec offert verba: *καὶ περιπάτει ἐν ὁδοῖς καρδίας σου ἄμωμος, καὶ μὴ ἐν ὁράσει ὀφθαλμῶν σου,* pariterque Arabs: وتصرف غير معيب في طرف قلبك ولا تتصرف في معاينة عينيك *et versare immunis ab vitiis in viis cordis*

*) Vid. A. V. Desvoeux *Philosophischer und kritischer Versuch über den Prediger Salomo etc. Aus dem Engl. übers. v. Ioh. Pet. Bamberger. Halle, 1764. 4. p. 413.*

tui, *neque versare in adspectu oculorum tuorum.* Sed in Cod. Alex. et Complutensi, nec non in Olympiodori commentariis, μὴ illud deest; idemque, uti vox ἄμωμος, in versione latina Hieronymi, quae commentariis eius in Ecclesiasten est adiuncta *), in Vulgata et in vers. Syriaca omittitur. Recte. Est enim glossema, additum illud propterea, ne auctor libri cupiditatibus humanis laxasse fraena videretur. Quod ipsum Chaldaeus metuens, verbosius scripsit: וְאַזֵּל בְּעִנְוְתָנוּתָא עִם אוֹרְחֵי לִבָּךְ וּתְהֵי זְהִיר בְּחֶזְוֹנֵי עֵינָךְ וְלָא תִסְתַּכַּל בְּבִישׁ. Sed Gr. Venet.: *καὶ ἀπέρχου εἰς ὁδοὺς τῆς καρδίας σου, καὶ ἐς ὄψεις τῶν ὀφθαλμῶν σου.* — In vocabulo וּבְמַרְאֵי, pro quo tamen libri bene multi et scripti et editi וּבְמַרְאֵה exhibent, י pro ה positum notant Masorethae, ut singularis sit, non pluralis, uti Ezech. 1, 5.

וְדָע כִּי עַל־כָּל־אֵלֶּה יְבִיאֲךָ הָאֱלֹהִים בַּמִּשְׁפָּט׃

Sed scito, fore, ut propter haec omnia adducat te Deus in iudicium. LXX: *καὶ γνῶθι* (cod. 2. a b. Spohnio coll. *γνώσῃ*, Gr. Ven. *γίνωσκε*), *ὅτι ἐπὶ πᾶσι τούτοις* (Olympiodorus inverso ordine: *ἐπὶ πᾶσι τούτοις, ὅτι*) *ἄξει σε ὁ θεὸς ἐν κρίσει* (in duob. codd. ap. Spohnium: *εἰς κρίσιν*, Gr. Ven.: *ἐς τὴν κρίσιν*). Verba ista, in se spectata, ad *iudicium post mortem futurum*, quod interpretes antiqui tantum non omnes et recentiores plurimi cogitarunt, referri *posse*, haud temere quisquam negaverit. Sed ex eo nihil consequitur, quod de sensu vocabulorum vero et unice admittendo nos faciat certiores. Etenim primo illud ipsum iudicium extremum intelligatur *non necesse est*, tum quia de *tempore* iudicii Noster et hic et alibi (cap. 3, 17;

*) Cf. *Hieronymi Opp. Tomi VII. p. 78.* ex edit. quae Francof. ad Moenum et Lips. prodiit.

8, 5. 6; 12, 14.) prorsus conticuit, tum quia Deus iam *in terrestri vita constitutos* homines iudicare, cum iis contendere, eorumque sive obsequium ornare praemiis, sive contumaciam poenis adficere in aliis V. T. scriptis sexcenties dicitur. Cf. Ps. 7, 7—9. 12; 9, 5. 20; 50, 1—6; 143, 2. Iob. 14, 3. Ioël 3, 7. Ies. 66, 16. Ierem. 25, 31. Ezech. 17, 20; 20, 35; 21, 30; 28, 22. etc. Quodsi porro ea huius libri loca contulerimus, in quibus hominum et animalium unam eandemque esse conditionem ac sortem, omnia eundem petere locum, nihil esse, quo bestiis antecellant homines, *nullam mercedem*, nullam amplius agendi facultatem, aut scientiam, aut sapientiam esse apud inferos, magna adseveratione Koheleth adfirmat (cf. Cap. 3, 19—22; 9, 5. 6. 10.): evidens est, de vita hominum post corporis destructionem atque interitum aut continuanda aut recuperanda eum nequaquam persuasum habuisse, adeoque iudicium et remunerationem post mortem demum locum habituram *ne licere quidem* ex mente scriptoris cogitare. (Vid. infra ad Cap. 12, 7.) Cuius sententiae veritas alio insuper, quod Clericus memoravit, argumento confirmatur. Nempe si de postremo, inquit, iudicio rem intellexisset auctor, numquam egisset tam breviter ac tam frigide de re tanta, et qua posita ratio omnium, quae dixit, redditur. Multo pluris intererat, huius rei pluribus et clarioribus verbis meminisse, quam rerum humanarum inanitatis, quae satis erat nota. Proinde dictionum sensus hoc modo videtur esse constituendus: *scito tamen, in gaudiorum fructu quodcunque vel ex voluntate divina vel contra eam admiseris, Deum tibi redditurum, ita ut, si licitis usus fueris voluptatibus, bene, sin illicitis, male sis habiturus.* Secus tamen statuit Pfannkuchius l. l. p. 10 sq. Qui quum auctorem libri voluptatem ubique, nulla moderationis in ea adhibendae mentione facta, tamquam summum bonum praedicasse, nec de

finibus, quibus ista ex rationis legibus circumscribenda esset, cogitasse censeret, locum sic vertendum putavit: *perpende, Deum te in istis omnibus* (gaudiis) *de statu tuo deiicere, malisque adfligere posse.* Nimirum עַל positum pro בְּ (veluti cap. 5, 1.), יְבִיאֲךָ vero ex notitione aoristi de eo, quod fieri possit vel soleat, sumendum esse monuit, ut prodeat sententia: laetandum est, dum fata sinunt, turbantur enim saepe opinione citius tempora gaudii plena adversis casibus. Provocavit ad Cap. 5, 19., ubi simili modo commendaverit scriptor laetitiam, hac addita ratione: כִּי הָאֱלֹהִים מַעֲנֶה בְּשִׂמְחַת לֵב הָאָדָם, *nam Deus in gaudiis ipsis* (saepe) *adfligere solet animum hominis.* Verum enimvero ut taceam, Cap. 2, 3. de voluptatum perceptione cum studio sapientiae coniuncta, eiusque tamquam imperio moderata, sermonem utique institui: loquutiones יְבִיאֲךָ בַמִּשְׁפָּט et יַעַנְךָ, dubito, an ex Hebraeorum consuetudine dicendi pro synonymis recte habeantur, quandoquidem, quae priori formulae inest *remunerandi* notio, eandem posteriori verbo subesse, probari nequit. Hanc ipsam ob caussam facere non possum cum Io. Ern. Chr. Schmidtio, qui *) הֵבִיא בַמִּשְׁפָּט et שָׁפַט apud Nostrum denotare: temporum vicissitudinibus et mutationibus subiicere, *dem Periodenwechsel unterworfen*, ingeniose quidem, sed invito, si quid intelligam, linguae usu pronuntiat.

Vers. 10.

Continuatur in hoc versiculo exhortatio ad capessendam laetitiam, subiuncta caussa, a fugacitate iuventutis petita: (וְהָסֵר כַּעַס מִלִּבֶּךָ וְהַעֲבֵר רָעָה מִבְּשָׂרֶךָ

---

*) in libr. *Salomo's Prediger, oder Koheleth's Lehren; Versuch einer neuen Uebersetzung und richtigen Erklärung. Giessen*, 1794. 8. p. 130 sq. p. 173. p. 197 sq.

Amove tristitiam a corde tuo, et averte malum a corpore tuo. Versionum antiquarum auctores ad unum omnes כַּעַס reddiderunt *iram.* Unde interpretum nonnulli iram Dei, alii iram, qua commoventur iuvenes, quum ab voluptatibus ad Dei timorem revocantur, alii vero, e. c. Hieronymus, Mercerus, Geierus, perturbationes omnes et vitiosos, quibus animos iuvenum aestuare dicebant, adfectus intellexerunt. Similiter רָעָה, quod LXX. πονηρίαν, Hieronymus et Vulgat. *malitiam,* Chald. בִּישׁ, Syrus: ܒܝܫܬܐ Arabs: الشر, Gr. Ven. κακίαν interpretati sunt, ad *vitia* et *scelera,* eaque mox in genere, ut Castellio, Mercerus, Geierus et Clericus, mox singula, e. c. concupiscentiam malam, velut Munsterus, aut libidinem, ut Drusius, retulerunt. Omnem itaque locum sensu morali acceperunt, hortationis nempe ad studium virtutum vitiorumque fugam. Sed explicationem aliam et dicendi ratio, quam usurpavit Noster, postulat, et sententiarum cohaerentia suadet. Nempe כַּעַס, quod Cap. 1, 18. vocabulo מַכְאוֹב respondet, Cap. 2, 23. cum eodem coniunctum legitur, et Cap. 7, 3. vocabulo שְׂחֹק opponitur, *moerorem* potius et *sollicitudinem* denotat, quae μεμψιμοιρίαν, quam Grotius in mente habuit, facile gignit. Et quemadmodum illa ad *animum* pertinet: ita רָעָה omnis generis *mala* designare, quibus adficiatur *corpus,* in promptu est. Proinde verba praecedentis versiculi: *laetare, iuvenis* etc. h. l. per contrarium remotum illustrantur, et monentur iuvenes, ut tristitiam animi vel tentantem non admittant, vel praesentem eiiciant, quidquid autem iniucundum, molestum; noxium sit corpori, ab eo avertant.

(כִּי־הַיַּלְדוּת וְהַשַּׁחֲרוּת הָבֶל׃) *Nam adolescentia et iuventus sunt halitus.* Vocabulum שַׁחֲרוּת, quod praeterquam in h. l. nusquam observatur, deduci et posse et vero etiam debere a שַׁחַר, *aurora,* praeeuntibus

Aben-Esra et Davide Kimchi recte monuisse videntur recentiores interpretes tantum non omnes. Nec tamen proprie nunc capiendam esse hanc vocem, et merae comparationi inservire putaverim, ita ut *adolescentia et aurora* posita sint pro *adolescentia pariter atque aurora*, qua ratione e. c. van der Palmius, Dathius, Spohnius, Io. Ern. Chr. Schmidtius, Nachtigalius et Ios. Fr. Schellingius in versionibus et commentariis ad h. l. expresserunt. Imo improprie adhibetur; et ad tempus vitae matutinum, i. e. aetatem primam et iuvenilem, commode transfertur, estque synonyma voc. יַלְדוּת, cui subiungitur. Quod postremum statuisse videntur etiam versionum antiquarum anctores, quamquam non idem sunt etymon sequuti, nec, si a Gr. Venet. discesseris, in qua legitur ἡ νεότης, ipsum iuventutis nomen reddiderunt. Alexandrini nimirum, qui habent ἡ ἄνοια, unde manavit Syri ܠܐ ܡܝܕܥܐ *ignorantia*, et Hieronymi *stultitia*, שַׁחֲרוּת sine dubio petierunt ab radice שָׁחַר, *nigrum esse*, et cogitarunt mentem iuvenum quasi nigram ac tenebris (cf. syr. ܥܡܛܐ *caligo*,) involutam; quos imitatus Castellio vertit: *imperitia*. Ad eandem vocabuli originem respiciens Chaldaeus explicuit: יוֹמֵי אוּכָמוּת שְׂעַר *dies nigredinis crinium*, adstipulante R. Salomone, qui iuventam a nigris capillis שַׁחֲרוּת vocatam esse asserit, id quod post alios Koehlerum adsensu suo comprobasse mireris. Vulgati *voluptas* quo ex fonte fluxerit, quidque sibi velit, est incertum. Quodsi quis emendator e textu hebr. posuerit: fortasse ad voc. שַׁחַר, quod primum commemoravimus, respexit, et *aurorae* tropicam *voluptatis*, i. e. *laetitiae*, *prosperitatis* significationem subiecit. Veri tamen similius est, scriptorem illud *voluptatis* nomen sensu malo usurpasse, et pariter atque Arabem, qui الشاذة, *iniquitatis operatio*, scripsit, ob oculos habuisse Alexandrinorum in-

terpretationem *ἄνοια*. Quod enim suspicatus est Koehlerus, Arabem in codice suo Alexandrinae versionis *ἀνομία* pro *ἄνοια* legisse: nescio, an multum ponderis habeat haecce opinio. Ipsa potius vox *ἀνοίας* in eam facile sententiam illum adducere poterat, ut *iniquitatis* s. *improbitatis* notionem reddendam esse existimaret, quandoquidem *insipiens* is quoque, qui vitam agit *improbam*, Hebraeis nuncupatur. — Aetati autem iuvenili tribuitur הֶבֶל, non quod in ea constituti inania moliantur, multisque obnoxii sint erroribus et vitiis, ut perperam olim nonnulli, item Clericus, statuerunt, sed quia non constans est, et cito, tamquam halitus, cum omni laetitia sua transit.

Cap. 12, 1.

Hortationem ad iuventutis, dum per eam liceat, fructum percipiendum Koheleth in principio huius capitis iterum quasi terminis circumscribit.

(וּזְכֹר אֶת־בּוֹרְאֶךָ בִּימֵי בְּחוּרֹתֶךָ. *Et memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae.* Pendent haec a superioribus, quibuscum hoc modo cohaerent: indulge genio, abesse iube ex animo moerorem, et incommodum quodvis a corpore tuo averte, ita tamen, ut simul Dei, cui vitam debes, eiusque, quae cum eo tibi intercedit, rationis ac necessitudinis memoriam conservare et pia mente recolere maturae adsuescas. Hoc enim innuere verbum זָכַר, quando ad Deum tanquam obiectum referatur, et tam late patere, ut agnitionis eius, assiduae cogitationis, et religiosi cultus, qui in sensibus et actionibus inest, notiones complectatur, tum res ipsa docet, tum loquendi usus Hebraeorum extra dubitationem ponit; in quo etiam formula contrarium efferens, *Dei oblivisci* (שָׁכַח) i. e. eum non agnoscere, non vereri, non curare, nec morem ei gerere, notabilis est. Vid. Deuter. 8, 18. coll. v. 11. 14.

19 sq. Ps. 9, 18; 106, 21. Adde loca nostro similia Ies. 54, 5. et Ierem. 13, 16. Quare suffragari Pfannkuchio non possumus, qui (l. l. p. 13.) verba textus hebr. ita redditit: *grata mente fruere beneficiis, quae Deus largitur, eumque laudibus celebra;* quippe quae explicatio et nimis angusta est, et vero etiam iis, quae de *ratione iudicii divini habenda* in antecedentibus monuit auctor, non satis bene respondet. — De numero plurali בּוֹרְאֶיךָ varie statuerunt interpretes. Et veteres quidem, ad quorum partes Geierus etiam et Seb. Schmidtius accesserunt, personarum in unitate essentiae divinae pluralitatem indicari existimarunt; de cuius sententiae veritate quum nemo unus sibi hodie persuadeat, non est, quod illi impugnandae immoremur. Alii Iod plurale deleri, et בּוֹרַאֲךָ singulari numero scribi maluerunt, quod praeter aliquot codices Kennic. et Ross. itemque duos Regiomontanos a Koehlero collatos et excerptos, editiones exhibent multae, quodque post Houbigantium, qui lectionem receptam propterea damnandam iudicavit, quoniam non de parentibus h. l. agatur, sed de conditore Deo, Koehlerus etiam et Spohnius praeferendum duxerunt, quia versiones antiquae inter se concinunt in exprimendo singulari. Masorethas tamen pluralem legisse, ipso Koehlero teste indicio est hoc, quod notarunt, non amplius in numero multitudinis occurrere vocem. Proinde non certa satis videtur sollicitandae lectionis ratio. Neque opus est mutatione. Nam nomen illud, prouti est, potest sic defendi, ut statuatur esse pluralis, quem dicunt, magnitudinis s. excellentiae. Eum nempe constat, quando sermo instituatur de Deo aliove domino, non ita solum exprimi, ut participium plurale substantivo singularis numeri iungatur, e. c. Iob. 35, 10. אַיֵּה אֱלוֹהַּ עֹשָׂי *ubi est Deus, conditor meus?* aut ut tam substantivum quam adiectivum numeri pluralis nomini, ad

quod spectat, singulari adponatur, veluti Ios. 24, 19.: אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא, *Deus sanctus est ille*, verum etiam ita, ut adiectivum aut participium plurale ad substantivum numeri pluralis omissum, sed supplendum, referatur, e. c. Prov. 9, 10. (coll. 30, 3.), ubi קְדֹשִׁים, quod respondet praecedenti יְהוָה, pendet ab omisso אֱלֹהִים, et Ps. 149, 2. ubi ad בְּעֹשָׂיו vocabulum אֱלֹהִים pariter subintelligi debet. Cuius loci postremo laudati eadem prorsus est ratio, quae hic obtinet. (Vid. Gesenius in libr. *Ausführliches grammatisch-krit. Lehrgebäude d. hebr. Sprache* etc. p. 664.) Quapropter calculum adiicere non licet sententiae Io. Ern. Chr. Schmidtii, qui (l. l. p. 198.) verba textus hebr. hoc modo vertit: *freue dich, dass du geschaffen bist, freue dich deines Daseyns* (quod ipsum Nachtigalius*) probavit), simul vèro monet, בּוֹרְאֶיךָ explicari etiam posse: *die Iahre der Blüthe der Gesundheit* (arab. בר a ברא, *sanitas*), quod utrumque alienum est a dicendi more Hebraeorum.

(עַד אֲשֶׁר לֹא־יָבֹאוּ יְמֵי הָרָעָה) *Dum non venerunt dies mali*, i. e. antequam ingruat tempus, quo tristia quaeque succedant. LXX in edit. Romana: *ἕως ὅτου μὴ ἔλθωσιν αἱ ἡμέραι τῆς κακίας.* in textu Alex. *ἕως οὗ* (it. cod. 1. a Spohnio collatus, nec non Olymp.) *μὴ* (omiss. in cod. 2. Spohn.) *ἔλθωσιν ἡμέραι* (it. cod. 1. Spohn.) *τῆς κακίας σου* (it. cod. 2. Spohn. pariterque Arabs: إيام شرك, *dies calamitatis tuae*). Symmach. *πρὶν ἐλθεῖν τὰς ἡμέρας τῆς κακώσεώς σου.* Vulgat. *antequam veniat tempus adflictionis.* Sed antiqua Hieronymi: *antequam veniant malitiae,*

*) in libr. *Koheleth oder die Versammlung der Weisen.* Halle, 1798. 8. p. 239. et p. 243. sq.

omiss. voc. *dies*. Gr. Venet. ἄχρις ὅτου μὴ ἀφίκωνται αἱ ἡμέραι τῆς κακώσεως. Vocabulum רָעָה in V. T. passim denotare *miseriam*, *calamitatem*, *aerumnam*, neminem fugit. Quare et hic nonnulli de *rebus adversis et tristibus* sensu latissimo acceperunt; alii velut Nachtigalius, cogitarunt *mortem*; alii vero iidemque plurimi, post R. Salomonem et Aben-Esram, ad *senectutis incommoda et molestias* retulerunt. Idque verissime, propter ea, quae vs. 2. sqq. leguntur, quibuscum, frustra contra pugnante Pfannkuchio, arctissimo sunt vinculo coniuncta. Antiquorum interpretum de *diebus mali* commenta et somnia vide a Geiero et Seb. Schmidtio ad. h. l. exposita.

(וְהִגִּיעוּ שָׁנִים אֲשֶׁר תֹּאמַר אֵין־לִי בָהֶם חֵפֶץ׃. *et* (dum non) *accesserunt anni*, *de quibus dicas: non est mihi in iis delectatio*. Repetit auctor sententiam priorem de aetate senili multis nominibus incommoda. Est autem, uti videtur, λιτότης, ita ut loquutio negativa: *non est mihi delectatio in iis*, emphatice posita sit pro contraria adfirmante: *maxime mihi displicent*, *sunt mihi molestissimi*, velut Cap. 5, 3. Ps. 5, 5. et alibi. — נָגַע in coniugatione Hiphilica a serioris aevi scriptoribus intransitive nonnunquam, tum de *hominibus advenientibus*, Esther 6, 14., tum vero et potissimum de *adpropinquante tempore* usurpatum legitur, veluti h. l. et Cantic. 2, 12. Ezech. 7, 12. Esther 2, 12. 15. LXX in text. Vatic. καὶ φθάσουσιν (text. Alex. φθάσωσιν, item cod. 1. et 2. Spohn., pariterque Olymp. et Gr. Venet.) ἔτη, ἐν οἷς (Gr. Ven. simpliciter οἷς) ἐρεῖς, οὐκ ἔστι μοι (abest μοι a cod. 2. Spohn. ἐν αὐτοῖς θέλημα (Gr. Ven. βούλημα).

Vers. 2.

Generalem senectutis molestae et lugubria descriptionem ab hoc inde commate excipit magis specialis,

poëtica fere, et multis variisque imaginibus, a natura et vita communi petitis, distincta; in cuius explicatione magnus et olim fuit, et est etiam nunc, interpretum dissensus, de quo paullo post videbimus. Illam ipsam tamen de *senectute* sententiam, inde a Chaldaei temporibus usu paene perpetuo tritam, impugnavit et tam acriter insectatus est Pfannkuchius (l. l, p. 18 sqq.), ut, qui eam sequerentur, coniecturis arbitrariis, violentis, parumque probabilibus indulgere, neque eo quidem pervenire diceret, ut unitatis vinculum, quo singula orationis membra bene iungerentur, invenirent. Alia igitur expediendae rei ratione inita, *tempestatis horribilis*, *prima aestate coortae*, descriptionem exornatam satisque politam, qua adumbrarentur casus vitae adversi interitumque minantes, in eo, qui sequitur, loco reperisse sibi visus est. *) Utut autem largiamur, dictiones nonnullas in hac sectione, praesertim eius principio, obvias ad istam sententiam facili negotio, et ex more linguae, posse accommodari: sunt tamen, nisi nos omnia fallant, caussae idoneae, cur in dubium vocandam, imo reprobandam eam esse iudicemus. Nempe, ut moneamus hoc primum, unitatis vinculum quale desideretur, et quo iure, vix ac ne vix quidem perspicitur, quum admissa sententia vulgari partes orationis singulae atque imagines, licet diversissimi sint generis et plus uno modo fuerint expositae, ipsa ingravescentis aetatis notione universa, communi tanquam vinculo, inter se contineantur. Deinde, quae commate 4 et 5 leguntur, aliqua certe ex parte ita sunt

*) Eandem fere, quam Pfannkuchius, sententiam nuper professus est *Frid. Vilelm. Car. Vmbreitius* in libr. *Koheleth's des weisen Königs Seelenkampf oder philosophische Betrachtungen über das höchste Gut; aus dem Hebräischen übersetzt und als ein Ganzes dargestellt.* Gotha, 1818. 8. p. 87. p. 89.

comparata, ut, nisi correctione textus vulgati ex ingenio tentata, et, quam consuetudo induxit, verborum significatione pro lubitu mutata, novae illi sententiae conciliari nequeant. Accedit denique, quod non aperta et plana est via a tempestate, verno tempore coorta, ad mortem, de qua sub finem loci disseritur, bene contra omnia fluunt, si priora ad senectutem et decrepitam aetatem, morti vicinam, referantur. — Sed age iam videamus scriptorem.

עַד אֲשֶׁר לֹא־תֶחְשַׁךְ הַשֶּׁמֶשׁ וְהָאוֹר וְהַיָּרֵחַ וְהַכּוֹכָבִים) *Dum non obscuratur sol et lux et luna et stellae.* Multum quaesiverunt interpretes et varie disputarunt de *luce*, a sole, luna et stellis diversa. Et Aben-Esra quidem lumen illud, quod oriatur ante solis ortum, et perduret post solis occasum, i. e. *diluculum et crepusculum* intellexit, haud abnuente Geiero, Mercerus sensu latiore dictam putavit *lucem solis comitem;* ad cuius opinionem accedens Augustius *) vertit: *die Sonne und ihr Licht.* Eodem ferme redit sententia Io. Henr. Michaëlis, Dathii, Schellingii et Umbreitii, quorum ille *lucidum solis sidus*, hi *lumen solis* posuerunt. Io. Dav. Michaëlis cogitandum esse *ruborem coeli vespertinum*, praeter morem linguae coniecit. Spohnius vocem וְהָאוֹר, tanquam superfluam in hac orationis serie, indicavit omittendam. Contra Koehlerus, spe tollendae difficultatis in sola emendatione posita, ex auctoritate Syri, qui habet ܢܘܗܪܗ ܘܢܘܗܪܗ ܕܣܗܪܐ ܘܕܟܘܟܒܐ, *et lumen lunae et stellarum*, pro וְהָאוֹר וְהַיָּרֵחַ rescribendum censuit וְאוֹר הַיָּרֵחַ. Sed lectionis receptae luculentum testimonium exhibet miri-

*) *Die Schriften des Alten Testaments. Neu übersetzt von J. C. W.* Augusti *und W. M. L.* de Wette. Vol. III. p. 423.

ficus caeterarum versionum antiquarum, et vero etiam codicum, si ab uno Kennicottiano discesseris, consensus. Unde haud levis suspicio oritur, istam Syri translationem non tam e lectione a nostra diversa, quam potius ex ingenio interpretis, qui difficilioris loci sensum coniectando adsequi tentaverit, originem traxisse. Quod quanquam probe perspexit Pfannkuchius, tamen et ipse vitium, idque antiquissimum, loco inhaerere, et quod nunc legitur הַשֶּׁמֶשׁ, ex margine, cui ad הָאוֹר explicandum inscriptum fuerit, librariorum negligentia in textum irrepsisse suspicatus est, ideoque haec voluit verba reponi: עַד אֲשֶׁר לֹא־תֶחְשַׁךְ הָאוֹר וְהַיָּרֵחַ. Quae coniectura pariter atque illa Koehleri praeter obscuritatem loci nihil habet, quo nitatur. Ergo de lectionis vulgatae veritate quia non ambigi potest, iudicandum erit vel ita, inesse verbis הַשֶּׁמֶשׁ וְהָאוֹר formam loquendi, quae dici solet hendiadys, quod ipsum ex iis, quos antea diximus, aliqui iudicasse videntur, vel ita statuendum, non esse haec singula verba nimium urgenda, sive quod scriptor ipse haud subtiliter et exacte ad leges physicas *lucem* a *sole* distinxerit (cuius rei exemplum adferri potest simile Genes. 1, 3—5. coll. v. 14—19), sive quod locus omnis sit poëticus et imaginibus refertus, in quo sufficiat, si notionem, quae sub illis lateat, generaliorem quandam teneamus. Nec defuerunt, qui hoc quoque praeciperent *); sed quam ipsi legem scripsissent, in ea servanda tam parum sibi constiterunt, ut orationis, quae subiicitur, singula ferme vocabula ad incommodum aliquod et vitium referrent senile. — Iam vero

*) e. c. Doederleinius (*Schol. in libros. V. T. poëticos.* Halle 1779. 4. p. 185.), Io. Henr. van der Palmius (*Ecclesiastes philologice et critice illustratus.* Lugd. Bat. 1784. 8. p. 190.) et Dathius ad h. l.

quae hic obvia sunt, ea quidem nonnulli, sensum litterae sequuti, de *oculis* intelligunt, qui, prae senecta hebentes, solem, lunam stellasque obscure iam videre incipiant, aut qui similes sint soli et reliquis coeli luminibus, eclipsin patientibus, aliove modo obscuratis. Alii, allegorice interpretati, modo de *hilaritate* vel *amoenitate faciei totius*, quam senes amittant, et cuius loco succedat obscuritas, pallor, tristitia, modo de *internis luminibus mentis*, nimirum de perspicacitate, imaginatione, memoria, iudicio, quae in illis debilitentur, modo denique de variis senii aerumnis accipiunt, quatenus omnis et *diurna* et *nocturna* senibus pereat *recreatio*. Hoc postremum qui statuunt, licet propius ad veritatem accedant, quandoquidem nihil frequentius est scriptoribus hebraeis, quam vitae prosperitatem conferre soli et luci (Iudic. 5, 31. Ies. 30, 26; 60, 20.), calamitates contra et miserias exprimere translationibus ab obscuratione aut defectu solis, lunae et stellarum petitis (Ies. 13, 10. Ierem. 4, 23. Ezech. 32, 7. 8. Ioël. 2, 2. 10; 3, 4. Amos. 8, 9.*): cavendum tamen, uti antea diximus, ne quis argutetur in definiendis et exponendis singulis, aut plura, quam par sit, mente complectatur, quod sane fecisse videntur, qui de aerumnis tum animi, tum corporis, tum status externi sermonem esse contenderent. Imo in universa *tristitiae*, quae senibus solet esse propria, notione acquiescendum, et sensus ita est constituendus: *priusquam fugiat laetitia, et nubila tempora exoriantur* **).

---

*) Vid. Rob. Lowthius *de sacra poësi Hebraeorum praelectiones*, p. 61—64. ed. Roseum.

**) Cf. Doederleinius in *Scholiis* etc. p. 185. Idem in libr. *Salomons Prediger und hohes Lied. Neu übersetzt mit kurzen erläuternden Anmerkungen.* Ed. 2. Ien. 1792. 8. p. 114. Add. *Der Prediger Salomo aus dem Hebr. aufs neue übers. und mit kritischen Anmerk. begleitet von* Gottlieb Leber. Sponn. Leipz. 1785. 8. p. 96.

וְשָׁבוּ הֶעָבִים אַחַר הַגָּשֶׁם:) *Et revertuntur nubes post imbres.* LXX. *καὶ ἐπιστρέψουσι* (codd. 2. ap. Spohn. *ἐπιστρέψωσι*) *τὰ νέφη ὀπίσω τοῦ ὑετοῦ.* Gr. Ven. *καὶ στραφῶσι τὰ νέφη μετὰ τὸν ὄμβρον.* Unus et perpetuus quasi tenor tristitiae et molestiae significatur. Quemadmodum enim *nubes*, quae coelo sereno tenebras offundunt, omne id, quod iniucundum est, quod triste, quod adversum, per metaphoram saepissime notant (cf. Ioël 2, 2. Ezech. 30, 30; 31, 12.): ita etiam *imbres* nonnumquam casuum adversorum descriptioni apud Hebraeos inserviunt. Vid. Ezech. 13, 11. 13; 38, 22. *). Quodsi nubes *reverti* post imbrem dicuntur: in promptu est, vicissitudinem incommodorum et successionem iunui continuam, quae quidem efficit, ut tranquillitas atque hilaritas animum fugiat, et tristitiam excipiat tristitia. Proinde nec de *caligantibus senum oculis*, qui tanquam nubeculis sint obducti et humoribus abundent, nedum de *rheumatibus* vel *catarrhis*, quibus continuo vexentur senes, cum Mercero, Clerico, Mendelsohnio aliisque haec accipienda esse putamus. At non magis nobis arridet sententia a' Pfannkuchio proposita, qui אַחַר הַגָּשֶׁם vertit: *post tempus pluviosum, hiemem*, et explicat: *prima aestate.* Etiamsi enim vocabula in se spectata sumi hoc sensu posse largiamur: vis tamen verborum, prouti hic iuncta leguntur, admissa interpretatione ista magnopere nobis infringi, et locus omnis videtur languescere. Neque argumentum ex v. 5. peti potest, quem ad ver respicere Pf. monuit, quod aliter se habere infra dicemus.

---

*) Frustra igitur ac sine caussa id negavit Ioh. Heinr. Dan. Moldenhawerus in: *Uebersetzung und Erläuterung über Sprüchwörter, Prediger und Hohelied des Königes Salomo.* Quedlinb. u. Blankenb. 1778. 4. p. 270.

Vers. 3.

Quo tempore contremiscunt custodes domus, et incurvantur viri validi, et otiantur (servae) *molentes, quae sunt immimutae, et obscurantur spectantes per fenestras.*

Videamus primum de singulis. Atque ab initio quidem vocabulum יוֹם patere latius, ita ut *tempus* omnino exprimat, formulamque "בַּיּוֹם שֶׁ facere periphrasin adverbii temporis *quando*, in concessis est. — יָזֻעוּ a זוּעַ, quod verbum scriptoribus V. T. non ita frequens, in dialectis Chald. Syr. (ܙܥ) et Arab. (زاع) satis notum, *commoveri* significat; unde ad *animi perturbationem*, *pavorem*, *tremorem* etc. transfertur. LXX. σαλευθῶσι. Gr. Venet. ἱδρώσουσιν. — שֹׁמְרֵי הַבַּיִת, *qui custodiunt et protegunt domum*, si homines intelligi voluit auctor, de quo mox dicemus, cogitandi sane videntur esse *servi*, utpote quibus concreditas fuisse domos in custodiam, dubitari vix potest. *Speciem* vero servorum poëtam posuisse pro *genere*, neutiquam cum Pfanukuchio putaverim, quia, universae orationi si suus constare debeat nexus ac finis, necesse omnino videtur, ut, quae verbis inest notio specialis, eam firmiter teneamus.

אַנְשֵׁי הֶחָיִל, *viri roboris* aut *virtutis*, dicuntur homines robusti, validi (Symmach. *ἄνδρες οἱ ἰσχυροί*), aut etiam fortes. De his legitur הִתְעַוְּתוּ, *inflectuntur, incurvantur*; ita enim 1, 15. מְעֻוָּת, *curvum*, opponitur *recto*; et 7, 13. עַוֵּת, *curvum reddere*, contrarium est vocabuli תַקֵּן, *rectum facere.* Nec tamen opus est, ut illud ipsum verbum de corporis convulsionibus s. spasmis, qui contrahunt et incurvant artus, usurpari h. l. dicamus, quod praeeunte R. Salomone Pfannkuchius ex ingenio magis, quam ratione sufficiente ductus, adfirmavit. Interpretes antiqui plus uno modo reddi-

derunt, LXX. *διαστραφῶσιν*, Arabs: يرتجع, *retrocedent*, Symmach. *διαφθαρῶσιν*, Aquila: *πλανηθῶσι*, Syr. ܢܬܦܟܘܢ, *agitabuntur*, vetustior Latinus interpres: *perierint.* Et hi quidem, praeter Alexandrinos et Arabem, omnes Koehlero visi sunt aut והתעו reperisse in suis libris, aut perperam התעותו deduxisse a תעה, quod Hebraeis est *errare*, et *prae errore perire.* Neutrum vero satis tutum videtur. Malim ergo existimare, eos vel graecum *διαστραφῶσιν*, suo quemque modo, expressisse (vid. Pfannkuch. ad h. l.), vel, ex ipso fonte hebraeo si hauserint, verbo הִתְעַוֵּת significatum *perverti* tribuisse (quemadmodum Ps. 146, 9. Iehova dicitur עִוֵּת דֶּרֶךְ, *pervertere viam*), ex quo fieri facile potuit, ut interpretationes istae singulae originem acciperent. Eodem potest referri, quod Gr. Venet. habet: *σκολιωθῶσιν*, et quod Vulgatus dedit: *nutabunt.* Chaldaeus denique יִתְנַקְשׁוּן, *concutientur*, vertit.

וּבָטְלוּ, *et intermittunt*, sc. laborem. Nam, quod hoc uno loco exstat, verbum בְּטֵל apud Chaldaeos, Syros et Arabes in significatione *cessandi* et *quiescendi* occurrit. LXX. *καὶ ἤργησαν*, Symmach. *καὶ ἀργηθῶσιν*, Gr. Ven. *καὶ ἀργήσωσιν*, Vulg. *et otiosae erunt.* Van der Palmius quidem (l. l. p. 191.) reddendum dicit: *deerunt*, coll. arab. بطل *vanus, nihil, frustra et incassum fuit.* Verum duae istae notiones differunt. Neque huic explicationi veterum auctoritas favet, nec contextus orationis. — הַטֹּחֲנוֹת ducitur a טָחַן, *frumentum molis fregit et comminuit*, quem fere servorum et *servarum* fuisse laborem, ex locis Exod. 11, 5. Ies. 47, 2. aliisque cognoscas. — כִּי מִעֵטוּ, LXX. *ὅτι ὠλιγώθησαν*, Syr. ܡܛܠ ܕܒܨܝ, *eo quod in parvum numerum sint redactae*, antiqua Hieronymi: *quoniam imminutae sunt*, Vulg. *in minuto numero.* Gr.

Ven. *ἐπεὶ ὠλίγωνται.* Harum igitur versionum omnium auctores, recte, opinor, verbum מִעֲטוּ, quod in Piel hac tantum vice habetur, intransitive interpretati sunt, ita ut conveniat cum Kal, ubi est: *imminui*, Ps. 107, 39. Arabs autem, qui vertit فان صحنهم قد بطل *quoniam molitura earum iam cessavit*, transitive illud verbum accepisse videtur: *cessare fecerunt*, nempe *molas suas* aut *molitionem*. Similiter Aben Esra, מִעֲטוּ, inquit, *est verbum transitivum, cuius sensus est*, מעטו הטחינה, *diminuerunt molitionem*. Tum vero perquam languidum et prorsus superfluum esse additamentum כִּי מִעֲטוּ, quippe quod meram contineat iterationem praecedentis בָּטְלוּ, suus quemque sensus facile docet. Quare Pfannkuchius, qui et ipse ex lectione recepta vertendum existimasset: *quin imo imminuunt*, sc. עֲמָלָן, *opus suum*, pro כִּי מִעֲטוּ rescribi maluit כִּמְעַט, *momento temporis*, *subito;* cui mutationi nec codicum, neque versionum, quas antea diximus, antiquarum auctoritas suffragatur.

וְחָשְׁכוּ usurpatur de iis, quibus oboriuntur tenebrae, ita ut res non perspicere amplius et discernere valeant, simulque ipsi obscurentur. הָרֹאוֹת אֲרֻבּוֹת, LXX, *αἱ βλέπουσαι ἐν ταῖς ὀπαῖς*, Symmach. *αἱ ὁράσεις* (pro quo tamen Koehlerus eum scripsisse credit *αἱ ὁρῶσαι*) *διὰ τῶν ὀπῶν*, Gr. Ven. *αἱ ὁρῶσαι διὰ τῶν καταρακτῶν*. Nempe אֲרֻבּוֹת, sive *cancellos* proprie dixeris (ab אָרַב, Arab. أرب *nectere*, hinc *constringere* et *firmare* nodum), sive *foramina* (vid. Michaëlis Suppl. ad Lex. hebr. p. 123.), ad *fenestras* h. l. transfertur, per quas prospicimus.

Iam totum quod attinet, hoc et sequente versu incommoda depingi *corporis*, eiusque fragilitatem sub perpetua allegoria *domus* ante oculos poni, interpretes tantum non omnes, ne recentioribus quidem *exceptis*

statuerunt. In exponendis tamen et describendis partibus fere singulis magna fuit eorumdem dissensio. Nam *custodes domus* mox facultates, quibus vita contineatur, puta adtrahendi, concoquendi, retinendi ac purgandi facultates, mox quinque sensus, mox oculos, mox costas et ilia, mox genua, mox manus et brachia, mox etiam omnem dixere vim, quibus contra iniurias defendatur corpus. Similiter *viros validos* nonnulli facultatem alendi et gignendi, alii lacertos cum nervis et musculis, alii dorsum, alii crura et tibias, alii pedes omnino cogitarunt. *Molentes* autem de dentibus, et *spectantes per fenestras* de oculis acceperunt. Cuius allegoricae interpretandi rationis postquam paraphrastes Chaldaeus exstiterat auctor: antiquissimis iamiam temporibus eum sequuti sunt plurimi, tum vero Aben-Esra, Raschi, Mercerus, Grotius, Geierus, Mendelsohnius, Doederleinius, Koehlerus, van der Palmius, Dathius, Schmidtius, Schellingius aliique ad eius accesserunt partes. Diversum ab hoc verborum sensum, quamquam pariter allegoricum, Hebraeos s. vetustissimos Iudaeorum magistros invenisse, et locum omnem *de statu suae conditionis* (i. e. rerum suarum civilium) explanasse, Hieronymus in Comment. ad h. l. (Opp. Tom. VII. p. 78 sq.) testastus est. Quorum imitati exemplum interpretes quidam Christiani ad *generalem mundi consummationem*, *iudicium extremum* ac similia transtulerunt locum; id quod rursus ab Hieronymo, nec non ex iis, quae Pfannkuchius l. l. p. 17 sq. laudavit, exemplis cognoscere licet. Rectius haud-dubie Michaëlis, Spohnius, ex parte etiam Nachtigalius, iudicarunt. Quodsi enim, quae fuit illorum sententia, hic *noctis* imaginem exhiberi, cum eaque comparari *senectutem* dixeris *): bene omnia habere videntur, ne-

*) Sic statuit quoque E. F. C. Rosenmüllerus in libr. *Das alte und neue Morgenland* etc. Vol. IV. p. 176.

que opus est, ut sensum litterae abiicias. Timent custodes domus, ne quid mali et detrimenti nox adferat; incurvantur viri rubusti aut fortes, defatigati quippe laboris diurni molestiis viribusque exhausti; ancillae molentes ad paucitatem redactae, quandoquidem complures iam cubitum ivere, ab opere cessant *), feminis denique per fenestras prospectantibus tenebrae quasi obducuntur.

Vers. 4.

(וְסֻגְּרוּ דְלָתַיִם בַּשּׁוּק בִּשְׁפַל קוֹל הַטַּחֲנָה *Et clauduntur fores plateam versus, dum extenuatur sonitus molae.* Allegoriarum studiosi *fores* vel ad labia referunt, praeeunte Aben-Esra, quae *clausa* dici opinantur, quia in senectute non amplius liceat diducto et aperto ore loqui, aut quia senes lentius fere ac parcius edant, nec libenter patefaciant os recipiendis cibis, praesertim durioribus; vel omnes meatus, per quos alimentum homo recipit, toto corpore intelligunt, velut Mercerus, qui in senibus illos monet obturari, nec solito fungi officio; vel palpebras cogitant oculorum, quae occluduntur in morte, cui scilicet omnia ac singula hoc in loco obvia ex Seb. Schmidtii sententia competunt. Quae porro de *extenuato molae sonitu* leguntur: ea nonnulli suffragante Koehlero significare putant debilitatas concoquendi vires, alii vocem tenuiorem aut mussitantem, qualis esse soleat in senibus, qui

---

*) Cf. Homer. Odyss. υ, 105 sqq.

Φήμην δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρὶς
Πλησίον, ἔνθ' ἄρα οἱ μύλαι εἵατο ποιμένι λαῶν.
Τῇσι δὲ δώδεκα πᾶσαι ἐπεῤῥώοντο γυναῖκες,
Ἄλφιτα τεύχουσαι καὶ ἀλείατα, μυελὸν ἀνδρῶν.
Αἱ μὲν ἄρ' ἄλλαι εὗδον, ἐπεὶ κατὰ πυρὸν ἄλεσσαν.
Ἡ δὲ μί' οὔπω, παύετ' etc.

facta dentium iactura non clare verba eloquantur et distincte, sed quasi murmura edant. Kimchi autem et Clericus priora illa de foribus aedium senis accipiunt, ideo clausis, quod assidue domi se contineat. In quo Chaldaeum imitati esse videntur, qui commemorat pedes senis ligatos, ita ut non prodeant in plateam. Nos coeptam putamus descriptionem *noctis* continuari, qua fores occluduntur, et molarum strepitus simul cum servarum opere languescit. Cf. Ierem 25, 10. Vocabula סֻגְּרוּ דְלָתַיִם Alexandrini verterunt *κλείσουσι θύρας*, ex quo Zirkelius *) collegit, scriptum in eorum libro fuisse סָגְרוּ. Equidem dixerim illos sensum, quam verba, exprimere maluisse. Item Latinus interpres vetustior, Vulgatus et Arabs fecerunt, qui sunt eos sequuti. — בִּשְׁפַל קוֹל, LXX: *ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς*, antiqua Hieronymi et Vulg. *in humilitate vocis*, Syrus: ܡܡܟܟܘܬܐ ܕܩܠܐ, *cum exili sonitu*, Arabs: في ضعف صوت *ad imbecillitatem sonitus.* His igitur omnibus שְׁפַל Nomen visum est. Enimvero si dixeris infinitivum in Kal, *deprimi*, *adtenuari*, expeditior erit constructio. Sic Gr. Venet. *ἐν τῷ τεταπεινῶσθαι τὴν φωνήν*. Symmachus minus adcurate: *ἀχρειωθείσης τῆς φωνῆς*. Denique vocabulum הַטַּחֲנָה, quod denotat *molam*, a LXX, Vulgato, Syro et Arabe ad *molentem* est translatum, hauddubie quia confuderunt cum הַטֹּחֲנָה, non quia hoc posterius in textu suo repererunt. — Gr. Ven. *τῆς ἀλήσεως*.

וְיָקוּם לְקוֹל הַצִּפּוֹר) Verbum יָקוּם sine nominativo positum impersonaliter plerique accipiunt; alii supplent הַזָּקֵן aut הָאָדָם. Vertunt igitur sic: *et sur-*

*) in libr. *Untersuchungen über den Prediger nebst kritischen und philologischen Bemerkungen,* Würzb. 1792. 8. p. 358.

gunt, vel *surgit*, sc. senex aut homo, *ad vocem avis*; quibus verbis putant somnum describi senum difficiliorem ac leviorem, utpote qui vel minimo strepitu interrumpatur. Non incommoda quidem est ipsa explicatio. Quia tamen et quae praecesserunt, et quae subsequuntur, sonorum imminutionem innuunt: vix adparet, qui fieri potuerit, ut de somno eiusque raritate aliquid interponeretur. Malim itaque verbo קוּם h. l. *subsistendi* significationem tribuere (vid. 1. Sam. 4, 15. 1. Reg. 14, 4.), et ex antecedentibus repetere vel vocabula קוֹל הַטַּחֲנָה, quod post Seb. Schmidtium Schellingius fecit, hoc modo: *et subsistit vox molae*, vel Nachtigalio praeeunte simplex הַטַּחֲנָה, ut mola ipsa non amplius moveri dicatur. Quorum simillima sunt verba μύλην στήσασα ap. Homer. Odyss. XX, 111. Vocem vero צִפּוֹר, quam generalem esse et omnes complecti volucres constat, ad *gallum*, in ipsa etiam nocte nonnumquam canentem, retulerim, ita ut formula: *et subsistit* (mola) *ad vocem galli*, rursus universam *noctis* notionem per imaginem exprimat. Quo minus enim cum Pfannkuchio et Vmbreitio statuamus, הַצִּפּוֹר esse subiectum, et verba reddi posse vel hoc modo: *aves anxios edunt clamores* (קוּם לְקוֹל i. q. נָתַן קוֹל), vel ita: *aves surgunt, evolant repente, territae tonitruum* (קוֹל) *fragore*, aut scribendum esse: וְיִקְמַל קוֹל, הַצִּפּוֹר *infirma est, languet vox avium*, tum leges impedire videntur grammaticae, secundum quas הַצִּפּוֹר est genitivus (unde improbandum etiam erit, quod exhibet Gr. Ven. καὶ ἠγερθεῖ εἰς φωνὴν ὁ ὄρνις), tum prohibet interpretum veterum auctoritas, qui lectionem receptam tuentur omnes, nisi quod Arabs habet: ويقام صوت العصفور. *et suscitabitur vox avis*; de qua tamen lectionis varietate vid. Koehler. l. l. p. 216.

Favent praeterea explicationi nostrae, quae subiiciuntur:

וְיִשַּׁחוּ כָּל־בְּנוֹת הַשִּׁיר) Nempe שָׁחַח, *inclinari*, *subsidere*, in Niphal est *deprimi*, et usurpatum legitur tum de hominibus, qui deprimuntur, Ies. 2, 9; 5, 15. tum de sermonibus, qui suppresso velut murmure sive voce proferuntur submissa, Ies. 29, 4. Hinc, quod h. l. exstat, יִשַּׁחוּ Alexandrini reddiderunt: *ταπεινωθήσονται*, Syr. ܢܬܡܟܟܘܢ, *deprimentur*, Ar. تتذلل, *humiliabuntur*, Aquil. *κλιθήσονται*, Gr. Ven. *κύψωσιν*, Hieronymus paullo licentius: *obmutescent*, Vulgat. *obsurdescent*, ob male intellecta verba textus, quae sequuntur. בְּנוֹת הַשִּׁיר, *filiae cantus*, ex idiotismo hebraeo vel *cantatrices* vocantur, vel *aves sonorae*. Neutrum orationi contextae repugnat; prius tamen illud praefero, iterumque sermonem puto institui de molitricibus, quae, quo longius nox procedit, eo submissius canunt. Ita bene haec cum superioribus cohaerent. Cantatrices Iarchi quoque cogitandas esse iudicavit; caeteri autem interpretes in sententias abierunt diversissimas. Aquila intellexit *πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς*, unde Mercerus et Geierus *omnia*, *quae musicae inserviunt*, ipsosque adeo *concentus musicos*, et Doederleinius *sonos suaviores*. Alii putarunt cantici vel vocis formandae instrumenta significari, nempe Chaldaeus *labia*, Dav. Kimchi et Mendelsohnius *fistulas pulmonis*, sive *arteriam asperam*, Aben-Esra, quem Drusius sequutus est, *guttur*, Dathius omnes corporis partes, quae cantui inserviunt, v. o. *pectus et guttur*. Alii denique organa, quae musicam recipiunt, s. *aures* dici existimarunt, uti Hieronymus, ad cuius partes se contulit e. c. Koehlerus. Quo factum, ut iidem interpretes significationem verbi יִשַּׁחוּ ad suam quisque adcommodarent sententiam, eique vel *languendi* et *deficiendi*, vel *gratiam amittendi*, notionem subiicerent.

Vers. 5.

Quam adhuc usurpavit auctor et commode in rem suam transtulit noctis similitudinem, ea nunc missa senectutem sub imaginibus aliis, a suspicioso eius timore atque voluptatum omnium fastidio petitis, praebet contuendam.

גַּם מִגָּבֹהַּ יִרָאוּ וְחַתְחַתִּים בַּדֶּרֶךְ (Quum) *etiam alta timentur*, *et terrores* (sunt) *in via.* In principio huius commatis ex v. o. 3. vocabula בַּיּוֹם שֶׁ repetenda ac coniungenda sunt cum vosulo גַּם, quae neutiquam substantivi loco habenda est, quod Pfannkuchius, nescio eur, adfirmavit, qui ei *multitudinis* notionem, quam in loco Genes. 10, 21. inesse, post Dathium et Michaëlem falso indicavit, aut etiam significationem *imbris*, ex Arab. جَمّ *aquae collectae copia*, tribnendam esse censuit. גָּבֹהַּ, quod *eminentem* vel *altum*, e. c. montem Ies. 30, 25. aut turrim Ies. 2, 15. innuere constat, et tamquam substantivum de *altitudine* usurpatur 1 Sam. 16, 7, non dubitamus, quin de ipsis *locis altioribus* explicari recte nunc possit *). Sic Latinus interpres antiquus et Vulgatus habent: *excelsa.* Neque aliter intellexerunt LXX, Syrus et Arabs, qui universam *altitudinis* notionem expresserunt. Quod autem in versionis Alexandrinae textu Vaticano legitur *εἰς τὸ ὕψος*, quasi scriptum fuerit בְּגָבֹהַּ, id ex errore fluxit, et rectius in cod. Alex. (cui consentiunt 2 codd. a Spohnio coll.) et ab Olympiodoro exhibetur *ἀπὸ ὕψους.* Gr. Ven. *ἀπὸ μετεώρου.* — יִרָאוּ, impersonaliter dictum, pertinere ad senes, qui *pavent* loca edita, orationis contextus ostendit. Nec sollicitanda est lectio recepta et mutanda in יִרְאוּ, *vident* vel *videbunt*, quod ab Alexandrinis quidem, Arabe, Sym-

*) Vid. Grotius; van der Palmius et Koehlerus ad h. l.

macho et Gr. Ven. redditum, nec non in multis codd. atque editionibus antiquis obvium, a sensu tamen huius loci plane alienum est, et Syri, Chaldaei, Hieronymi atque Vulgati iudicio repugnat. — חַתְחַתִּים, nomen ἅπαξ λεγόμενον, deductum illud a חָתַת, *fractus, conturbatus, perterritus est*, designat *terrores*, et ab vocabulis similis formae חַת Genes. 9, 2. חִתָּה Genes. 35, 5. et חֲתַת Iob. 6, 21. non differt. LXX: θάμβοι (cod. Al. θάμβος), Gr. Ven. ἐπίτριμμοι, quod fortasse ad *contritionem* referri voluit auctor, etymon vocis hebraeae sequutus, nisi potius ἐπίτρομοι, *trepidi, perterriti* scripserit. Suppleri autem debet יִהְיוּ לָהֶם, ut omnis formula respondeat praecedenti יִירָאוּ. Unde Hieronymus atque Vulgatus: *formidabunt*, Aquila: τρόμῳ τρομήσουσι. Denique דֶּרֶךְ, quod Doederleinius in Schol. ad h. l. interpretatus est *locum publicum* et *hominum frequentia tutum*, ex oppositione vocabuli גָּבֹהַּ accipi debet de *via plana* et *commoda*, quae nihil difficultatis et periculi obiicit euntibus, in qua tamen pariter, atque in locis editis, metus suboritur senibus, ne forte pedem offendant, aut ex debilitate labantur.

(וְיָנֵאץ הַשָּׁקֵד) LXX. καὶ ἀνθήσῃ (ἀνθήσει cod. Al., item 2 codd. ap. Spohn., Olympiodorus et Gr. Ven.) τὸ ἀμύγδαλον. Latinus antiquus atque Vulgatus: *et florebit amygdalum* (*amygdalus*). Pariter Syrus, superaddita tamen alia verborum translatione, et Arabs. Quos sequuti interpretes plerique יָנֵאץ deduxerunt a נוּץ, *germinavit, effloruit*, et, quod insertum legitur א, id vel epentheticum esse, vel pro י aut ו positum statuerunt. Sed paullo durior videtur haec ratio et a grammatices legibus alienior. Iidem illi interpretes recte quidem porro praecipiunt, שָׁקֵד denotare *amygdalam*, atque originem hauddubie accepisse ab *vigilando* (שָׁקַד), quoniam ante arbores alias quasi evigilat (cf. Ierem. 1,

11, 12.), i. e. flores fructusque maturat *), nec curanda esse magistrorum Iudaeorum commenta, qui שָׁקֵד vel membrum genitale, vel coxam, cui os femoris innixum est, vel sacram spinam, vel corporis eiusque valetudinis custodiam intelligunt. Quod autem *amygdalae florem* de *albescente senis capite* explicant, in eo nos neutiquam habent consentientes, tum quia verbo יָנֵאץ notionem florendi subesse non putamus, tum quia magis purpureus aut subrubicundus, quam candidus, esse solet flos amygdalae. Neque amplectimur b. Spohnii sententiam, qui verbo נוּץ *deflorescendi* potestatem praeter usum linguae tribuit, et amygdalam deflorescentem *hominis morientis* imaginem dixit. Symmachus denique, teste Hieronymo, vertit: *et obdormient vigilantes*, quod plane a textu hebraeo abhorret. Fortasse in suo exemplo reperit יָנוּץ, idque confudit cum יָנוּם, *dormiet*, aut, si Alexandrinos ob oculos habuit, *ἀνθήσῃ* mutavit in *ἀπανθήσῃ*, et sensu metaphorico intellexit. Equidem post Aben-Esram aliosque iudico, א in יָנֵאץ esse radicale, a נָאַץ, *aversatus est*, *sprevit*, et vel intransitive poni futurum Hiphilicum: *spernitur*, ut Gesenio **) visum est, vel, quod Gaabius ***) maluit, levi punctorum mutatione facta scribendum esse יִנָּאֵץ, quemadmodum in uno cod. Rossiano exstat, eodem sensu. De שָׁקֵד autem sic censeo, *arborem* poni pro eius *fructibus*, et hos, utpote grati saporis, poëtice

*) Cf. Theophrasti Hist. plant. I, 15: πρωὶ βλαστάνει. Plinii H. N. XVI, 25: *Ex his, quae hieme aquila exoriente concipiunt, floret prima omnium amygdala mense Ianuario, Martio vero pomum maturat.* Add. Celsii Hierobot. T. I. p. 297.

**) Vid. *Neues hebräisch-deutsches Handwörterbuch* sub v. נָאַץ.

***) Cf. *Beiträge zur Erklärung des sogenannten Hohenlieds, Koheleths und der Klaglieder.* Tübing. 1795. 8. p. 103.

dici pro *quibusvis sensuum oblectamentis*, quorum senes fastidium habent. Huic explanationi favent etiam ea, quae sequuntur.

וְיִסְתַּבֵּל הֶחָגָב) Nomen חָגָב, quinquies in V. T. obvium, quin *locustarum* speciem significet, non est dubium. Et in loco quidem Levit. 11, 21. 22. inter ea, quibus vesci licebat, animantia reperitur. LXX: *ἡ ἀκρίς*, Syr. ܩܡܨܐ, Arabs: جَرَادٌ, Latinus uterque *locusta*, Gr. Ven. *ὁ πάρνοψ*. Perperam igitur de *talis pedum* accepit Chaldaeus, quem Aben-Esra tamen sequutus est. Similiter Bochartus, qui (Hieroz. P. II. Lib. IV. c. 8.) *femoris geminum caput*, Arabice حجبة dictum, intelligebat, absque ratione idonea linguae hebraeae usum neglexit. Neque vero potior est eorum sententia, qui, ad allegorias delapsi, aut *senem macie confectum et adtenuatum*, ut post Lyranum e. c. Dathius existimavit, aut *spinam dorsi* putarunt cum *locusta* comparari ob multos *σπονδύλους* seu vertebras, quae adpareant in utraque; quod posterius, a Glassio monitum, Geierus et Koehlerus adsensu suo comprobarunt. Imo adquiescendum in potestate vocabuli propria, quae ad reliquam orationem aptissima est. Verbum יִסְתַּבֵּל Alexandrini reddiderunt *παχυνθῇ*, Arabs: تسمن *pinguescet*, antiqua Hieron. et Vulg. *impinguabitur*. Videntur igitur vocabulo סָבַל *onerandi* significationem subiecisse, et *pinguedinis* admiscuisse notionem, quae, ab ipso verbo hebraeo, quantum equidem sciam, aliena, huic certe loco minime convenit. Prope tamen ad illos accessit Syrus, vertens ܢܣܓܐ, *crescet*; unde Michaëlis (Suppl. ad L. H. p. 1711.), collato Arab. شَبَل, *crescere*, *adolescere*, transtulit: *antequam adulta fiat*; (locusta), quod in hac oratio-

nis serie quid sibi velit, vix perspicio. Pfannkuchius porro (l. l. p. 36 sqq.), tempestatis omnia funditus perdentis picturam continuari existimans, יִסְתַּבֵּל mutari vult in יִסָּתֵבֵל, *portatur*, i. e. *aufertur*, *abripitur* locusta, ab ventis nimirum, qui maxime infesti sint locustis; aut textum ita restituendum censet: וְיִסַּח כָּל־הֶחָגָב, *locustarum agmina disperguntur*, *disiiciuntur* a procellis, coll. ar. تشتّت, *separatus*, *dispersus fuit*. Sed uti priore illa correctione non opus est: ita haec posterior nulli neque versionum nec codicum auctoritati innititur. Fuerunt denique, iique permulti, qui verbum textus recepti redderent: *onerabitur*, consentiente Gr. Ven. φορτισθῇ. Enimvero ut nihil dicam de eo, quod verba in Hithpaël raro passive usurpari constat: illa ipsa explicatio videtur ex allegorica demum vocabuli חָגָב interpretatione profecta, eique soli esse consentanea. Rectius sine dubio et ad leges grammaticas adcommodatius convertitur: *onerosam se facit*, *molestam se praebet* *), uti Mercerus, Grotius, Doederleinius, Gaabius aliique verterunt, quantumvis in iudicio de totius loci sententia ferendo discreparent singuli. Et *locustae* quidem *esculentae* senibus dicuntur *esse oneri*, vel quoniam aegre ab iis concoquuntur (cf. Gaabius l. l.), vel, si delicatioris opsonii loco numeratae **), aut pro rebus, quae sensus titillant, omnino positae fuerint, quatenus rerum eius generis fastidium obrepere senibus solet.

וְתָפֵר הָאֲבִיּוֹנָה) In his verbis exponendis admodum variant interpretes. LXX: καὶ διασκεδασθῇ ἡ κάπ-

---

*) Vid. Gesenii *Neues hebr. deutsches Handwörterbuch* sub v. סָבַל.

**) Cf. Plinii H. N. XI, 29: *Parthis et hae* (locustae) *in cibo gratae.*

παρις, ad quorum exemplum latinus uterque: *et dissipabitur capparis*, Ar. ويضمحل الكبر, *et evanescet capparis*, Syrus: ܘܬܬܦܪܕ ܟܦܪ, *et dirumpetur capparis*. Addit tamen hic: ܘܬܬܥܒܪ ܡܣܟܢܘܬܐ, *et desinet inopia*, unde suspicari liceat, dubium ipsum haesisse, utrum אֲבִיּוֹנָה recte *capparis* reddatur, an potius, formatum ex אֶבְיוֹן, *inopiae* notionem involvat. Symmachus quid sibi voluerit, nondum liquet. In Hexaplis haec eius verba leguntur: *καὶ διαλυθῇ* (non ἐπιλυθῇ, quod Doederleinius et Spohnius ad h. l. dederunt) *ἡ ἐπίπονος*. Sed Hieronymus in Comment. ad h. l. ita eum interpretatum esse adfirmat: *et dissolvetur spiritus fortitudo*. Obscurum utrumque, et a criticis plus uno modo tentatum. Koehlerus quidem, graeca illa vitiosa existimans, Symmachum אֲבִיּוֹנָה pro בִּינָה, *intelligentia*, positum putasse (sicuti אֶזְרוֹעַ dicatur pro זְרוֹעַ), et vim aciemque mentis in senibus imminutam notari voluisse, ex Hieronymi verbis laudatis cum Mercero collegit. Contra Doederleinius (Schol. l. l.) pro ἐπίπονος fortasse ἐπιπόθησις, aut ἐπιπενὴς, legendum esse censuit. Prior illa vox ἐπιπόθησις, vel ἐπιπόθημα, adrisit quoque Schleusnero *), qui eam vocabulo אֲבִיּוֹנָה ex asse respondere dixit, et Hieronymum legisse opinatus est ἐπίπνοος. Denique Zirkelius (l. l. p. 364.), in graecis ἡ ἐπίπονος nihil vitii agnoscens, subintellexit: ὀδύνη aut λύπη (quasi Symmachus אֲבִיּוֹנָה petierit ab אֲבוֹי, *heu!*) et sensum verborum hunc esse monuit: *gravis calamitas mox habebit finem*. Mihi quidem et ipsi ἐπίπονος probum videtur. Malim tamen suppleri: *ζωή, vita labo-*

*) Vid. *Opuscula critica ad versiones graecas V. T. pertinentia*. Lips. 1812. 8. p. 322 sqq.

riosa et misera, ut Symmachus, pariter ac Syrus, hebraeum אֶבְיוֹן in mente habuisse indicandus sit. Hieronymus autem quin perperam illud transtulerit, tanto minus ego dubito, quanto facilius potuit accidere, ut ἐπίπνοος aut simile quid reperisse sibi videretur per errórem. Sed ut ad rem revertamur, Chaldaeus vertit: תִּתְמְנַע מִן מִשְׁכְּבָא, *prohibeberis a concubitu*. Sic nempe e Polyglottis Antwerpiensibus et mss. codd. emendanda est lectio vitiosa, תִּתְמְנַע מִן מִשְׁכְּנָא, *prohibbeeris a tabernaculo*, in Polyglóttis Londinens. obvia. Iudaeorum quoque magistri tantum non omnes, et post eos Grotius, cogitarunt *adpetitum veneris* (respectu habito verbi אָבָה, *desideravit*, et fortasse vocis יוֹנָה, *violentia, oppressio*), *qui in senibus refrixerit.* Alii autem, e. c. R. Parchon (momente de Rossi), Lutherus, Mercerus, Geierus, Clericus et recentiorum plerique *), *omne desiderium omnemque adpetendi facultatem, quae languescat et cesset in senibus*, intellexerunt. Ita etiam Cr. Ven. καὶ παύσῃ ἡ ὄρεξις. Quae posterior ratio quamquam probabilitatis speciem habet maiorem: contextus tamen postulare videtur nomen rei ex regno, quod vocant, vel animali, vel vegetabili. Cf. Simonis Lexic. ed. Eichhorn. p. 9. Idem sensisse puto Doederleinium, qui tamen longe aliam iniit viam. Nempe אֲבִיּוֹנָה compositum arbitratus est ex יוֹנָה *columba* et אֲבוֹי vel אֲבִי *vae*, vertitque: *columba querula* s. *turtur*; verbo תָּפֵר autem *repudiandi* notionem tribuit (coll. Iob. XV, 4.), sensu passivo. Ingeniose quidem, sed audacter et citra Veterum auctoritatem. — Quae quum ita sint, et certi quid ex usu linguae definiri nequeat, nusquam enim אֲבִיּוֹנָה apud sacros scriptores recurrit: tutissimum equidem censeo, in explanando hoc nomine Alexandrinos, Arabem et Latinos

*) Cf. inprimis Celsii *Hierobotan.* P. I. p. 209-215.

interpretes sequi, ita tamen, ut cum Michaële (Suppl. ad L. H. p. 4.) et Gesenio *capparis* non *fruticem*, nec *florem* intelligam, sed *baccam*. Quodsi vero hanc vocabuli significationem ex ipsis Talmudicorum et Rabbinorum monumentis probari posse putant: ne incertum pro certo habeant, magno opere vereor. Scilicet non hoc dico, quod Celsius opposuit, nomen, de quo agitur, Rabbinicum אֲבִיוֹנָה scribi, nostrum אֲבִיּוֹנָה, quod nullius esse momenti, Michaëlis rectissime statuit. Sed Rabbinis אביונות in genere dicuntur *minuti arborum fructus*, ut lauri, olivae, corni, myrti et similium, teste Buxtorfio in Lex. Rabb. et Talm. p. 12. *Capparis* autem nomina in Talmude sunt נצפה et צלף, de quibus pariter conferendus est Buxtorfius l. l. p. 1381. et 1919 sq. Hinc in Gemara diserte distinguuntur *capparis frutex* (נצפה) et partes eius singulae, nempe עלין *folia*, תמרות *spathulae* vel *frondes teneriores*, אביונות *baccae*, et קפריסין *putamina s. cortices*, qui fructus conservant. Vid. Talm. Berachoth, fol. 36. col. 1. Tr. Maaseroth. 6. 4. coll. Buxtorf. l. l. p. 2098. et Celsii Hierobot. p. 214. Ex quo intelligitur, vocabulum אביונות non per se et simpliciter designare capparis fructus, sed ab adiecto demum nomine נצפה aut צלף significationem istam mutuari. Quapropter, nisi quis alia e Tulmude et Rabbinorum scriptis docuerit, ad solam fas est antiquarum, quas memoravi, versionum auctoritatem provocare. Denique verbum תֻפַר, ab הֵפִיר sive הֵפֵר, *rupit*, *fregit*, et metaphorice *irritum fecit*, vel intransitive h. l. ponitur: *irrita est s. erit*, vel mutari debet in תֻפַר, *irrita reddetur*. Res eodem redit; malim tamen adquiescere in vulgata lectione, quandoquidem non desunt omnino verba, quae in coniugatione Hiphil significationem habeant intransitivam et neutralem, quorumque exempla laudarunt Geierus ad h. l. et Gesenius in Hebr. Gramm. §. 40.

Ad sensum igitur et rationem totius loci quod adtinet, quum adpetitum provocare cappares notum sit, et veneris quoque cupiditatem excitare dicantur *): in promptu est, formulam: *capparis est irrita*, s. vim suam non exserit, commodissime usurpari in describenda senectute, quae nec desiderio movetur cibi, neque ad perfruendas voluptates stimulatur **).

(כִּי־הֹלֵךְ הָאָדָם אֶל־בֵּית עוֹלָמוֹ *Quandoquidem abit homo* (in eo est, ut abeat) *in domum suam aeternam*. Aetati decrepitae vicina mors, quae iam depingitur. הֹלֵךְ, Alexandrini: *ἐπορεύθη*. Rectius Gr. Ven. *ἄπεισι*, Vocabulum עוֹלָם (cuius loco Syrus expressit עָמָל, *labor*, ex errore), quod interpretes bene multi ad *diuturnum tempus* restringunt, capiendum puto de *aeternitate*, ut Deut. 32, 40. Ps. 90, 2. non quasi hanc esse praecipuam vocis significationem cum Seb. Schmidtio existimem, aut cum eodem et Glassio formulam בֵּית עוֹלָמוֹ ad *habitaculum animae post mortem vel infernale vel coeleste* referri velim (ad quod tamen referendam esse, si עוֹלָם eo, quo diximus, sensu intelligatur, Geierus etiam persuasum habuit), sed quia sermo instituitur de *sepulcro*, ex quo in vitam aliquando revocatum iri hominum corpora, non usquam Noster innuit. Dignus est, qui conferatur, locus Tob. 3, 6: *ἐπίταξον ἀπολυθῆναι με τῆς ἀνάγκης ἤδη εἰς τὸν αἰώνιον τόπον*, ubi sepulcrum pariter esse cogitandum, ex vocabulis praecedentibus iisdemque synonimis,

---

*) Cf. Plutarchi Sympos. Lib. 6. Qv. 2.: *πολλοὶ τῶν ἀποσίτων, κάππαριν γευσάμενοι, ταχέως ἀνέλαβον καὶ παρεστήσαντο τὴν ὄρεξιν.* Plinii Hist. Nat. XIII, 23. XX, 15. Add. Ursini Arboret. biblic. p. 362: *Estur capparis condimenti loco, quod fortiter suscitet appetentiam cibi, et instiget quoque ad venerem.*

**) Vid. van der Palmius l. l. p. 192.

synonymis, *ὅπως ἀναλυθῶ, καὶ γένωμαι γῆ* efficitur. Addi posset, imo deberet locus Ps. 49, 12. si, quae in versionibus antiquis leguntur, hebraeo textui responderent. Ibi nempe LXX habent: *οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα*, Chald.: בְּבֵית קְבוּרְתְהוֹן יְשְׁרוּן לַעֲלָם, *in domo sepulturae suae habitabunt in aeternum!*, similiterque Syrus, Arabs et Vulgatus. Sed, quam codicum tuetur auctoritas, vulgaris scriptura קִרְבָּם sensum alium fundit.

וְסָבְבוּ בַשּׁוּק הַסּוֹפְדִים) *Et circumeunt in platea lamentantes*, nempe mortuum, q. d. tempus instat prope, quo seni adparetur funus. LXX: *καὶ ἐκύκλωσαν ἐν ἀγορᾷ οἱ κοπτόμενοι.* Gr. Ven. *καὶ πενθῶσιν* (tamquam pro סָבְבוּ scriptum fuerit סָפְדוּ, quod ipsum 4 Kennicotti codices exhibent) *ἐν ἀγορᾷ οἱ πενθοῦντες.* Koheleth ad morem respexisse popularium suorum videtur, quo tum viri carmina lugubria ex arte canentes (יוֹדְעֵי נֶהִי, *periti lamentandi*, Amos. 5, 16.), tum feminae naenias dicentes (מְקוֹנְנוֹת, *praeficae*, Ierem. 9, 16–20.), ad luctum publicum flebili cantu excitandum in funeribus adhibebantur. Cf. 2. Chron. 35, 25. Ierem. 34, 5. Matth. 9, 23. Add. Buxtorfii Lexic. Talm. p. 766. et p. 1524 sq. Huiusmodi luctus funebris hodieque Orientis populis usitati meminerunt Shawius in: *Reisen* etc. p. 211. et Niebuhrius in: *Reisebeschreibung* T. I. p. 188, eumdemque ritum a Graecis atque Romanis observatum fuisse, testantur Homerus, Iliad. *ω*, p. 719–722:

Οἱ δ' ἐπεὶ εἰσάγαγον κλυτὰ δώματα, τὸν μὲν ἔπειτα
Τρητοῖς ἐν λεχέεσσι θέσαν, παρὰ δ' εἷσαν ἀοιδούς,
Θρήνων ἐξάρχους οἵτε στονόεσσαν ἀοιδὴν
Οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.

et Horatius, de Arte Poët. v. 433 sq.

— *qui conducti plorant in funere, dicunt*
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo. —
Cf. Kirchmannus de funerib. Rom. L. II. c. 6. et Gyraldus de var. sepel. rit. c. 12. — Caeterum secus statuit de loco nostro Pfannkuchius, qui, dum ad *lugentes amicos superstites* eum referret, pro בַּשּׁוּק rectius forte legi monuit בַּשַּׂק, *in vestibus scissis et laceris*, quales in luctu gestare solemne fuerit. At neutiquam sollicitanda est lectio בַּשּׁוּק, quippe magno versionum et codicum consensu firmata, et sic comparata, ut *publico* luctui, in quo describendo Amos l. l. dictiones simillimas בְּכָל־רְחֹבוֹת et בְּכָל־חוּצוֹת usurpavit, adprime conveniat.

Vers. 6.

(עַד אֲשֶׁר לֹא־יֵרָחֵק חֶבֶל הַכֶּסֶף) Coepta sub finem praecedentis versiculi poëtica *mortis vicinae* descriptio continuatur hoc commate, cuius verba priora, *dum non amotus est* (antequam amoveatur, abrumpatur) *funis argenteus*, ab exhortatione in principio huius capitis obvia pendent, hoc modo: memento creatoris tui, antequam vitae facias iacturam. Loco יֵרָחֵק Masorethae legendum tradunt יֵרָתֵק, id quod codices multi et aliquot editiones antiquae habent, et critici plerique defendunt, interpretes autem non uno eodemque accipiunt sensu. Nempe Iarchi et Aben-Esra, respectu habito ad nomen רַתּוֹק, *catena*, *funis*, יֵרָתֵק reddunt *concatenetur*, idque idem valere dicunt, ac *contrahatur*, *catenae more recipiatur in iuncturas*, quod spinae dorsi medulla, ad quam scilicet referunt funem argenteum, in morte exarescat et contrahatur. De cuius expositionis veritate nemo sibi unus persuadeat, qui allegoricam istam vocabulorum חֶבֶל הַכֶּסֶף inter-

pretationem nullo constitutam esse fundamento perpenderit. Eamdem fere significationem verbi יֵרָתֵק tuetur Simonis (in Lexic. p. 1559. ed. Eichh.), vertens: *usque dum* vel *antequam non* (amplius) *ligatus erit funis*; haud inepte quidem ad orationis sententiam, falso tamen hac de caussa, quod formulae עַד אֲשֶׁר לֹא vim constat esse plane contrariam eius, quam Simonis voluit. Nec magis adduci possum, ut cum Kimchio (in libro radicum) aliisque doctoribus Iudaicis (a Castello in Lexic. Heptagl. T. II. p. 3662. laudatis), ad quorum partes Mercerus, Koehlerus et alii accesserunt, existimem, verbum רָתַק *ligare*, *vincire*, in Niphal denotare contrarium: *solvi*, *disrumpi*; quod tantum abest, ut probari ex usu linguae posse, ut in huius demum loci, qui notionem talem flagitare videbatur, favorem confictum esse putem. Provocant ad versiones antiquas, quas et ipsas יֵרָתֵק expressisse, confidenter pronuntiat Dathius. Id vero pariter habet dubitationem. Latini quidem reddiderunt: *antequam rumpatur*, Syrus: ܥܕܠܐ ܢܬܦܣܩ, *antequam disrumpatur*, Arabs: ما لم ينتقض, *quamdiu non dissolvitur*, et Symmachus: καὶ πρὶν ἢ κοπῆναι. Sed haec eadem notio, quam sane requirit orationis series, duci potest ex lectione recepta יֵרָתֵק, sive cum nonnullis vertas: *elongetur*, i. e. distendatur et distentione rumpatur, sive, quod malim: *amoveatur* (funis), utpote extenuatus et plane dissolutus. Neque aliter legerunt Alexandrini, qui habent: ἕως ὅτου μὴ ἀνατραπῇ, i. e. *antequam evertatur* vel *tollatur*, et Graeca Veneta, quae exhibet: ἄχρις ἂν μὴ μακρυνθῇ, i. e. *antequam in longitudinem extendatur* aut *longe removeatur*. Marginalis autem lectionis originem vix dubitaverim quin cum Zirkelio (l. l. p. 364.) ex errore petam eorum, qui לֹא, a praece-

dentibus perperam avulsum, cum subsequente verbo coniunxerint, et vocabula לֹא יֵרָחֵק, (antequam) *non removeatur*, *non dissolvatur*, quae recte indicassent a sensu loci esse alienissima, mutarint in לֹא יֵרָתֵק, (antequam) *non constringatur*, i. e. (antequam) *solvatur* *). Atqui si verum est, ex duabus lectionibus eam videri debere et antiquiorem et potiorem, ex qua origo alterius probabiliter possit demonstrari: praeferenda omnino erit lectio in contextu scripta. Cf. Lud. Cappelli Crit. sacr. Tom. I. p. 220. et I. F. Froriep Diss. de utilitate linguae arab. in defendendis nonnullis locis τοῦ Chetib (Lips. 1767. 4.) §. XI. Quare magis etiam dissentimus a Pfannkuchio, qui, pro יֵרָחֵק vel יֵרָתֵק legendum esse יִנָּתֵק, *rumpatur*, ingeniose quidem dixit, sed praeter necessitatem, et ne uno quidem codice sententiam eius adiuvante. — De *funiculo argenteo* adscribere taedet commenta interpretum, e quorum numero Chaldaeus *linguam* in morte *obmutescentem*, Hieronymus (in Commment.) *candidam hanc vitam*, *et spiramen*, *quod nobis de coelo tribuitur*, Iudaeorum magistri plerique *filum spinae dorsi* vel *spinalem medullam*, alii *nervos*, alii *arterias*, alii sensu latiore *membra*, *quibus corpori alimentum subministratur*, alii ipsas *facultates naturales et vitales*, alii alia intellexerunt. Nec Koehlerus recte cogitavit cum Seb. Schmidtio

*) Parum sibi constitisse miraris Io. Iac. Rambachium in *Notis uberioribus in Ecclesiasten Salomonis*, quae, *ex recensione Jo. Henr. Michaëlis*, leguntur in *Uberioribus adnotatt. in hagiographos V. T. libros*, *Vol. II. p.* 1030 *sq.* Is enim formulam עַד אֲשֶׁר לֹא יֵרָחֵק, quae proba ipsi visa erat, pariter reddidit: *antequam* **non** *removeatur s. auferatur*, paullo post tamen, dictorum suorum quasi immemor, Seb. Schmidtium sequutus, hunc fecit verborum sensum: *antequam rumpatur.*

et Rambachio *filum vitae*, ut Parcas finxerunt poëtae, colum mortalis vitae gestantes, tum quoniam id ab hebraeorum scriptorum ingenio abhorret, tum vero, quia non singulatim hoc orationis membrum spectari, sed coniungi debet cum subsequente, ex eoque demum diiudicari.

(וְתָרֻץ גֻּלַּת הַזָּהָב) *Et* (priusquam) *conteratur sphaera aurea.* LXX. καὶ συντριβῇ (perperam cod. Alex. συνθλιθῇ) τὸ ἀνθέμιον τοῦ χρυσίου. Quibus ex verbis hoc primum liquet, interpretes istos תָרֻץ deduxisse a רָצַץ *contrivit*, idque passive sumsisse, quo sensu e. c. Ies. 42, 3. 4. occurrit. Recte quidem, suffragantibus etiam Syro, Arabe, Chaldaeo, Symmacho, qui habet ἐλασθῇ vel ἐλασθῇ et Gr. Ven., in qua legitur θραυσθῇ. Contra ambo Latini verterunt *recurrat*, a רוץ, quippe de anima ad Deum redeunte sermonem esse opinati, ipso Hieronymo teste. Sed ἀνθέμιον illud quid sibi velit, non aeque planum est ac certum. Hesychius et Suidas explicuerunt: τὸ ἐκλεκτὸν χρυσίον, adnuente, quantum equidem perspexi, Koehlero, qui Syrum atque Arabem idem expressisse contendit. Pfannkuchio ἀνθέμιον του χρυσίου ex noto graecismo, quo ἄνθος de rebus praestantibus dicitur, *aurum, vas aureum praestans* denotare videtur, ita ut Alexandrinos ar. حُلٌّ, *quod praecipuum est in aliqua re*, cum גֻּלָּה comparasse putet. Idem tamen subiicit, locum forte mendosum esse, et ἀνθέμιον ex ἄντλιον ortum. Quodsi rem ex nostro sensu atque iudicio metiri liceat, Alexandrinos in mente potius habuisse putaverimus ornamentum illud capitelli columnarum, quod 1. Reg. 7, 41 sq. coll. 2. Chron. 4, 12 sq. nomine גֻּלּוֹת, *sphaerae*, appellatur (ubi tamen interpretes iidem τὰ στρεπτὰ et γωλὰθ posuerunt). Ut enim de eo nihil dicamus, quod Romanis *floris* nomen, voci ἀνθεμίου ex usu proprio respondens

in re architectonica pariter adhibuerunt *), favent isti coniecturae tum ipsius Hesychii verba, qui, ἀνθέμιον exponens, post τὸ ἐκλεκτὸν χρυσίον addit: ἢ γραμμή τις ἑλικοειδὴς ἐν τοῖς κίοσι; tum Vulgati et vetustioris Latini auctoritas, qui ἀνθέμιον reddiderunt *vittam*, ita ut, nisi fallor, sensu latiori vel lineam in columnis incurvam, vel omnino ornamentum tortile in columnis intellexerint; tum vero etiam, quod Symmachus exhibet τὸ περιφερὲς, quodque Gr. Ven. suppeditat τὸ στέφος. Ad eamdem denique sententiam adcommodanda esse putamus Syri verba ܚܙܘܪܐ ܕܕܗܒܐ, *pomum aureum*, i. e. sphaera aurea. Sic certe interpretationes istae, specie diversae, facile videntur inter se conciliari posse. Quorsum autem spectet Arabis تبريز الذهب, *emissio auri*, uti in Polygl. Lond. legitur, definire non ausim, nec Koehleri et Pfannkuchii placent coniecturae. Taceo Chaldaei et Aben-Esrae ineptias, quorum ille *verticem* (מוֹקְרָא) *capitis* cogitavit, hic, allegorias et ipse consectatus, exposuit *cerebrum* (מוֹחָה), *cuius membrana rufa est*, *ut durum*, tametsi non praestat Koehleri sententia, qui Drusium aliosque imitatus intelligi voluit *sanguinem in corde scaturientem*. De grammatica vero, quae sola hic tenenda est, vocabuli גֻּלָּה significatione si quaeritur: post Kimchium Buxtor-

*) Cf. Vitruv. IV, 1. ubi auctor de columnis Corinthiis disserens haec monet: *minoresque helices intra suum medium floribus, qui sunt in abaco, subiecti scalpantur. Flores in quatuor partibus quanta erit abaci crassitudo, tam magni formentur.* In eiusdem libri cap. 8. (ed. Schneider.) sic praecipit: *Tecti ratio ita habeatur, uti quanta diametros totius operis erit futura, dimidia altitudo fiat tholi praeter florem; flos autem tantam habeat magnitudinem, quantam habuerit in columnis capitulum, praeter pyramidem.*

fius et multo maxima recentiorum interpretum pars exprimi monent *lenticulam* s. *lecythum*, adferuntque locum Zach. 4, 2, 3, ubi vocabulis synonymis גֹּל et גֻּלָּה *vas olearium*, candelabro sacro impositum, denotari adfirmant. Quod licet ad utriusque loci orationem dicatur aptissime, nescio tamen, an satis certo ac tuto statuatur. Neutri enim loco quidquam videtur inesse, quod notionem istam necessario requirat. Altera vero illa, cuius supra mentionem inieci, quaeque in Regum et Chronicorum libris, quantum equidem sciam, non dubitatur, significatio *sphaerae* ad nostrum et Zachariae locum pariter transferri, nec prorsus incommode, potest. Quidquid tamen sit, sive *sphaeram* intelligas, sive *lenticulam* malis: in toto hemistichio depingitur ruina vasis aurei, pendentis a funiculo filis argenteis intertexto, cui corporis humani interitus comparatur. Quodsi remotus aut abruptus fuerit funiculus: vas ruit ac confringitur. Idem fit in morte, dum vita ex tenui quasi filo suspensa perit, et destruitur corpus.

(וְתִשָּׁבֶר כַּד עַל־הַמַּבּוּעַ וְנָרֹץ הַגַּלְגַּל אֶל־הַבּוֹר:

Et (priusquam) *frangatur cadus iuxta fontem, et conteratur rota ad puteum.* Alia mortis similitudo, ab instrumentis aquariis petita, quae corrumpuntur. כַּד (LXX: *ἡ ὑδρία*, Gr. Van. *ὁ πρόχους*), cui *κάδος* et *cadus* respondent, ex usu proprio est *situla*, s. vas, quo aquas e fonte aut puteo extrahere, quodque gestare humeris solebant (Genes. 24, 14-20.), dictum illud hauddubie a كَدَّ, *exhausit putei aquam*, pro quo tamen alii malunt كَدَّ et كَتَّ (כָּדַד i. q. כָּתַת), *contudit*, *comminuit*, utpote quod fuerit fictile ideoque contundi facile et frangi potuerit. Sic *fragiles cadi* dicuntur Ovid. Metam. XII, 243. — Pro עַל Doederleinius legi iubet אֶל praeeuntibus codicibus Regiomon-

tanis (in quo eum errasse Koehlerus ad v. sq. docuit), Norico, editione Pragensi et versionibus fere omnibus. Sed codices Kennicottani et Rossiani sine discrimine lectionem tuentur receptam. Neque ex versionibus argumentum adferre licet in contrariam partem, quoniam ipsos scriptores hebraeos עַל et אֶל non raro permutasse constat. Eamdem ob caussam אֶל, quod in fine commatis legitur, nolim cum Pfannkuchio mutare in עַל, quod tamen unus codex Kenn. habet. עַל־הַמַּבּוּעַ, *prope scaturiginem*, a נָבַע, *ebullivit*, *scaturivit*. LXX. *ἐπὶ τῇ πηγῇ* (in Polygl. Lond. ex errore typographico *ἐπὶ τῇ γῇ*), pro quo msc. Alex. et 2 codd. a Spohnio collati exhibent *ἐπὶ τὴν πηγήν*, Olympiodorus *ἐπὶ τῆς πηγῆς*, Gr. Ven. *ἐπὶ τῆς ἀναβλύσεως*. Verbum נָרֹץ, quod descendit a רָצַץ, de quo paullo ante dictum, falso plerique veterum ita verterunt, ac si esset a רוּץ. Sic LXX. *συντροχάσῃ* (cod. 2. ap. Spohn. *συντροχάσει*), *concurrat*, Arabs تدور *volvatur*, Syrus ܬܬܪܗܛ, *currat*, Chald. יִרְהַט, *decurrat*. Rectins ambo Latini: *confringatur*. Gr. Ven. *θραύσωμεν* (*τὸν κύκλον*), eodem sensu, quamquam minus apte ad structuram vocabulornm grammaticam. Denique גַּלְגַּל notat *trochleam*, s. rotam, circa quam volvitur funis, qui cum situla sibi adnexa in puteum (בּוֹר) demittitur ad aquam educendam. Et haec quidem de singulis. Totius loci sententia est haec: antequam machina corporis destruatur. Verissime enim Hieronymus (in Comment. ad h. l. p. 80.) scripsit: *Contritio hydriae super fontem, et confractio rotae super lacum per metaphoram mortis aenigmata sunt. Quomodo hydria, quae conteritur, cessat haurire, et rota, per quam de lacu et de puteis levantur aquae, si confracta fuerit, sive (ut alii interpretes voluerunt) in suo funiculo convoluta, aquae usus intercipitur: ita et — interibit homo.* At enimvero

quo sibi constarent, interpretes bene multi, Chaldaeo, Aben-Esra et Kimchio praemonstratoribus usi, hic quoque imagines singulas ad singulas corporis partes trahere sustinuerunt, cuius rei exempla et plurima et diversissima a Geiero (in Commentar. p. 166 sq.) et Polo (in Synopsi Critt. ad h. l.) collecta deprehendes. Ipse Koehlerus et Schellingius non dubitarunt eorum (Ioannis Smithii, Angli, potissimum et Hermanni Witsii, Batavi) subscribere sententiae, qui de sanguinis in corpore fluxu motuque, in quo vitae mortisque discrimen est, auctorem cogitasse sibi persuasissent.

Diversam tamen ab ea, quam veram nobis videri diximus, de singulis versiculi sexti partibus earumque nexu et argumento sententiam proposuit Euseb. Traug. Ebert, in Diss. *Imago senis Salomonei ex cap. XII. Eccles. ad analogiam linguae poëticae expressa*, Lips. 1770. 4. cuius inspiciendae nunc demum data nobis est facultas. Is nempe toto hoc versiculo unam exhiberi autumat imaginem *putei* cum suis *partibus*, quae sint: גַּלְגַּל, כַּד, גֻּלָּה, חֶבֶל, si tamen ultimum hoc verbum ad eas referendum sit. Harum partium mutationes omnes pendere a *fune*, earumque caussam esse in adiecto verbo יֵרָחֵק, *ablatus remotus erit.* Porro גֻּלַּת non esse *situlam*, id quod proprium huius instrumenti nomen כַּד, in vicinia positum, satis arguat, sed *trochleam* s. *girgillum* (ἀρπεδονὴν, ῥόμβον), i. e. lignum in transversa pertica mobile, ex quo funis cum situla in puteum demittatur, hauriendae aquae caussa. Hoc enim ut credatur, et vocis huius derivationem, et versiones LXX. et Symmachi, et recentiorum Iudaeorum linguam, et vero etiam mutationes, ablato fune oriundas, suadere, quae indicentur verbo תֵּרֹץ, non ab רָצַץ sed ab רוּץ derivando. Nam remoto fune non *frangi* girgillum s. trochleam, sed citius aut retro *cur-*

rere, urnulamque super ipsa adpensam devolvi ac frangi. *Epitheta*, quae funi trochleaeque adiiciantur, non tam ad naturam, quam ad utilitatem et praestantiam harum partium pertinere. Qua vero ratione propter remotum funem frangatur הַגַּלְגַּל, sive *rotam* sive *fistulam* aquae vehendae idoneam interpreteris, id non intelligi. Proinde hanc vocem de *motu* totius machinae eiusque *cessatione* accipiendam esse, sicut non modo apud Graecos τρόχος, quo verbo h. l. utuntur Alexandrini, interdum idem sit, quod κύκλος ἤ δρόμος, omninoque adhibeatur ad mobilitatem, celeritatem, inconstantiamque rei cuiusdam indicandam, sed etiam apud ipsos scriptores sacros idem verbum hoc sensu occurrere videatur, Ezech. 10, 13. Ps. 77, 19. Sirac. 36, 5. Verbis igitur inesse hoc: antequam remoto fune, et citius currente trochlea, frangatur urnula super fonte, atque ita totius machinae motus et usus cesset, cuius ope aqua in subiectam cisternam vehebatur. *Frangere* enim cursum aut motum nihil esse aliud, quam efficere, ut desinat. Denique, alteram partem comparationis omissam sic fere cum hac imagine coniungendam esse: *Antequam vivi sanguinis tui fonti idem eveniat, quod puteo, remoto fune, recurrente trochlea, fracta situla. Quemadmodum enim tunc motus et usus totius machinae perit, cuius ope aqua in subiectam vehebatur cisternam: sic etiam, fractis ablatisve partibus, h. e. morborum aut ipsa aetatis vi destructis, quae ad vitam retinendam necessariae essent, cessabit motus cordis tui.* — Et haec quidem ille p. 11. p. 36-39, similiter ac Desvoeux, quem ob oculos habuit, et Mendelsohnius in commentar. ad h. l., ingeniose disputavit; sed ingeniosius, puto, quam verius. Etenim quam vocabulis גֻּלַּת et גַּלְגַּל potestatem tribuit, eius nulla in sacris scriptis reperinntur vestigia. Frustra quoque, ubi dixit de גֻּלַּת, ad LXX. et Symmachum

provocavit. Nec concinne ad persuadendum תָּרֵץ et נָרֵץ a diversis radicibus repetiit.

Vers. 7.

(וְיָשֹׁב הֶעָפָר עַל־הָאָרֶץ כְּשֶׁהָיָה) *Et revertatur pulvis in terram, qualis fuit.* Symbolica mortis descriptione finita, apertius nunc et verbis magis propriis declarat Noster, quid voluerit. Nempe הֶעָפָר, sive *δεικτικῶς* positum dicas, *hic ipse pulvis*, sive secus statuas (cf. Cap. 3, 20.), per metonymiam vocatur *corpus*, e pulvere terrae in prima creatione, ad quam hic totus respicit versiculus, formatum. Vid. Genes. 2, 7; 3, 19. coll. Ps. 103, 14. — עַל mutandum esse in אֶל, recentiores critici uno quasi ore clamitant. Et in loco Geneseos laudato (Cap. 3, 19.) obvia sane sunt verba עַד שׁוּבְךָ אֶל־הָאֲדָמָה, et subiiciuntur וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב, pariterque Noster Cap. 3, 20. scripsit הַכֹּל שָׁב אֶל־הֶעָפָר. Ex eo tamen vix, puto efficitur, ut haec scriptura unice vera iudicari debeat, sed hoc tantum, ut עַל et אֶל promiscue sit positum, veluti 2. Chron. 30, 9. ubi שׁוּב ter repetitum, uno eodemque sensu, quamquam a nostro diverso, cum עַל, לְ et אֶל coniunctum reperitur. Quod porro testes faciunt codices, nescio, annon in lectione ab iis exhibita correctionis potius, ex ipso illo Geneseos loco à librariis tentatae, quam primae et verae scriptionis, vestigium agnoscere liceat. Versionum denique Syri, Arabis et Vulgati, ad quas de Rossi provocavit, auctoritatem hac in re esse nullam, quandoquidem, quid scriptum invenerint earum auctores, quidque expresserint, definiri certo non potest, et per se intelligitur, et dictum est ad versum praecedentem. כְּשֶׁהָיָה, *secundum id, quod erat,* nempe pulvis, priusquam ex ipso effin-

geretur corpus humanum. aptissime ad illa Geneseos vocabula: כִּי מִמֶּנָּה לֻקָּחְתָּ, *ex qua* (terra) *sumtus es.* LXX, *ὡς ἦν*, Vulg. *unde erat*, Gr. Ven. *ὥσπερ ὑπῆρξε.*

(וְהָרוּחַ תָּשׁוּב אֶל־הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר נְתָנָהּ׃) *Et anima revertatur ad Deum, qui eam dedit.* Iusto brevius atque obscurius haec dicta Chaldaeo visa sunt. Quare supplemento facto ita ea illustrare conatus est: ורוח נשמתך תתוב למקם בדינא קדם יי דיהבה לך׃, *et spiritus animae redibit, ut stet in iudicio coram Deo, qui dedit illum tibi.* Arrisit postea haec explicandi ratio ac sententia interpretibus omnis aevi plerisque, idque tanto magis, quanto certius animi humani immortalitem et creditam a nostro, et traditam esse his verbis, sibi persuasissent. Nescio tamen, quo iure sic statuerint*), et magno opere vereor, ne notiones aliunde sibi cognitas, scriptori autem nondum perspectas, falso admisceant. Hoc nempe primum ex orationis serie patet, meminisse auctorem illius dicti, quod in loco Gen. 2, 7. legitur: וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה, *inflavit* (Deus) *naribus eius halitum vitae, ex quo factus est homo natura vivens***). Unde sequitur, רוּחַ hic denotare non *animum* ratione praeditum et sui sibi

---

*) e. c. Rambachius (l. l. p. 1033.) Ebertus (diss. I. p. 43 sq.) Doederleinius (Schol. p. 187.) van der Palmius (l. l. p. 33. p. 193 sq.) Koehlerus (l. l. p. 230.) aliique. Add. Anonym. in: *Jen. Allg. Lit. Zeit.* 1816. *No.* 177. *p.* 16.

**) Vidit hoc iam Lutherus, qui in Commentar. in Ecclesiasten (*Opp.* Tom. III. p. 281. *ed. Ien.* coll. Tom. V. p. 2356. *ed. Hal.* de auctoris sententia ita disseruit: *Spectat et hic in locum Genes. 2. inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vitae. Non definit, quo abeat spiritus, sed quod ad Deum revertatur, a quo venit. Sicut enim ignoramus, unde Deus spiritum fecerit: ita etiam nescimus, quo redeat.*

conscium, sed *animam* potius, s. *spiritum vitalem* (Iudic. 15, 19. Ezech. 37, 5. 6. 8. 10.), qui idem bestiis inest (Kohel. 3, 19-21.), quique, quum Deum habeat auctorem et quasi fontem, vocatur etiam רוּחַ־אֵל (Iob. 33, 4. ubi vocabula נִשְׁמַת שַׁדַּי tamquam synonyma adposita sunt; cf. Cap. 27, 3.), et Deus ipse nuncupatur אֱלֹהֵי הָרוּחֹת לְכָל־בָּשָׂר, *Deus animarum omnium animantium* (Num. 16, 22.), illumque spiritum mox *emittere* (Ps. 104, 30.), mox *inflare* (Gen. 2, 7.), mox *dare* dicitur, veluti h. l. Iam quis sensus sit vocabulorum הָרוּחַ תָּשׁוּב אֶל־הָאֱלֹהִים, id ex similibus quibusdam dicendi formulis, alibi obviis, recte colligi posse videtur. Spectat huc locus Genes. 6, 3. in quo Iehova pronuntiasse fertur haecce: לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם, *non perpetuo dominabitur* *) *spiritus meus in hominibus*, i. e. quo spiritu vitali eos animavi, is non perpetuo vim suam in iis exseret, non vivent in aeternum. Similiter Ps. 104, 29. vates haec ad Deum verba facit: תֹּסֵף רוּחָם יִגְוָעוּן, *colligis spiritum eorum*, *exspirant*, i. e. simulatque animam eorum ad te recipis, moriuntur. Add. Iob. 34, 14 sq., ubi eadem deprehendes. Consequens ergo est,

*) aut etiam: *commorabitur*. LXX. καταμείνῃ, Vulgat *permanebit*, Syr. ܢܥܡܪ, *habitabit*, Saad: يَحِلّ *deversabitur* vel *habitabit*. Cf. Gesenius in utroque Lexic. sub v. דּוּן (et qui ibi laudantur interpretes). Add. Eiusd. *Lehrgeb. d. hebr. Spr. p.* 409. et Ant. Theod. Hartmann *Linguistische Einleit. in das Studium der Bücher des A. T.* (Bremen 1818. 8.) *p.* 73 *sq.* qui ad arab. دَامَ *permansit*, aut etiam ad chald. דּוּר, *habitavit*, respiciendum esse putat.

ut *reditus animae ad Deum*, ex loquendi consuetudine Hebraeorum, adiunctum sit *mortis*, neutiquam vero transitum ad vitam post fata perennem significet. Hoc tamen posterius qui statuunt, et de animorum immortalitate doctrinam, Iudaeis ante Christum non prorsus incognitam, vindicare Nostro student, provocant ad locum Cap. 3, 21. quem post Geierum Doederleinius, Dathius, Zirkelius aliique reddiderunt hoc modo. *Quis novit spiritum filiorum hominis, qui adscendit sursum? et spiritum bestiarum, qui descendit deorsum, in terram?* Enimvero si recte se haberet haec translatio, et Koheleth id, quod volunt, statuisset, animos nempe hominum post mortem *vivere* et *perdurare*, animas bestiarum contrá simul cum corporibus terrenis *interire*, adeoque *deteriorem accipere sortem:* ipse profecto sibi contradixisset. Nam v. 19. aperte professus erat, unum idemque evenire hominibus ac bestiis, illos pariter atque has succumbere morti, eumdem iis inesse spiritum (רוּחַ אֶחָד), neque habere homines, quo bestiis antecellerent. At, inquiunt, haec nonnisi ad *naram atque vitam animalem* spectant, hominibus et brutis communem! Recte. Sequitur ergo, quae v. 21. leguntur, ad *eamdem* esse referenda, nec duplici sensu accipi posse vocabulum רוּחַ, quum orationis et sententiarum in utroque commate propositarum nexus sit arctissimus. Proinde cum Alexandrinis, Syro, Arabe et Chaldaeo, quorum exemplum Lutherus aliique sunt imitati, vertendum est sic: *Quis novit spiritum hominis*, (et scit,) *num adscensurus ille sit sursum? spiritumque bestiarum*, (et scit,) *an descensurus sit ille deorsum in terram?* Nempe non dubitasse Koheleth putandus est de ista spiritus humani adscensione, id quod dictis Cap. 12, 7. repugnaret, sed continuasse potius eam, quam instituisset, hominum cum bestiis comparationem, hoc modo ac sensu: *Una est omnibus morien-*

di necessitas! *Quis autem est, qui sciat, disparem in morte conditionem esse hominum et bestiarum*? Ita vero efficitur, ut nihil hic de hominibus praedicetur, quod non idem, e scriptoris mente, ad animalia pertineat *). — Accedit denique, quod, si spes, quam nos fovemus laetissimam, Ecclesiastae adfulsisset, non obiter ipse tetigisset, et verbis ambiguis notasset rem maximi momenti, nec talem tamque tristem ac miserum, qualem Cap. 9, 5, 10, mortuorum statum depinxisset **).

---

*) Secus statuit VAN DER PALMIUS, qui quamquam et ipse locum Cap. 3, 18-22. talem esse contendit, ut *cum doctrina de immortalitate mentis humanae conciliari nequeat* (l. l. p. 15. et p. 139.), libri tamen auctorem, observato illustri quodam casu (Cap. 9, 13—15.), eo adductum esse perhibet (p. 32.), ut in loco altero Cap. 12, 7. *vitam futuram animique immortalitatem aperte innuerit* (p. 33. et p. 194.) — Quae quo modo probari possint aut defendi, equidem non intelligo. Vid. AMMONII *Bibl. Theol. p. III, p.* 219 *sq. p.* 226 *sq.* ed. sec.

**) Cf. CLERICI *Commentar. in Conc. Salom.* ad l. l. HAENLEINIUS *Ueber die Spuren des Glaubens an Unsterblichkeit und Vergeltungszustand im Koheleth; in N. theol. Journ. Vol. IV. Part.* 4. *p.* 277 *sqq.* Io. E. CHR. SCHMIDTIUS *l. l. p.* 201 *sq. p.* 221 *sqq.* DE WETTII *Bibl. Dogmat. p.* 153. *ed.* 2. Eiusd. *Lehrbuch d. Einl. in das A. T. p.* 310. UMBREITII Commentatio: *Coheleth Scepticus de summo bono* (Gotting. 1820. 8.) *p.* 120 *sqq.* et BRETSCHNEIDERI *Handb. d. Dogmat. Vol. II, p.* 368. *ed.* 2.

De vera natura atque indole orationis graecae N. T. commentatio.

Scripsit

Henr. Planck, Theol. Prof. Gotting. *).

De sermone graeco Novi Testamenti eiusque indole multi sunt, qui scripserunt; nec tamen omnium studia parem commendationem habent. Ex quo Henricus Stephanus, ludibrii magis, quam veritatis ratione habita, orationem ss. Scriptorum pure graecam, Atticaeque elegantiae comparandam esse condenderat; intellectum est a theologis, esse philologos, qui bene graecam sermonis N. T. indolem, illibatamque eius castitatem in dubium vocarent. Pugnatum est diu, varioque Marte in utramque partem. Quo certamine rei ipsi rectius explanandae parum consulebatur: aut enim optime graecam, aut prorsus barbaram, mixtamque hebraismis esse dictionem ss. auctorum, probatum ibant omnes, qui in hac arena fortunam viresque experiebantur. Qui prius propugnabant, provinciam melius administrari non arbitrabantur, quam si ad hebraismi criminationem propellendam, et scriptoribus profanis,

---

*) Edita est haecce commentatio ab auctore doctissimo ad indicendam orationem professionis theol. extraord. adeundae caussa habitam d. 8. Sept. 1810.

poëtis maxime, ea loca afferrent, quae vel in sensu verborum, vel in compositione, vel, in constructione quodammodo ad eamdem hebraei idiomatis speciem revocari posse videbantur. Facilius negotium fuit iis, qui contrariam sententiam tuebantur, esse omnino sermonem N. T. multis hebraismis corruptum. Sed et hi satis habebant demonstrasse, quid in libris sacris ab ingenio dictionis graecae esset alienum, et ad Orientalium linguarum usum referendum. Sic factum est, ut omni controversia ad hebraei tantummodo coloris, quo orationem ss. auctorum tinctam videmus, rationem revocata, id, quod plurimum facit in recta interpretatione Codicis sacri, prorsus negligeretur, serioris scilicet sermonis graeci, inde ab Alexandri M. tempore exorti, indoles ac natura, cuius tot tantaque vestigia in Hellenismo sacro haud sine multa opera deprehenduntur. Tres sunt tantummodo viri[1]), qui de lingua Graecorum communi post tempora libertatis Graeciae deperditae accuratius exposuerunt, quorumque studia cum laude afferri possunt. Unus SALMASIUS, qui in Commentario de lingua Hellenistica, aliisque libris multa hoc de argumento eleganter disputavit; alter FISCHERUS, qui quantum in Prolusionibus, quas de Vitiis Lexicorum N. T. edidit, rectam interpretationem librorum sacrorum iuvarit, theologi omnes ad hunc usque diem grata memoria retinent. Tertius, qui nuperrime his sese adiunxit, doctissimus STURZIUS, libello peculiari de dialecto Macedonica et Alexandrina edita[2]), huius sermonis reliquias diligenter admodum multoque iudicio ex antiquis fontibus conquisivit. Nihilominus tamen, id

---

1) GE. GUIL. KIRCHMAIERI dissertationem de dialecto Graecorum communi (Viteb. 1709. 4.), quam Sturzius laudat inspicere mihi non licuit.

2) Lipsiae 1808. 8.

quod sine omni arrogantia dictum esse volo, res de qua agitur, nondum ea copia, eaque diligentia, qua fieri fas est, ab hisce triumviris exposita mihi videtur. Nam quod ad SALMASIUM primum attinet, is etsi rectam viam ingressus, bene animadvertit, Graecorum civitatibus per Macedones expugnatis, dialectos, quae hactenus in Graecia seorsim obtinuerant, coaluisse, indeque sermonem mixtum sive communem natum esse, qui et in exteras provincias, Macedonum imperio subiectas, transmigravit: tamen huius linguae vulgaris, quae fundamento est Hellenismo sacro, naturam atque indolem parum exposuit, sed satius duxit, contra Heinsianos, qui ex sua opinione linguam N. T. peculiarem dialectum fecerant, monere, id, quod omnibus commune, et ex omnibus dialectis conflatum sit, peculiarem dialectum esse amplius non posse. Plura dedit FISCHERUS, qui Salmasii vestigiis insistens, exemplis probare studuit, orationem Macedonum atque Alexandrinorum, post Alexandri tempora in vita ac quotidiana consuetudine usurpari coeptam, differre multum a sermone antiquiore, cuius virtutes veneresque in Atticorum libris hodie adhuc exstant. Intelligitur, viri doctissimi consilium ac voluntatem non fuisse, diligentissime ea conquirendi, quae in sermone ss. auctorum ad serioris huius idiomatis rationem propius accederent; qui plenior diligentiorque recensus etsi valde exoptatus fuisset, tamen ab eo pro instituti sui ratione exspectari non potuit. Sed desideratur alterum quid, quod non levioris momenti aestimari vellem, historica quippe expositio, qui factum sit, ut Graeciae dialecti omnes perturbatae et inter se mixtae essent, quo exposito solum recte cognosci potest sermonis istius serioris interna indoles imperiumque. De doctissimi STURZII instituto iam alio loco sententiam nostram diximus, quam hic copiose repetere non placet. In eo potissimum peccatum nobis videtur ab auctore; quod seriorem

istam loquendi consuetudinem ad certas quasdam dialectorum species revocare, idcircoque peculiarem dialectum Alexandrinam constituere voluit, quod per se fieri non posse, omnes intelligunt, qui naturam atque origines istius linguae communis recte mente perspectas habent. Restant alia multa, quae seriori sermoni propria nondum ab interpretibus notata videmus, quaeque nihilominus eiusmodi sunt, ut ex iis praecipue differentia vulgaris orationis a bene graeca sive Attica recte cognosci possit. Quo referas primum multa verba verborumque formas, in N. T. obvias, quibus aut denuo fingendis, aut immutandis studuit communis loquendi usus, quarumque exempla apud probatos Graeciae scriptores nulla, apud eos vero, qui post Alexandri M. tempora floruerunt, haud rarissime deprehenduntur. De quibus etsi in singulis non semper ad accuratam lancem aestimari poterit, num in seriore loquendi usu, an iam antiquiore tempore usurpari coeptae essent; tamen omnibus, quos in subsidium adhibere licuit, fontibus examinatis, criteria non prorsus desunt, quibus, cuiusnam temporis sint, haud improbabili coniectura possis cognoscere. Alterum, quod non minus vulgari orationi proprium est, quodque simili modo ab omnibus, qui de Hellenismo N. T. scripserunt, omissum video, continetur in notandis iis verborum temporibus, modisque, quibus Attici scriptores prorsus abstinuerunt, aut ad vitandam soni difficultatem, qua auris offendi potuisset, aut ad fugiendam sensus quandam ambiguitatem, quae cum aliis formis similiter sonantibus intercedere videretur, aut ex aliis caussis, quas diligentius recensere hic locus non est. Ex N. T. multa huiusmodi afferri possunt, quae apud probatos auctores non inveniuntur, c. g. ἔζησα, ἐγέννησα, ἀκούσω, ἁμαρτήσω, ἐλεύσομαι, δώῃ, etc. quae si vulgaris orationis ingenium atque indolem recte perspicere atque aestimare velis, nequaquam negligi debent. Nec minorem

diligentiam in syntaxi serioris sermonis recte exponenda desideramus, in qua si ad solum particularum usum, temporumque ac modorum verbi positionem attenderis, multa invenies, quae qui eleganter scripserunt, prorsus sunt aspernati. Neque haec scrire superfluum censeas: interpretem N. T. qui numeris omnibus absolutus vocari velit, ea cuncta tenere oportet, quibus scriptorum ss. scribendi ratio differt a bene Attica oratione, idque neutiquam fieri potest, nisi serioris loquendi cosuetudinis rationem quam accuratissime expositam habemus. Taceo alia, quae ex eodem genere sunt, praecipue novos verborum significatus, qui frequenter occurrunt, quibusque rite definiendis diligentior adhuc opera optanda est.

Sed haec omnia levius essent ferenda, nisi accederet negligentia interpretum multorum vix credibilis, qua ad hunc usque diem in explanando usu loquendi N. T. huius rei fere nullam rationem habuerunt. Ignoratur a plerisque et nascendi ratio et natura istius graeci idiomatis, quo praeter linguae Aramaeae vestigia praecipue continetur Hellenismus sacer; ignorantur criteria atque notae, quibus differt ab Atticorum oratione, quae sola fere in scholis, librisque grammaticis docetur; ignorantur denique fontes, nec recte aestimantur, a quibus pendet usus loquendi is potissimum, ad quem tanquam ad legem summam, grammatica N. T. ratio omnis revocetur oportet. Exempla multa proferre possem, nisi tempori chartaeque melius esset consulendum: pauca igitur sufficiant, quae in promtu sunt. Dubitatum est nuperrime de authentia epistolae, quam Paulus primam ad Timotheum scripsit 3), dubitandique ratio in-

---

3) Schleiermacher, *Sendschreiben über den sogenannten ersten Brief an den Timotheus. Berlin* 1807.

ter alia petita est a verborum copia, quae praeter hanc epistolam in reliquis Pauli scriptis non deprehenduntur. Quam parum hoc in genere epistola, de qua quaestio posita est, a reliquis Paulinis differat, alio loco abunde docuimus; sed auctor dubitationis numquam profecto in hoc argumentum incidisset, si ingenium ambitumque serioris loquendi usus diligenter satis mente subactum habuisset, qui praecipue novis verbis, verborumque formis fingendis operam dedisse censendus est. Graviora sunt, quae in singulis vocibus, earumque sensu recte constituendo ab interpretibus, veram Hellenismi sacri indolem haud perspicientibus, peccata videmus. Sic idem Vir doctus, qui Paulinae epistolae ad Timotheum genuinam originem dubiam fecit, verbum παιδεύειν I. Tim. 1, 20. docendi maluit [4]) sensu accipere, quam castigandi. Sed posteriore hoc non solum a Patribus intellectum est, verum etiam in communi serioris temporis sermone obtinuit, testibus Phavorino, librisque omnibus, qui vulgari hoc idiomate exarati exstant. Sileo de sententia, quam Apostolus exprimere voluit, quaeque Patrum interpretationem solam admittere videtur: sed quis est, qui dubitet, etiamsi altera interpretatio sensu idoneo non careat, tamen serioris temporis loquendi usus quin praeferri debeat ei, quem probati Graeciae scriptores sequuti sunt? Simili modo peccavit Ven. Paulus in Commentario ad locum Marc. 15, 43. Verba infra apponam [5]). Vix

4) L. c. p. 37. 59.

5) Commentar Th. III. p. 863. εὐσχήμων *nicht Wohlhabend (dag. erklären sich* Suid. Phrynich. *und das* Etymol. *ausdrücklich*), *vielm. Wohlangesehen*, honestus, *ehrbar*. Röm. 14, 14. Alex. Prov. 11, 25. οὐκ εὐσχήμων *der sich nicht wohl benimmt.* Miror, quomodo ita scribere potuit vir doctissimus, qui quam bene Grammaticorum rationem perspexerit, docet alius locus, in

credas quemquam gravius errare posse, quam hic erratum est. Grammaticos antiquiorem, qui apud Atticos auctores obtinuit, vocabuli *εὐσχήμων* significatum vindicare voluisse contra indoctorum consuetudinem, qui de divitiis opibusque usurpare coeperant, quis non videt! Phrynichi verba nil dubii relinquunt: *εὐσχήμων τοῦτο μὲν οἱ ἀμαθεῖς ἐπὶ τοῦ πλουσίου, καὶ ἐν ἀξιώματι ὄντος τάττουσιν. οἱ δ' ἀρχαῖοι ἐπὶ τοῦ καλοῦ καὶ συμμέτρου.* Nec Suidam, nec Etymologici M. auctorem aliud quid voluisse [6]), per se clarum est. Atqui quo referendum putes scriptores sacros, quamnam ad legem aestimandum eorum sermonem? Nonne inter *ἀμαθεῖς* locum sibi postulant, quos Phrynichus mutasse primitivum vocabuli sensum et ad alia transtulisse incusat? Unde per se iam efficitur, non ad Atticae dictionis leges, sed ad vulgarem loquendi consuetudinem orationem eorum esse revocandam, nec adeo quid Grammatici probaverint, sed potius quid improbaverint, in eorum libris esse quaerendum. Accedit nostro in loco alia ratio, qua augetur accusatio neglecti usus loquendi. Mattheus in loco parallelo 27, 57. exhibet: *ἄνθρωπος πλούσιος ἀπὸ ἀριμαθαίας*, unde recte colligitur, in exemplari aramaeo, quod tres priores Evange-

---

eodem Commentario obvius; Th. II. p. 825. *Gerade dieses Urtheil* (Eustath.) *lässt uns ἐννάτην als Orthographie der Palästinens. Griechen wählen, so wie immer das, was die bei Wetst. tausendmal in dieser Beziehung allegierten griech. Scholiasten als ein unelegantes Wort bezeichnen, im alexandrin. und noch mehr im palästinensisch Griechischen des N. Ts. Regel bleibt.*

6) Suidas: εὐσχήμων· οὐκ ὁ πολλὰ κεκτημένος καὶ πλούσιος, ἀλλ' ὁ κόσμιος καὶ πειθόμενος τοῖς νόμοις καὶ συνιστῶν. *Etymol. M.* p. 398, 21. εὐσχήμων, ὁ κόσμιος, καὶ πειθόμενος τοῖς νόμοις. παρὰ τοῦτο ῥητέον, οὐχ ὁ πλούσιος καὶ πολλὰ κεκτημένος.

listae maximam partem graeco sermone expresserunt, exstitisse vocabulum, quod opulentiae notionem exprimeret, ideoque Marcum haud alio sensu Josephum εὐσχήμονα appellare potuisse. Tertium hisce adiungas exemplum, in eodem Commentario obvium [7]). Matth. 14, 6. τὰ γενέσια auctor per diem natalem explicare noluit, quoniam ex Grammaticorum [8]) tetimonio hoc significatu τὰ γενέθλια Attici scriptores adhibuerint. Sed innumera fere loca reperiuntur apud recentioris aetatis auctores, quos Grammatici τοὺς κοινοὺς appellare solent, ubi τὰ γενέσια diei natalis sensu usurparunt [9]). Nulla igitur idonea ratio adest, cur a solita vocabuli interpretatione recessum facias, quae praeter sensus opportunitatem eo magis retinenda esse videtur, quo frequentius ab aliis serioris temporis auctoribus eundem loquendi usum observatum esse constat. Haec in interpretatione: nec minora in re critica peccata commissa sunt, quae maximam partem ab ignoratione orthographiae serioris, verbique temporum modorumque nonnullorum, qui in vulgari idiomate exstiterunt, profecta videntur. Conferas Matth. 25, 36. ubi textus receptus, quem Griesbachiana editio adhuc sequitur, exhibet lectionem ἤλθετε, contra auctoritatem codicum praestantissimorum [10]) qui omnes

---

7) Commentar Th. II. p. 61.

8) Phrynich. p. 18. Γενέσια οὐκ ὀρθῶς τίθεται ἐπὶ τῆς γενεθλίου ἡμέρας· γενέσια γὰρ Ἀθήνησιν ἑορτή· λέγειν οὖν δεῖ, τὰς γενεθλίους ἡμέρας, ἢ γενέθλια. Thom. Mag. p. 186. *Etymol. M.* p. 225, 30. Zonaras p. 430. Ammonius de differentia vocab. h. v. Hesych. Suid.

9) Alciphron III. ep. 18 et 55. Dio l. 47, p. 385. et l. 58, p. 688. Xiphilin. p. 230. τὰ γενέσια; Joseph. Antt. XII. 4. 7. γενέσιος ἡμέρα; Phavorini verba: οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καὶ γενέσια λέγουσι, scil. pro γενεθλίοις, de seriore loquendi usu intelligenda.

10) ABDFL. Mt. B.

ἤλθατε scribant. Quae aoristi secundi ad modum primi formatio non solum satis frequens est Alexandrinis interpretibus [11]), verum etiam a Grammaticis distincte seriori loquendi consuetudini attribuitur. Nam apud Cilices graece loquentes in usu fuisse auctor est HERACLIDES [12]), a quibus, ut iam ante me notavit vir doctissimus [13]), ob commerciorum communionem transiisse videtur ad Alexandrinos. Quod solum exemplum, etiamsi aliud non exstaret, iam sufficeret criticos admonere, quam dilgenter in serioris sermonis indolem ac ingenium inquirere necesse sit, eaque colligere, quae vel ex Grammaticorum testimonio, vel ex constanti usu librorum seriorum isti orationi et in formis et in constructione verborum propria fuisse, recta via efficitur. Sed non desunt alia loca, in quibus ob easdem caussas Codicum lectio textui impresso praeferenda videtur. Act. 22, 7. pro vulgari ἔπεσον Alexandrinus, Laudianus, aliique iuniores efferunt ἔπεσα, quod GRIESBACHIUS nondum in textum recipere ausus est. Sed absque dubitatione pro genuino textu accipiendum: nam librarii formas huiusmodi insolentiores quam frequentissime mutarunt, earumque in locum, quae in bona oratione adhiberi solebant, substituerunt: unde non audiendi codices, numero etsi plures, si lectionis insolentioris vestigia in paucioribus servata sunt. Quapropter et nulli dubitamus, quin Act. 11, 28. λιμὸν μεγάλην legi debeat, pro quo adhuc in textu μέγαν exstat; nam et Codicum lectio est nobiliorum [14]), et insolentior, quum non Atticos, sed Dorienses feminino genere ἡ λιμός dixisse

11) I. Reg. 10, 14. εἴδαμεν, II. Reg. 10, 14. εἶδαν et ἔφυγαν, 17, 20. εὗραν, 19, 42. ἐφάγαμεν, 23, 16. ἔλαβαν etc.

12) Apud EUSTATH. ad Odyss. ξ. p. 1759, 10.

13) STURZIUS De dial. Alex. p. 62.

14) AD[ce] 27. 29. 40. Mt. d.

Grammatici aperiant [15]), quumque ex hoc Doriensium sermone multa in linguam Graecorum communem profecta esse satis constet. Idem iudicandum de altero loco, ubi pariter nomini λιμὸς adiectivum masculini generis iunctum legitur, scil. Luc. 15, 14. ἐγένετο λιμὸς ἰσχυρὸς, pro quo ex auctoritate librorum MSS. [16]) rescribi debet ἰσχυρά; nam unde, receptam si pro genuina habes, haec altera lectio in scriptos libros immigraverit, intelligi non potest. Ad orthographiam seriorem quod attinet, insigne exemplum habemus in loco I. Cor. 13, 2. ubi pro vulgari οὐδέν non solum Codices perantiqui, verum etiam Patres nonnulli [17]) οὐθέν εἰμι exhibent, quae scribendi ratio apud Atticos rarissime reperitur, sed testibus Phrynicho [18]) ac Thoma Mag. [19]) a serioribus Graecis frequentari coepta est. Eodem referas locum alium, in Matthaei Evangelio obvium 17, 24. ubi plures Codices, maioribus litteris exarati [20]), scribunt τὰ διδράγμα, quam scriptionem ut pro genuina habeam, movet me Thomae Mag. auctoritas, qui δραχμὴν, οὐ δραγμὴν scribendum esse praecipit [21]). Unde apparet, sermoni communi posterius placere debuisse. Apud Josephum [22]) et Hesychium v.

15) Phrynich. p. 80. Τὴν λιμὸν Δωριεῖς; σὺ δὲ ἀρσενικῶς τὸν λιμὸν φάθι. Phavorin. h. v. Etymol. M. p. 366, 10. Aelius Dionys. ap. Eustath. ad Od. α. p. 1390, 56.

16) ABDL. veron. corb. vind.

17) ACI, alii, Clem. Ephr. Bas. Macar. Damasc. Oec.

18) Pag. 76. οὐθεὶς διὰ τοῦ θ, εἰ καὶ Χρύσιππος καὶ οἱ ἀμφ' αὐτὸν, οὕτω λέγουσι, σὺ δὲ ἀποτρέπου λέγειν. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι διὰ τοῦ δ, λέγουσιν οὐδείς.

19) Pag. 661. Apud Thucyd. VI. 60. 66. multi codices οὐδείς exhibent pro impressio οὐθείς.

20) DEGHL. alii, veron. german. 1. for. corb. 2. cet.

21) Pag. 250. Δραχμὴ, οὐ δραγμή.

22) Pag. 622. C. 644. D.

ταχείῃ in varietate lectionis, inveniri notárunt interpretes. De tertio loco, in quo vera lectio ab orthographia seriore pendet, FISCHERUM [23]) iam sententiam tulisse video. Exstat in Lucae Commentariis c. 2, 24. ubi vulgo δύο νεοσσοὺς legitur, quo pro Codicum [24]) lectionem νοσσοὺς reponendam esse bene vidit vir doctissimus, quum Grammatici ε litteram a serioribus auctoribus in hac voce omissam esse doceant.

His expositis, quae non diu quaerenda, sed ad manus fuerunt, facile intelligitur, disputationem pleniorem diligentioremque de vulgari Graecorum loquendi consuetudine, quatenus vestigia eius in libris sacris N. T. cernantur, a studiis nostris nequaquam esse alienam, sed potius multum usus commodique afferre posse iis, qui in explanando atque dilucidando usu loquendi N. T. versantur. Unde haud absque loci temporisque huius ratione esse censuimus, ea exponere, quae nobis tota hac de re dici posse videbantur. Agere nimirum placet *de serioris Graeci sermonis, cuius in litteris sacris vestigia frequentissima deprehenduntur, indole atque ingenio.* Huius disputationis duae partes constitui possunt: una, qua in originem atque nascendi modum huius orationis inquiritur, quonam tempore, quibusnam caussis exorta, quibusque ex fontibus cognoscenda sit; altera, qua ea recensentur, ad certaque genera revocantur quae illi sermoni in dictione ss. auctorum propria animadvertuntur. In utroque argumento exponendo brevitati summae studebimus, cum res eiusmodi sit, ut si pro dignitate discutiatur, iis, qui scriptioni huic fines necessario sunt constituendi, neutiquam possit comprehendi, cumque nos libro peculiari, cui *Isagoges philologicae in N. Testamentum* nomen faciemus, idem

---

23) Proluss. de Vit. Lexic. N. T. p. 676.

24) BEGHS. alii.

argumentum plenius exponere in voluntate habeamus. Unde hic iis potissimum immorabimur, quae necdum a Fischero, nec a Sturzio notata, eaque, qua nobis id fieri debere videatur, ratione explanata sunt.

I.

Qui de Hellenismi sacra natura atque indole agere instituebant, mea sententia, illud primum ponere debebant, quod non sermone culto perpolitoque, quo scriptores eruditi usi reperiuntur, sed eo potius, qui in usu quotidiano, vitaeque communis consuetudine obtinuit, exarati sunt libri N. T. Neque Paulum excipio: is enim etsi legendis bonis scriptoribus, poëtis maxime, floris aliquantum atque elegantiae stylo suo addidisse videtur, tamen grammaticis linguae graecae studiis nunquam ita operam dedit: ut auctoribus probatae orationis ullo nomine possit adnumerari. De caeteris res ipsa loquitur, quibus praeter communem loquendi rationem, qua usi sunt, neinnotuit quidem melior oratio. Ab hoc igitur vulgari idiomate initium erat deducendum, quod qui neglexerunt, non potuerunt non, quin in errorem venirent. Nam nec in iusta verborum interpretatione, nec in fontibus usus loquendi recte constituendis, sine accurata illius rei expositione aliquid praestari potest. Nos igitur, novam sermonis N. T. descriptionem tentaturi, primum illud quaeramus necesse est.

Vulgaris graecae orationis, qualis antiquiore tempore habebatur, internam naturam atque rationem perscrutari, perdifficilis res est. Nam neque una fuit, sed pro diversis gentibus diversa, nec fontes satis idonei exstant, e quibus accuratior eius rei, de qua agitur, cognitio hauriri possit. Praeter Grammaticorum observationes nonnullas, in quibus vulgaris loquendi usus mentionem faciunt, comicorumque poëtarum, qui communem populi sermonem imitati sunt, fragmenta, in-

scriptiones tantum habemus, magistratuumque decreta, quae, etiamsi integra ad nos pervenerint, tamen non omnia illustrarent. Unde et inter eos, qui recentiore aetate de sermone N. T. exposuerunt, nulli inveniuntur, qui generatim aliquid edisserent de origine atque indole vulgaris orationis, ex eo tempore, quo auctores sacri floruerunt; sed si qui erant, qui serioris loquendi usus in N. T. vestigia deprehenderent, ii satis habebant, aut Grammaticorum locos afferre, quibus aliquid seriori loquendi consuetudini attribuitur, aut ea notare tantum, quorum exempla similia e bonis scriptoribus laudare non potuerunt. Nos igitur, quae tota hac de re in universum disputari possunt, primo loco afferamus.

Grammaticos veteres, qui de Jonica, Dorica, Aeolica, Attica dialectis praecipiant, non de communi gentium oratione, sed de scriptorum, qui ex iis gentibus progressi sunt, scriptisque dialectos patrias excoluerunt, sermone esse intelligendos, inter omnes constat. Quatuor enumerant dialectos non eam ob caussam, quasi Graeca lingua non plures loquendi diversitates habuisset, sed quoniam his quatuor tantum scriptores usos inveniebant. Quae de indole earumque inter se differentia disputarunt, ea ex hisce ipsis scriptoribus desumta sunt. Errant igitur, qui ex eorum de dialectis Greciae praeceptis aliquid de oratione vulgari eiusque differentiis effici posse censent. Gentium dialecti plures multo exsistebant, id quod ex Hesychii, aliorumque testimoniis satis apparet, qui multa singulis civitatibus et in verborum formis, et significatu peculiaria observarunt. Ex iis optime perspicitur, quam vera sint, quae egregii viri plures nostro tempore monuerunt, gentium nomina quatuor illa, ad quae plerumque omnes Graeciae populi referuntur, non adeo respicere linguarum diversitatem, quibus gentes illae inter se uterentur, quam potius diversas origines, quas habuisse putarentur, diversam ra-

tionem, qua respublicas administrarent, nexumque socialem, quo inter se aut per cognationis vincula, aut per domiuii leges coniunctae essent. Sed haec nobis monere tantum, persequi non licet.

Post Alexandri M. tempora multa et in gentium et in scriptorum dialectis mutata sunt. Ante Graeciam victam, ut ab his exordiar, in quacunque gente inventi sunt, qui patrias dialectos loquendique idiomata in scribendo adhibebant, eaque ad usum scriptorum accommodabant, eos dico, qui prosa oratione utebautur. Nam poëtas ab antiquissimo tempore aut patriae dialecti usum prorsus adspernantes, eam linguam secutos esse, quae in certo poëseos genere magnis exemplis nobilitata fuit, aut si gentis, ex qua essent, sermone uterentur, eundem tamen non purum, sed aliarum linguarum formis auctum adhibuisse, nemo est, qui ignoret. Iam vero, tota Graecia unius victoris imperio subdita, unam quoque dialectum scriptores fere omnes sectari incipiunt. Haec fuit Attica, quae tum temporis tanta sermonis elegantia, tantaque auctorum praestantissimorum, qui ea in scribendo usi erant, abundantia polluit, ut iam dudum pro politissima Graecorum lingua haberetur. Unde factum est, ut haud diu post ad communem scriptorum usum accommodaretur, omnesque arbitrarentur, se pulchrae dictionis laudes nonnisi in Attica dialecto posse assequi. Haec vero usus communitas tantum abfuit, ut linguae Atticae splendorem elegantiamque novam addidisset, ut potius scriptorum negligentia labis inde plurimum contraheretur. Fieri enim non potuit, quin omnes pari diligentia parique studio scriptorum optimorum exempla sectarentur, ita, ut sibi ab omnibus cavissent, quae aut dialectis antiquioribus, aut novo, quod in vita vulgarique consuetudine coeptum erat usurpari, loquendi idiomati peculiaria erant. Unde Grammatici seriori huic orationi, quae a scriptoribus post Alexandrum M. in scribendo

adhibita fuit, nomen τῆς κοινῆς sive ἑλληνικῆς indiderunt, quoniam et omnibus communi in usu fuit, et a pluribus loquendi diversitatibus aliquid immixtum adspersumque habuit. Sed haec, ut omnibus nota, praetermitto. Afferri debebant, quod, si de fontibus loquendi usus T. T. recte definiendis quaeritur, scriptores, qui a Grammaticis οἱ κοινοί vocati sunt, plus ponderis momentique habent iis, qui pura illibataque Attica dictione utebantur. Neque, ut alio loco videbimus, inutiles sunt fontes aestimandi, ad vulgaris orationis, qua tanquam elemento suo continetur Hellenismus sacer, indolem naturamque accuratius definiendam.

Altera, quae post Alexandri M. tempora evenit, commutatio facta est in gentium dialectis, eaque nostra attentione maxime digna, quoniam ab oratione inter populum usurpata pendet omnis Hellenismi sacri perscrutatio. Graecia quum per Macedones libertate privata esset, non fieri potuit, quin dialecti, quae hactenus seorsim inter varias gentes obtinuerant, inter se miscerentur atque corrumperentur. Quod antea, libertate integra, nemini probabile visum est, civitates moribus, iure institutisque maiorum sibi maxime dissimiles, ad linguae unius inter se communitatem unquam fore perventuras; id iam nunc, mutata reipublicae forma, peregrini populi dominio factum est. Plures possunt caussae indicari, quibus haec dialectorum perturbatio debetur. Prima omnium interitus libertatis, quae, dummodo integra fuit, singulas nationes propter diversa iura, leges, reipubublicaeque formam nec ad imperii, nec ad linguae unitatem pervenire patiebatur. Quod autem ante iam evenerat, ut, qui populus principatum teneret, eius quoque lingua inter subditas gentes usurpari soleret [25]), id iam nunc, Macedonum imperio di-

25) Sic Strabo VII. p. 388. de Doriensium imperio in Peloponneso: σχεδὸν δ' ἔτι καὶ νῦν κατὰ πόλεις ἄλλοι ἄλλως

latato, ubique locorum fieri debuit. Alexander ipse exercitus suos ex omnibus gentibus conscribi curavit, ac quos successores in Europa habuit, ii continuis bellis, expugnatisque nobilioribus civitatibus, dialectorum perturbationem coalitionemque valde auxerunt. Haec in Europa: nec alio modo in exteris regionibus, quo Macedonum imperium transferrebatur. Armorum vi quum omnia essent occupata, victricis nationis lingua brevi tempore invaluit, sed ea nequaquam pura, sed e colluvie gentium enata. Accesserunt coloniae recens conditae, quum ab Alexandro ipso, ut Alexandria, tum ab iis, qui post eum in Asia summum rerum dominum habebant, ut Seleucia, Ctesiphon, Antiochia. In his urbibus Graeci incolae ex omnibus gentibus convenerant, suasque dialectos perturbarant, unde in Asia atque Africa ex hoc tempore nulla dialectus pura exstitisse amplius censenda est.

Quae cum ita sint, facile intelligitur, quanam natura indoleque sermo ille communis esse debuerit, qui post Alexandri M. tempora omnes Graecas provincias invaserat. Ex omnibus aliquid habebat, idque pro locorum rerumque externarum diversitate varie compositum mixtumque erat, ita, ut quae lingua ante in certis regionibus obtinuerat, ea novo sermoni fundamento esset, ac quasi pro corrupta multisque novis accessionibus deformata dialecto haberi posset. Sic in Attica, ubi ante Graeciae ruentis fata Attica lingua obtinuerat, sermo novus plurimum Atticismis abundavit; in Peloponneso aliisque locis, in quos Dorienses imperium exercuerant, e Dorica dialecto plurima recepit. Ubique tamen locorum unum commune habuit hoc, ut ex pluribus dialectis compositus esset. Unde apparet, post Alexandri M. tempora de dialectis, si hanc vocem pro-

διαλέγονται· δοκοῦσι δὲ Δωρίζειν ἅπαντες διὰ τὴν συμβᾶσαν ἐπικράτειαν.

prio sensu intellexeris, sermonem amplius esse posse nullum, neo igitur de dialecto Alexandrina. Alexandriae sermo communis in usu fuit, ac haud dubie plura habuit peculiaria et in compositione ex antiquis dialectis et in novis quibusdam, quae recens accesserant. Sed dialecti naturam in eo contineri definiunt viri docti, quod linguae communis sit diversitas quaedam sive idioma, certo quodam in loco, et apud certum quendam populum, qui illo ab aliis *eiusdem gentis* populis distinguatur, usitatum [26]). Idem etiam Grammatici veteres praecipiunt [27]). Quod si ita est, facile intelligitur, Judaeorum Alexandrinorum linguam, quam nuperrime Vir doctus [28]) hoc sensu dialectum appellare voluit, sub eo nomine venire non posse, propterea quod χαρακτὴρ ἐθνικός prorsus in ea desideretur. Nam Judaei origine, non Graeci ea utebantur. Quod si vero, ut pariter nostra aetate multi fecerunt, χαρακτῆρος ἐθνικοῦ ratione non habita, solam linguae diversitatem, quaecunque sit, dialecti nomine insignire velis, omnino dialecti seriores Graecitatis exsistunt multae, quae antiquiores numero facile superant, quod sub Macedonum imperio quocunque fere in loco novum loquendi idioma oriebatur. Sed omnes illae serioris linquae diversitates, ut iam dixi, hanc semper inter se similitudinem servant, ut quae antiquioribus dialectis singulis propria fuerant, ea diversissimis modis inter se miscerent, novisque accessionibus locupletarent. Omnium

---

26) Sturz De Dial. Alex. p. 18.

27) Schol. Aristoph. ad Nub. 317. διάλεκτός ἐστι φωνῆς χαρακτὴρ ἐθνικός.

28) Sturz De Dial. Alex. p. 22. „Certum igitur est, Judaeos istos peculiarem quodammodo certisque finibus circumscriptum, et ab aliis populis distinctum populum Alexandriae fuisse, neque adeo dubitari potest, quin eorum lingua dici recte dialectus possit."

dialectorum vestigia occurrunt in oratione communi, praeter Aeolicae, quam tum temporis non amplius in vita oreque hominum superstitem fuisse satis probabile est. Doricam caeteris praevalere, nemo mirabitur, qui Macedonum linguam ei proximam fuisse meminit. Jonicae paucissima omnium vestigia reperiuntur, quippe quae ante iam in vita ac consuetudine quotidiana paullatim desiisse, vel cum Atticorum sermone coaluisse videtur. Sed haec, cum sine multo apparatu exponi nequeant, ulterius persequi non licet.

De nomine sermonis illius serioris Grammatici nihil praeceperunt; nec id potest ab iis exspectari, qui in commentariis suis linguam scriptorum tantum atque eruditorum tractare sibi proposuerant. Nostro tempore duplicem video a viris doctis huic sermoni inditam appellationem, unam a Fischero, qui Macedonicae et Alexandrinae dialecti nomine eum insignivit [29]); alteram a doct. Sturzio, cui τῆς κοινῆς nomen magis placuit [30]). Fischero inprimis duo nominis, cuius auctor fuit, convenientiam persuasisse videntur, partim quod per Macedonum imperium dialecti Graeciae perturbatae essent, quae perturbatio peperit sermonem novum, partim quod Judaei Alexandrini novum dicendi idioma praecipue in scriptis adhibuissent, unde Apostolos Evangelistasque multa hausisse novimus. Sed in utroque nomine aliquid ambigui haeret. Macedones ante, quum nondum Graeciam invasissent, lingua peculiari utebantur, quam cum veteri Dorica dialecto multum conspirasse tradunt Grammatici, unde sermonem Macedonicum veterem a sermone Macedonico novo distingui oporteret. Alexandrinae dialecti appellatio angustis nimis finibus circumscripta est, remque, quae exprimi debet, pro ambitu

29) Proluss. N. T. Nr. 30. 31.

30) Pag. 19. 29. 52.

suo exprimere non valet. Facile hoc nomine adduci posses, ut, quod minime verum est, ab Alexandria exiisse sermonem communem credas. Iudaeos Alexandrinos hunc sermonem in scribendo adhibuisse verum est, sed non scriptorum, sed populi tantum usui accommodatam fuisse hanc orationem novimus, unde nomen a paucis, qui in scribendo ea usi sunt, auctoribus pendere non potest. Prorsus vero improbanda videtur ea, quae Sturzii est, sermonis huius denominatio. Grammaticos τὴν κοινὴν διάλεκτον alio sensu dixisse, supra novimus; orationem non vulgarem, quae post Alexandri tempora in vita communi usurpari coepta est, sed potius scriptorum linguam, qui fere omnes ad Atticam sese accommodarant, hoc nomine significabant. Nos de nomine non solliciti, rem perspicue exposuisse satis habemus.

Hactenus de origine atque indole sermonis serioris in universum; iam de fontibus, e quibus serior usus loquendi cognosci potest. Triplex eorum genus constituendum, pro vario usu atque momento, quod in sermonis communis indole ac proprietatibus recte cognoscendis habere possunt. Primum τοὺς κοινοὺς auctores complectitur; h. e. eos, qui post Alexandri aetatem scripserunt, quorum ordinem primus ducit Aristoteles. Ex his pauca tantum proferri possunt, ad serioris sermonis indolem vimque recte illustrandam, cum omnes proprie Attica dialecto libros suos conscripsisse censendi sint, nec tamen pura illa atque incorrupta: sed ea, in quam multa iam et quoad verba nova, et quoad novos verborum significatus e vulgari loquendi consuetudine immigraverant. Haec quidem sunt vitia aestimanda in dictione τῶν κοινῶν, nec tamen negligenda ei, qui communem loquendi usum indagare atque cognoscere studet. Exempla afferre supersedeo; alio loco sponte se dabunt. Hoc unum addam, rationem τῶν κοινῶν non esse eandem, si de fructu quaeritur, qui ex eorum

scriptis pro seriore loquendi usu dilucidando capi possit. Nam tantum abest, ut omnes eodem modo scripsisse putandi sint, ut potius alios dictionem suam ad exempla probatissima summo studio revocasse, alios e contrario bene Atticae orationis praecepta prorsus fere neglexisse, stylumque multis novis loquendi formulis admissis corrupisse videamus. Hoc de Artemidoro, Appiano, aliis, illud de Arriano, Luciano, Aeliano, etc. intelligi debere, sciunt omnes rei periti. Ex editoribus recentioris temporis unum tantum novi, qui serioris sermonis vestigia, in scriptore suo obvia, ea, qua fieri debuit, diligentia adnotavit, Iamischium puto ad Herodianum. Quoad caeteros auctores, nemo adhuc operam dedit in notandis iis, quae in eorum libris ad seriorem loquendi consuetudinem referri debeant.

Alterum genus fontium, e quibus communis serioris temporis oratio cognosci potest, constituunt scriptores ii, qui de hac oratione diserte exposuerunt. Huc primo pertinent Grammatici sive Atticistae, ut Phrynichus, Moeris, Herodianus, Thomas Magister, alii, qui in libris suis iis, quae a serioribus scriptoribus ad Atticam elegantiam minus dicta erant, opposuerunt bene Atticas loquendi formulas atque nomina. Deinde Scholiastae, quorum in Commentariis multa exstant, quae ad seriorem loquendi usum observandum faciunt. Denique Lexicographi, Hesychius, Suidas, Zonaras, Photius, Phavorinus, qui multa Attica vocabula, per alia, novo sermoni propria interpretati sunt. Qua ratione inter se differant, quamque caute testimonia eorum examinanda sint, singulatim hic exponi nequit.

Restat tertium genus, quod in scriptis iis continetur, quae communi hoc sermone ipso exarata sunt, reliquis duobus multo gravius. Sunt illa versio Alexandrina V. T. et quae aliae eiusdem versiones graecae exstant, Novum Testamentum, Apocrypha V. ac N. T., Patres Apostolici, quibus addi possunt, quae in inscrip-

tionibus, nummis, decretisque magistratuum, et Comicorum recentioris aetatis fragmentis sunt servata.

II.

Sequitur altera pars disputationis nostrae, qua quae sint vestigia sermonis communis, in N. T. obvia, indicari oportet. Hac in re explicanda ita versabimur, ut, constitutis certis generibus, ad quae singula exempla revocantur, primo ea afferamus, quae ex antiquioribus dialectis in linguam seriorem convenerunt, ac deinde ea notemus, quae recentioris originis esse videntur. Omnia recensere non volumus; exempla singula sufficient. Unde et syntaxin N. T. praetermittimus; nam etsi innumeris fere modis auctores sacri leges grammaticae graecae, ad syntaxin spectantes, neglexerint, tamen haec ad stylum, non ad linguae idioma pertinent, quo usi sunt. Quapropter a nobis, qui solo in linguae elemento exponendo acquiescimus, eius rei ratio nulla haberi potest.

Linguae communis, quae Hellenismo sacro N. T. fundamento est, vestigia haec fere ad genera revocare licet.

I. *Vocabula, quae ex barbaris linguis in Graecum sermonem immigrarunt.* Hoc ante Macedonum imperium iam factum erat, inprimis apud Athenienses, quos Xenophon ex omnibus fere Graecorum atque barbarorum populorum linguis sermonem compositum mixtumque habuisse testis est [31]). Quod ante acciderat, id seriore tempore, posteaquam Graeca oratio inter exteras nationes longe dilatata esset, saepius accidere debuit. Macedonum bella, novaque regna, ab iis condita, in Asiam Aegyptumque eam inducebant, eaque re

31) De republ. Atheniens. II, 8. Cf. Pierson, ad Moerid. p. 349.

factum est, ut inter novos incolas multis vocabulis peregrinis misceretur. Successerunt tempora imperii Romani, quod, ut constat, ubique locorum eam vim habuit, ut subditorum linguas ad sermonem latinum conformaret. Apostolorum aetate linguam communem, qua usi sunt, multa ex Aramaeo, Latino, nonnulla etiam ex Persico Aegyptioque sermone contraxisse videmus, quorum omnium vestigia leguntur in N. T. Exempla, ut satis nota, afferre supersedeo.

II. Sequitur *alterum*, linguae communi proprium, quod in *orthographia verborumque pronuntiatione* continetur. Hac inter se antiquiores Graeciae dialectos plurimum discrepasse constat, cuius discrepantiae caussae neminem latent. Serior sermo plurimas eiusmodi differentias in se recepit, novasque finxit, quae ante non audiebantur. Vestigia nonnulla haerent adhuc in libris N. T. etsi hoc in genere facile plurimas librariorum ac grammaticorum mutationes experti sunt, quod neminem, qui Codices ipse inspexit, fugere potest. Sequuntur enim fere omnes terrae eius, in qua scripti sunt, orthographiam, aliam Aegyptii, aliam Byzantini, aliam, qui in Occidente sunt exarati. Unde illud tantum seriori sermoni hoc in genere vindicare non dubitamus, quod et consensu optimorum librorum tanquam genuina lectio defenditur, et testimoniis veterum Grammaticorum in lingua communi vere exstitisse evincitur [32]).

32) De orthographia Alexandrina diserte STURZIUS exposuit p. 116 sq. secutus Codicum Alexandrini ac Turicensis auctoritatem. Quanquam vir doctus ipse non diffitetur, in hisce libris inveniri multa, quae nonnisi librariorum peccata esse videantur, idcircoque illud tantum, quod cum constantia quadam differre a reliquorum Graecorum et antiqua scribendi ratione observetur, tanquam certum orthographiae Alexandrinae genus admitti iubet: tamen nescio, an recte praeceperit vir doctus, cum codices isti in multis haud dubie, librariorum quae fuerit, orthographiam scribendique

Caetera, de quibus certiora desiderantur, in integro relinquenda.

Jam exempla quaedam proferamus, ex omnibus aliquid. Atticismi plurimi inveniuntur, quod et dialecti illius, per se spectatae, dilatationi, et librariorum studiis criticis debetur. Eius generis est ὕαλος [33]) Apocal, 21, 18. et φιάλη [34]) ib. 5, 8. in quibus vocibus Jones ac Dorienses vocalem ε habebant, ὕελος et φιέλη. Accedit ἀετός Matth. 24, 28. pro quo reliquis Graecis αἰετός dicebatur [35]), Alia multa in correptione vocalium observantur, quae singulatim persequi non licet.

Doricam scriptionem servant πιάζω Joh. 7, 30. pro πιέζω [36]), καμμύειν Matth. 13, 15. Act. 28, 27. pro καταμύειν [37]), κλίβανος Matth. 6, 30. pro κρίβανος, quam formam etiam οἱ κοινοί saepius usurparunt [38]).

---

rationem exhibeant, quos seculum sextum aetate superasse vix ac ne vix quidem sustineri potest. Quod ad libros N. T. attinet, ne ad unius codicis orthographiam debeant revocari, res est dubii expers, cum auctores sacros non unam eandemque scribendi rationem sequutos esse, sed aliam Ioannem, aliam Paulum, aliam Petrum, Jacobum, reliquos, pro locorum, ubi versabantur, diversitate, nemo in dubitationem sit vocaturus. Unde in iis subsistere malui, quae et codicum optimorum consensu, et testimoniis Grammaticorum linguae communi propria fuisse probabile reddi potest.

33) Thom. Mag. p. 862. ibiq. Hemsterhuis.

34) Moschopulus περὶ σχ. p. 120. Moeris p. 389. ibiq. intp.

35) Moeris p. 18. Etymolog. p. 51, 49. Eustath. ad Il. α. p. 21 f.

36) Etymol. p. 671, 30.

37) Gregor. de diall. p. 165. qui et Jonum hanc rationem fuisse testatur alio loco p. 290.

38) Phrynich. p. 76. Thom. M. p. 554. Athen. III. p. 110. C.

Doriensium etiam haud dubie est πανδοχεῖον Luc. 10, 34. pro quo Grammatici πανδοκεῖον reponi volunt [39]), quae posterior scriptio ab Jonibus ad Athenienses migraverat.

Jonicam scribendi rationem sequitur Paulus in βαθμός I. Tim. 3, 13. pro quo reliqui Graeci βασμός dicebant [40]); item Lucas in ἀναβαθμός Act. 21, 35. pro ἀναβασμός [41]). Possis etiam ad eandem Jonum consuetudinem referre verbum ἐπιφαύω Eph. 5, 14. pro ἐπιφάω, quod, quantum scio in N. T. solo legitur: in aliis certe formis saepius post vocalem α litteram υ inseruerunt, ut αὐτάρ, δαυλός, ἰαύχε pro ἀτάρ, δαλός, ἴαχε [42]).

Multa sunt, quae serioris orthographiae vestigia sistunt. Taceo formas γίνομαι et γινώσκω pro γίγνομαι et γιγνώσκω, de quibus Fischerus, aliique monuerunt [43]); νοσσός, νοσσίον pro νεοσσός, νεοσσίον, quas idem Fischerus, Sturzius que [44]) adnotarunt. Nova quaedam exempla addo, in litteris sacris, quantum scio, nondum observata. Eius generis est τὸ δίδραγμον Matth. 17, 24. ex vera lectione pro τὸ δίδραχμον, de quo supra Thomae Mag. testimonium excitavimus; σαλπιστής Apocal. 18, 22. pro σαλπικτής, quod a serioribus tantum auctoribus adhiberi observarunt Attici sermonis magistri [45]); οὐθέν I. Cor. 13, 2. pro οὐδέν, de quo supra vide Gram-

---

39) Phrynich. p. 134. Thom. M. p. 676. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 122.

40) Phrynich. p. 142.

41) Thom. Mag. p. 46.

42) Eustath. ad Od. p. 1654, 27.

43) Proluss. de Vit. Lex. p. 674. Valckén. ad Eurip. Phoen. 1396.

44) De dial. Alex. p. 185.

45) Phrynich. p. 80. Moeris p. 354. Thom. Mag. p. 789. Cf. Theophr. Charact. c. 25. Lucian. T. I. p. 720.

maticorum loca. Omitto alia, quae plenius recenseri oporteret.

III. *Tertio* loco ponenda sunt ea, quae in *nominum verborumque flexione* mutasse videtur sermo communis. Quoad nomina, ex antiquioribus dialectis, praeter Atticam, observantur nulla vestigia in libris N. T. quod non ex eo derivari posse arbitror, quod linguam seriorem caruisse dicas huiuscemodi dialectorum perturbationibus, sed potius ad librariorum studia critica referendum est, qui, ut innumera alia, sic etiam hoc in genere, Atticam consuetudinem servare maluerunt. Atticorum est e. g. genitivus τοῦ Ἀπολλώ I. Cor. 1, 12. a nominativo Ἀπολλώς, accusativus τὴν Κῶ. Act. 21, 1. τὸν Ἀπολλώ Act. 19, 1, τὴν ναῦν Act. 27, 41. a nominativo ἡ ναῦς, pro quo Iones νηῦς, Dorienses νᾶς dicebant [46]). Seriorem loquendi usum sequitur dativus νοΐ pro νῷ I. Cor. 1, 10; 14, 15. Rom. 7, 25. ad formam tertiae declinationis, cuius praeter N. T. exempla tantum in Patribus occurrunt [47]); item accusativus ὑγιῆ Act. 5, 11. 15. Tit. 2, 8. ex ὑγιέα, nam Attici, cum ante litteras εα vocalis audiebatur, non in ῆ sed in ᾶ contrahebant [48]), ὑγιᾶ, non ὑγιῆ. De aliis, ut de accusativo pluralis numeri nominum in ευς desinentium, τοὺς γονεῖς, γραμματεῖς, de dativo pluralis δυσί, pro quo Attici dualem δυοῖν usurpabant, de forma contracta genitivi nominis adiectivi ἥμισυς, ἡμίσους pro ἡμίσεος, aliisque Fischerum iam exposuisse video [49]).

Plura sunt, quae in verborum flexione observantur. Attica dialectus plurimum contribuit; Dorica non-

46) Cf. Matthiae Gram. graec. p. 91.

47) Herodian. ap. Herm. p. 303. Fischer Animadv. ad Weller. II. p. 181.

48) Moeris p. 375. Thom. M. p. 864. Eustath. ad Od. δ. p. 196, 11. Heindorf. ad Platon. Charmid. p. 64.

49) In Proluss. p. 666 sq.

nulla; Jonicae nullum vestigium apparet; nova multa accesserunt. Atticorum more [50]) verbis tribus βούλομαι, δύναμαι, μέλλω, duplex augmentum tribuunt auctores ss. ut ἠβουλήθην II. Joh. 12. ἠδυνήθησαν Matth. 17, 16. ἤμελλε Luc. 7, 2. etsi aliis| locis communis scriptio cum simplici augmento obvia est, Matth. 1, 19. ἐβουλήθη, 22, 46. ἐδύνατο, Luc. 10, 1. ἔμελλε. Eiusdem dialecti rationem sequuntur in secunda praesentis βούλομαι et futuri ὄψομαι, quam Attici in βούλει, ὄψει non βούλῃ, ὄψῃ contrahebant [51]). Sic Lucas 22, 42. εἰ βούλει, Matthaeus 27, 4. σὺ ὄψει scripsit. Eodem, si textus integer esset, referre vellem formam, παρέξει Luc. 7, 4. quam si de persona secunda intelligis, contextus orationis non turbatur, quod tum locum haberet, si e tertia persona in primam transiisset auctor. Sed ne pro genuina lectione habeam, movet me Codicum longe optimorum auctoritas, qui παρέξῃ ex communi orthographia exhibent.

Ad Doriensium linguam referunt Grammatici [52]) formam ἀφέωνται pro ἀφεῖνται, quae solo in N. T. obvia est, Matth. 9, 5. I. Joh. 2, 12. Alii Atticam esse volunt [53]), sed decepti videntur esse similibus formis aliis, in quibus Attici perfectum inserta littera ω prolongarunt, ut εἴωθα pro εἶθα, ἀγήοχα, cum reduplicatione pro ἦχα, ad quam eamdem analogiam nostrum exemplum referre nullus dubitarem, si apud Atticos auctores in usu exstitisse certis exemplis possit evinci. Dorienses imperativum aoristi secundi ad similitudinem

50) Thom. Mag. p. 258. Fischer. Animadv. II. p. 599 sq.

51) Schol. Aristoph. ad Plut. 40. Valcken. ad Phoeniss. p. 216. Brunck. ad Soph. Oed. Col. 336. Aiac. 195.

52) Eustath. p. 1077, 8. Suid. h. v. Phavor. v. ἀφεῖνται.

53) Etymolog. M. p. 107, 1. Phavor. v. ἀφέωνται.

primi exire fecerunt in ου pro ε [54]. Sic εἰπόν, quae vera lectio est, reperitur in loco Act. 28, 26. pro εἰπέ, nisi, quod haud dubie verius videtur esse, pro imperativo aoristi primi εἶπα habere velis. Iidem in imperativo praesentis verbi εἰμί, ἤτω pro ἔστω dixisse dicuntur Heraclidi [55], quae forma semel Platoni [56] usurpatur. Orta videtur esse ex ἔς, ἔστω. In N. T. sic dixit Paulus I. Cor. 16, 22. cf. Ps. 104, 31. — Personam secundam formae passivae praesentis in σαι exeuntem N. T. servavit in καυχᾶσαι Rom. 2, 17. 23. pro καυχᾷ [57] et ὀδυνᾶσαι Luc. 16, 25. pro ὀδυνᾷ, quam terminationem Attici nonnisi in perfecto ac plusquamperfecto, item in Verbis in μι retinuerunt. Apertum est, hanc formam non novam, sed antiquiorem Attica esse debere, quae ex ea correpta est. Unde Doricae dialecto haud iniuste forte tribuis.

Ad has antiquiorum dialectorum proprietates inter se perturbatas accedunt novae nonnullae verborum flexiones, in sermone communi usurpari coeptae, quarum vestigia non rara in libris N. T. occurrunt. Grammatici multa notarunt, in nonnullisque locum addiderunt, ubi primo novae verborum formae exstitisse putabantur. Nam omnia ubicunque locorum in usu fuisse cogitari nequit, sed pro variis regionibus variae quoque mutationes fiebant. N. T. oratio pro auctorum diversitate plura exhibet, quae non ad Palaestinensium graece loquentium usum solum possunt revocari, sed quae aliunde in Apostolorum orationem immigrasse censenda sunt. Nos non omnia, sed graviora tantum afferre possumus.

---

54) Koen. ad Gregor. p. 157. Fischer. Animadv. II. p. 382.

55) Apud Eustathium p. 1411, 22.

56) Republic. II. p. 215.

57) Moeris p. 16 v. ἀκροᾶ.

Et primo quidem dicamus de terminatione *αν*; quam pro *ασι* in tertia pluralis perfecti adhibere coepit sermo communis, ut in *ἔγνωκαν* Joh. 17, 7. pro *ἐγνώκασι*, *εἴρηκαν* Apoc. 19, 3. pro *εἰρήκασι*. Frequentius multo Alexandrinis interpretibus haec forma dicitur, v. c. Deut. 11, 7. *ἑώρακαν*, Jer. 5, 29. *παρέστηκαν*. Unde forma exorta sit, facile intelligitur; quod aoristo proprium, id in praeteritum translatum. Grammatici et Chalcide [58]), et Alexandriae [59]) hunc metaplasmum in usu fuisse tradunt.

Alio modo terminationem tertiae pluralis et in imperfecto, et in aoristo secundo, interposita syllaba *σα* mutavit oratio communis. Cuius formae unum exemplum servavit N. T. in *ἐδολιοῦσαν* Rom. 3, 13. pro *ἐδολιοῦν*, quae frequentior multo apud Alexandrinos legitur, cf. Ex. 15, 27. Ps. 47, 4. *ἤλθοσαν*, Ex. 16, 24. *κατελίποσαν*, 18, 28. *ἐκρίνοσαν*, alia. Heraclides [60]) *τῇ Φωνῇ Ἀσιανῇ* tribuit; Phavorinus [61]) Doricam appellat; alii ad Chalcidensium, quos *περὶ τὴν Ἀσίαν* memorat Aristoteles [62]), orationem referunt [63]); Alexandriae in usu fuisse testantur loca citata. Unde haud improbabili coniectura colligas, huuc loquendi usum tam longe divulgatum per Macedones forte in sermonem communem inductum esse. Accedit, ut, quod bene Fischerus [64]) animadvertit, verba in *μι* desinentia eandem prorsus formationem habeant, ideoque ex veterrima Graecorum lingua haec forma derivari debeat.

---

58) Tzetzes ad Lycophr. 252.

59) Sext. Empiric. adv. Grammat. §. 213. p. 261. Fabr.

60) Apud Eustath. p. 1759, 35.

61) V. *ἐφύγοσαν*.

62) Polit. IV. 3.

63) Tzetzes ad Lycophr. 21 et 252. Aristophanes ap. Eustath. p. 1761, 30.

64) Proluss. p. 681.

Cilices aoristum secundum ad modum primi formasse dicuntur Heraclidi [65]); nec Alexandrinis inusitatum fuit hoc dicendi genus, apud quos in sacris litteris frequenter legitur, v. c. εἴδαμεν I. Reg. 10, 14. εἶδαν et ἔφυγαν II. Reg. 10, 14. εὕραν 17, 20. ἐφάγαμεν 19, 42. alia. In N. T. nullus dubito, quin pluribus locis pro impressa lectione restituenda sit haec forma, non solum propter antiquitatis auctoritatem, verum etiam propter codicum longe optimorum consensum, ut Matth. 25, 36. ἤλθατε Luc. 7, 24. ἐξήλθατε, 11, 52. εἰσήλθατε, Act. 2, 32. ἀνείλατε, 7, 10. ἐξείλατο, 21. ἀνείλατο, 12, 11. ἐξείλατο, 22, 7. ἔπεσα, alia.

His iam a Sturzio in Alexandrinorum oratione notatis addo alia quaedam, singularia nonnullis verbis. Primo futurum ἐκχέω, quod legitur Act. 2, 17. et apud LXX. Ez. 12, 14. Ex. 30, 19; 4, 9; 29, 12. a themate ἐκχέω, quae forma proprie ad verba, litteras λ μ ν ρ vocalem terminantem praeponentia pertinet, metaplasmo autem ad ea quoque translata est, quae hoc charactere carent. Sed inde planum fit, ut docte Buttmannus [66]) observavit, quomodo futuro secundo in paradigmate verbi regularis ut locum tribuerent, Grammatici adduci poterant.

Secundam praesentis indicativi δύνῃ pro δύνασαι damnant sermonis Attici magistri [67]). Exstat Apoc. 2, 22. et apud τοὺς κοινούς [68]), nec non apud Alexandrinos legitur, Job. 33, 5. Esth. 6, 13. Attici scriptores in subiunctivo tantum adhibebant [69]).

---

65) Ap. Eustath. p. 1759, 10.

66) Gram. graec. p. 175. ed. quart.

67) Phrynich. p. 158. Thom. Mag. p. 252.

68) Synes. ep. 89. Diog. Laert. p. 158. E.

69) Plato in Phaedon. p. 132.

Restat augmenti ratio in ἤνοιξε Joh. 9, 17. 21. ἠνοίχθη Act. 12, 10. ἠνοίγη Apoc. 11, 19; 15, 5. pro quibus Attici duplici augmento ἀνέῳξα, ἀνεῴχθεν, ἀνεῴγην dicebant [70]). In Apocalypsi bis legitur triplex augmentum in hoc verbo, 4, 1. θύρα ἠνεῳγμένη 20, 12. ἠνεῴχθη.

Subiungam his aliam observationem, quam ab omnibus, qui linguam N. T. grammatice tractarunt, praetermissam video. Pertinet ad nonnulla plurium verborum tempora, quae etsi nihil anomali in formatione habebant, tamen apud probatae orationis scriptores nunquam usurpatae inveniuntur. Cuius rei caussa in eo quaerenda esse videtur, quod aut auribus ingratum aliquid, ac in pronuntiatione difficile haberent, aut propter soni cum aliis similitudinem sensus quandam ambiguitatem admitterent, quam diligenter vitare studebant homines antiqui. Sed huius diligentiae ratio nulla habita est nec in sermone communi, nec a scriptoribus serioribus, e quorum scriptis Grammatici multa notarunt, quibus classici auctores prorsus abstinebant. In litteris sacris pariter non pauca inveniuntur, quae hoc calamo notari debent, quibusque N. T. oratio a bene Attica multum differt. Exempla nonnulla proferamus; spectant praecipue ad futura et aoristos.

Futurum ἐλεύσομαι neque simplex, nec in compositis Atticos adhibuisse, sed pro eo εἶμι dixisse satis constat [71]). Habent tantum HOMERUS, et seriores nonnulli [72]). Utrumque legitur in libris N. T. Matth. 9, 15. ἐλεύσονται, 25, 46. ἀπελεύσονται 2, 6. ἐξελεύσεται cet.

---

70) THOM. MAG. p. 71.

71) PHRYNICH. p. 12. MOERIS p. 16. THOM. MAG. p. 88. 336. SUID. v. ἔξειμι et ἄπει.

72) JOSEPH. p. 964. B. CHION. ep. ad PLATON. CHRYSOST. Or. 33. p. 410. MAX. TYR. Diss. 24. p. 295.

Idem praecipiunt Grammatici de futuris ἄξω pro ἄξομαι [73]) Act. 22, 5. I. Thess. 4, 14. καθίσω Matth. 25, 31. pro quo Attici, ut in omnibus fere verbis in ιζω exeuntibus, maluerunt formam contractam, καθιῶ [74]); σαλπίσω pro σαλπίγξω [75]), ab antiquo themate σαλπίγγω, I. Cor. 15, 52. χαρήσομαι pro χαιρήσω [76]) Luc. 1, 14. Joh. 16, 20. 22. πράξω pro πράξομαι [77]) Act. 15, 29; 16, 28, παύσομαι pro πεπαύσομαι [78]) I. Cor. 13, 8. Alia, de quibus silent Grammatici, diligens observatio notavit, ut ἀκούσω Matth. 13, 14. 15. γελάσω Luc. 6, 31. ἐπαινέσω I. Cor. 11, 23. σπουδάσω II. Petr. 1, 15. ἁμαρτήσω Matth. 18, 21. κλαύσω Luc. 6, 55. κλέψω Matth. 19, 18. ῥεύσω Joh. 7, 38. καλέσω Luc. 1, 13, κερδήσω I. Cor. 9, 19. pro quibus omnibus formam medii ἀκούσομαι, γελάσομαι, ἐπαινέσομαι, σπουδάσομαι, ἁμαρτήσομαι, κλαύσομαι, κλέψομαι, ῥεύσομαι, καλοῦμαι, κερδανῶ usurparunt scriptores Attici [79]).

Dicendum de aoristis, quos simili modo insolitis formis adhibuerunt scriptores sacri. Grammatici reprobant γενηθείς pro γενόμενος [80]) Ebr. 6, 4. ἐγέννησα pro ἐγεννησάμην [81]) Matth. 1, 2 sqq. ἔθρεψα pro ἐθρεψάμην [82]) Jacob. 5, 5. ἐγανάκτησα pro ἠγανακτησά-

---

73) Thom. M. p. 7. Moeris p. 38. Sed habet Euripides in Iphig. in T. 1124.

74) Moeris. p. 212. Thom. M. p. 483.

75) Phrynich. p. 82. Thom. Mag. p. 789.

76) Moeris p. 403. Thom. Mag. p. 910.

77) Moeris p. 293.

78) Moeris l. c.

79) Buttmann Gr. Gr. p. 299. Matthiae G. Gr. p. 215.

80) Thom. Mag. p. 189.

81) Ibid. p. 416.

82) Ibid.

μην [83]) Matth. 20, 24. ἡμάρτησα pro ἥμαρτον [84]) Rom. 5, 14. 16. ἡρπάγην pro ἡρπάσθην [85]) II. Cor. 12, 2. 4. Eodem pertinet ἐβλάστησα pro ἔβλαστον [86]) Matth. 13, 26. Jac. 5, 18. quod seriores tantum adhibent, et ἐγάμησα pro ἔγημα Marc. 6, 7. cuius praeter N. T. exemplum nullom reperire potui, nisi II. Macc. 14, 25.

Restant alia multa, quae hic persequi non licet, ut imperativus κάθου pro κάθησο [87]), perfectum οἶδασι pro ἴσασι [88]), optativus δῴη pro δοίη [89]), participium ἀπολλύων pro ἀπολλύς [90]) cet.

IV. *Heterogenea quartum* genus constituunt eorum, quae in oratione N. T. ad linguam communem pertinent. Iam antiquiores dialecti multa nomina diverso genere adhibebant: unde in sermonem seriorem multiplex usus inducebatur. Sic auctores sacri et τὸν σκότον masculino genere Ebr. 12, 18. et τὸ σκότος neutraliter dixerunt, Matth. 4, 16; 6, 23; 8, 12. Utrumque Atticis in usu fuit, neutrum tantum reliqui Graeci habebant [91]). Promiscuus usus in sermone communi ex Atticorum igitur oratione repetendus. Ex Doriensium lingua est ἡ λιμός, *fames*, quam reliqui Graeci τὸν λιμόν dicere solebant [92]). In N. T. bis legitur nomen

---

83) Ibid.

84) Ibid. p. 420.

85) Ibid. p. 424. Moer. p. 182.

86) Matthiae Gr. Gr. p. 307.

87) Thom. M. p. 485.

88) Ib. p. 474.

89) Phrynich. p. 152. Moer p. 117.

90) Moer. p. 12. Thom. Mag. p. 98.

91) Schol. ad Eurip. Hecub. 1. Intp. ad Moerid. p. 354.

92) Phrynich. p. 80. Etymolog. M. p. 566. Ael. Dionysius. ap. Eustath. ad Od. α. p. 1390, 56. Feminino genere utitur Megarensis apud Aristophanem in Acharnens. 743.

adiectivis feminini generis iunctum, Luc. 15, 14. λιμὸς ἰσχυρὰ et Act. 11, 28. λιμὸν μεγάλην, quam lectionem impressae, qua masculini generis adiectivis iungitur, longe praeferendam esse viderunt iam VALCKENARIUS [93]) et FISCHERUS [94]). Τὸν βάτον, *rubum*, Attici masculino genere efferebant [95]); N. T. scriptores cum reliquis Graecis faciunt, qui feminino genere adhibebant, Marc. 12, 26. Luc. 6, 44; 20, 37. Act. 7, 35. qui generis usus et apud τοὺς κοινοὺς reperitur [96]). — Τοὺς δεσμοὺς dici nolunt Grammatici, cum Attici scriptores neutraliter τὰ δεσμὰ praeivissent [97]). Formam Jonicam esse haud temere forte inde colligis, quod HOMERUS iam masculino genere adhibuit [98]). In N. T. utrumque legitur, ex *Attico generis usu apud Lucam 8, 29. Act. 16, 26. ex Jonico apud Paulum Phil. 1, 13. Haec ex antiquioribus linguis: sed novum quoque generis usum induxit sermo communis, qui ante non reperitur. Exemplum insigne habes nomen ἔλεος, quod a Graecis omnibus auctoribus masculino genere effertur, in N. T. (Luc. 1, 50. 78. I. Petr. 1, 3. Rom. 9, 23.) apud Alexandrinos (Gen. 19, 9. Num. 11, 15.) et scriptores Ecclesiasticos neutraliter exstat.

V. Transeo ad *quintum* genus, quo serioris sermonis in Novo T. obvii vestigia continentur. Sunt *vocabulorum formae*, quae non solum ex antiquioribus

---

* Unde non audiendus SEXTUS EMPIRICUS, qui adv. Grammat. p. 247. Athenienses τὴν στάμνον, θόλον, βῶλον, λιμόν, θηλυκῶς adhibuisse dicit.

93) Specimen Annotatt. crit. in locos quosdam N. T. p. 383 sq.

94) Proluss. p. 672.

95) MOERIS p. 99. TH. M. p. 148. SCHOL. ad THEOCR. I. 132.

96) THEOPHR. hist. plant. III. 18. DIOSCORID. IV. 37.

97) MOER. p. 127. TH. M. p. 204. PHAVOR. v. δεσμά. EUSTATH. ad Od. α. p. 1390. 56.

98) Odyss. θ. 296.

dialectis in linguam communem convenerunt, verum etiam recens aut ad analogiam ante iam obviam, aut aliis modis effictae sunt. Nonnulla hoc in genere Grammatici notarunt; plura multo ex propria observatione disci debent. A primo ut incipiam, sacrorum auctorum oratio multis et nominum et verborum formis distincta est, quae ex antiquis dialectis petitae sunt. Nomina ἀλέκτωρ pro ἀλεκτρυών, σκοτία pro σκότος, βασίλισσα pro βασιλίς e Dorica lingua in sermonem communem esse arcessita, docuerunt FISCHERUS [99]) atque STURZIUS [100]). Addo τὴν οἰκοδομήν, pro quo οἰκοδόμημα Atticis in usu fuisse notarunt sermonis huius magistri [101]). Legitur in N. T. apud Matthaeum 24, 1. Paulumque Rom. 14, 19. in versione Alexandr. Ez. 17, 17. I. Paral. 26, 27. Apud exteros auctores raro occurrit, nec nisi apud τοὺς κοινούς [102]). Equidem pro Dorica vellem habere, SUIDAE auctoritate motus, qui vetustissimum proverbium Laconum imprecantium his verbis affert: οἰκοδομά σε λάβοι. Compositione novum Atticisque inauditum fuit nomen οἰκοδεσπότης [103]), sed ALEXIN, mediae commoediae poetam, patria Thurium, ἐν Ταραντίνοις, et THEANO, γυναῖκα Πυθαγόρειον, Pythagorae discipulam, in epistola ad Timaretam hoc nomen adhibuisse testis est POLLUX [104]), unde apud Dorienses usurpatum fuisse, haud sine probabilitatis specie colligitur. Exstat Matth. 13, 27; 20, 1. cet. prae-

99) Prolus. p. 673.

100) De dial. Maced. et Alex. p. 151 sqq.

101) PHRYNICH. p. 186. TH. MAG. p. 645.

102) PHILO de monarch. T. II. p. 223.

103) PHRYNICH. p. 162. TH. MAG. p. 645.

104) Onomast. X. 21.

tereaque apud PLUTARCHUM [105]), SEXTUM EMPIRICUM [106]), alios. — Ad Ionensium linguam referas verbum ξυράω Act. 21, 24. I. Cor. 11, 5. quod THOMAS MAG. [107]) ex Attica oratione relegat, pro eoque ξυρεῖν dicendum praecipit. Legitur frequens apud HERODOTUM [108]), nec non apud τοὺς κοινούς [109]). Jones vero verba, in αω exeuntia in εω saepius mutasse, monere opus non habeo. Eadem ratio est formae praesentis verbi ῥήσσω, quod Grammatici ad Atticorum usum cum ῥήγνυμι commutari iubent [110]). Est in N. T. Marc. 2, 22; 9, 18. apud Alexandrinos III. Reg. 11, 31. et apud HOMERUM [111]), unde colligas, Jonensium linguae proprium fuisse.

Haec ex antiquioribus dialectis. Sequuntur iam, quae seriore tempore inventa videntur. Qui fieri potuit, ut procedente tempore novae vocabulorum formae in quocunque genere usurpari inciperentur, nemo mirabitur; nam hoc omnibus linguis accidit, dummodo, in usu quotidiano vitaque vigent. Sed illud recte mirari debemus, quod in sermone communi multa nomina atque verba analogiam sequi videmus, quae in antiquioris linguae diversitatibus aut prorsus desideratur, aut rarius tantum obviam venit, vel tum, cum aliae formae eiusdem significatus aderant. De caussis huius formationis parum constat. Cogitare licet, ante iam in oratione ea, qua populus utebatur, exstitisse formas,

105) De placit. philos. V. 18. p. 908. B. Probl. Rom. 30. p. 271. D.

106) Physic. I. 122.

107) Pag. 642.

108) II. 65. 121.

109) PALAEPHAT. p. 84. 180. ed. Toll. LUCIAN. Cynicus T. III. p. 547.

110) MOER. p. 337. TH. MAG. p. 788.

111) Il. • 571.

iis similes, qnas nunc in libris, vulgari hoc idiomate exaratis deprehendimus. Multa profecto, quae iam in integro relinquenda, melius possent explicari, si de ingenio atque indole antiquioris orationis, quae a populis Graeciae in usu quotidiano usurpabatur, certius quid compertum haberemus. Nam ex ea haud dubie plura in linguam communem serioris temporis arcessita sunt, quam ex eo sermone, quem scriptores secuti sunt, quemque solum ex idoneis monumentis cognoscere licet. Unde maximam partem hoc in genere afferre tantum serioris linguae differentias, non a caussis suis ultimis derivare possumus. Agedum exempla nonnulla proponamus.

Nomina substantiva exordium faciant. Leviora sunt, quae singula tantum exempla tangunt, ut *μετοικεσία* Matth. 1, 11. cf. Jer. 29, 19. Ez. 12, 11. pro quo apud Platonem[112]) *μετοίκησις* exstat, apud Aeschylum[113]) *μετοικία*. Verbum *μετοικίζειν* est apud Thucydidem[114]), a quo eadem ratione descendit, qua *δοκιμασία*[115]) a *δοκιμάζειν*, quae forma pariter antiquiorem *δοκιμή* habuisse videtur. *Μαθητρίαν* Act. 9, 36. reprehendunt Grammatici[116]), jubentque dici pro eo *μαθητρίς*. Affertur ex Diogene[117]), Petro Siculo[118]), et Palladio[119]). Non satis certus sum, num haec in *τρια* terminatio in antiquiore lingua iam audiebatur. 'Ορχή-

112) De legg. l. VIII. c.

113) Eumenid. 1016.

114) L. I. c. 12.

115) Aeschin. in Timarch.

116) Moeris p. 263. Th. M. p. 593.

117) L. IV. c. 2. VIII. c. 42.

118) Histor. Manich. p. 52.

119) Histor. Lausiac. p. 146.

στρια pro ὀρχηστρίς a Moeride[120]) pariter notatur. Exempla huius formationis apud antiquos non mihi succurrunt. Esse posset ad latinum *magistra*, *sinistra* formatum, inserta littera i, quae omitti non debuit, ne cum vocibus alius significationis, ut ὀρχήστρα, παλαίστρα, confunderetur. — Certiora constant de nomine καύχησις, quo Paulus non raro utitur, Rom. 3, 27; 15, 17. cet. semel etiam Jacobus 4, 16. Praeter Alexandrinos, Jer. 12, 13. Ez. 16, 12. vix apud quemquam occurrit[121]). Accedit Scholiastae Pindari[122]) auctoritas, qui Atticos eo usos fuisse negat, καυχήν potius dixisse tradit. Similes formae in antiquiore lingua neminem fugiunt, v. c. αὔξη[123]) et αὔξησις[124]), βουλή[125]) et βούλησις[126]), alia, quarum ad analogiam novam formam facile revocare licet.

Inprimis vero notandum nominum genus, quod frequentissime apud auctores sacros observatur. Sunt haec nomina in μα exeuntia, quorum multa in antiquiore lingua desiderantur, quae pro iis formas in η σια, σις, eodem prorsus significatu adhibuisse reperitur. In N. T. sunt ferme haec:

Κατάλυμα Luc. 2, 7. *deversorium*, pro quo Attici, auctoribus Moeride[127]) et Thoma Magistro[128]) καταγώ-

---

120) Pag. 279.

121) Reperi apud Etymol. M. p. 400, 38.

122) Ad Nem. IX. 17.

123) Plato Phaedr. p. 1211. D. 1225. B.

124) Xenoph. Oecon. 5. 1.

125) Xenoph. Hellen. VI. 4. 35.

126) Eurip. Andr. 703. Thucyd. VI. 69.

127) Pag. 241.

128) Pag. 501. Pollux I. 73. inter voces Atticas recenset, sed a pluribus codd. abest vocabulum, unde glossam esse putes.

γιον dicebant. Nullum quoque eius exemplum in Atticorum libris exstat, sed tantum apud τοὺς κοινοὺς legitur. Sed eodem prorsus significatu Euripides [129]) dixit κατάλυσιν, nec non Plato in Protagora [130]). Verbum καταλύειν habet Thucydides [131]).

Ἀνταπόδομα in N. T. legitur ita, ut *retributionem, compensationem* significet, et in bonam partem, ut Luc. 14, 12. et in deteriorem, ut Rom. 11, 9. Praeter Alexandrinos, II. Paral. 32, 25. Ps. 28, 4. Sir. 12. 2. haec vox nusquam reperitur: tacent eam Grammatici, Lexicographi, Scholiastae omnes. Thucydides [132]) eodem sensu ἀνταπόδοσιν habet, item Polybius [133]). Nullum dubium est, quin serioris aetatis sit. Sed exstant similes formae eiusdem significatus duplices apud antiquiores, ut ἔνδειγμα et ἔνδειξις apud Demosthenem [134]), φρόνημα et φρόνησις apud Euripidem [135]), ἴαμα apud Thucydidem [136]), et ἴασις apud Sophoclem [137]) ἔσθημα [138]) et ἔσθησις, quod Thoma Mag. auctore [139]) poëtarum fuit, ζήτημα [140]) et ζήτησις [141]), alia.

---

129) Electr, 393.
130) Pag. 220. D.
131) L. l. c. 136.
132) L. IV. c. 81.
133) L. VI. 5. 3. XX. 7. 2. XXXII. 13. 6.
134) Pag. 423, 23. 505, 24. Reiske.
135) Suppl. 862. Tem. fr. 13.
136) L. II. 51.
137) Electr. 876.
138) Eurip. Troad. 991. Soph. Electr. 266.
139) Pag. 370.
140) Eurip. Bacch. 1137.
141) Thucyd. I. 20. VIII. 57.

Αἴτημα, *petitio*, *postulatio*, Luc. 23, 24. Phil. 4, 6. cf. Judd. 8, 24. Ps. 105, 16. Phavorinus ex Suida: αἴτημα· ζήτημα καὶ ἡ ἐπιθυμία. Citatur tantum ex Epistola Pseudo Socratis 14. et e mathematicis scriptoribus recentioris aetatis. Αἴτησιν inter voces Atticas recensuit Pollux IV. 47.

Ἄντλημα apud Joh. 4, 11. *haustrum*, *vas haustorium* denotat. Deest apud omnes Grammaticos et Lexicographos. Inveni tantum in Dioscoride l. IV. c. 64. qui sensu passivo adhibuit pro eo, quod haustum est, καὶ τὸ ἄντλημα δὲ αὐτῶν ἀντληθὲν ὑπνοποιόν ἐστι. Manetho, vel quisquis sis ἀποτελεσματικῶν auctor, pro eo τὸν ἄντλον dixit, V. 424. ἄντλοις ὕδωρ φορέοντες, quae vox, etsi hoc sensu apud antiquiores scriptores non occurrit, tamen alio significatu Atticis usurpata fuit. Eurip. Hecub. 1040.

Ἀσθένημα, *imbecillitas*, habet Paulus Rom. 15, 1. alibi non exstat. Ἀσθένειαν Attici dixerunt, e. g. Euripides Herc. fur. 269.

Ἥττημα, *clades*, *deterior status et conditio*. Sic I. Cor. 6, 7. et apud Alexandrinos Es. 31, 8. Apud Thucydidem III. 109. VII. 72. est ἧσσα, apud Xenophontem Cyrop. III. 1. 11. ἧττα. Similem analogiam supra habuimus in nomine οἰκοδόμημα, quod Attici ex antiquo οἰκοδομή, in Doriensium lingua obvio, prolongarunt. Idem αὔχη et αὔχημα, quod utrumque apud Pindarum legitur Nem. XI. 38. Pyth. I, 127. καύχη et καύχημα ib.

Ἀπόκριμα a Paulo II. Cor. 1, 9. ita adhibetur, ut sententiam condemnatoriam significet, quod alias Graeci per κατάκριμα exprimere solent. Est quasi *responsio iudicis*, nec igitur quoad primitivum significatum differt a nomine ἀπόκρισις, quo Attici auctores usi inveniuntur, e. g. Euripides in Fragm. 131. Isocrates, Plato in Phileb. p. 76. A. Praeter hunc Apostoli locum tantum in glossis sacris Suidae, Hesychii, Zona-

nae et in Patrum commentariis exstat, de quibus cf. Suicer.

Ψεῦσμα, *mendacium*, Rom. 3, 7. Thomas Mag. p. 927. ψεῦδος λέγε, οὐ ψεῦσμα, εἰ καὶ ὁ αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ ἅπαξ. Aristidem intelligit, cuius verba ex Opp. T. II. p. 335. afferuntur. Interpretes ad h. l. Thomam sine idonea caussa vocem damnasse autumant, quae in optimis scriptoribus legeretur. Sed quae afferunt loca, ex auctoribus recentioris aetatis ad unum omnia desumta sunt, ut Lucian. T. I. p. 94. Joseph. Antt. p. 576. Philon. p. 409. Symmach. ad Job. 13, 4. Ps. 60, 3. Aquil. et Theodot. ad Prov. 23, 3. Restat solus Pollux, qui in Onomast. VI. 38. vocabulum sine nota inter voces Atticas recensuit.

Haec sufficiant. Plura multo ex Alexandrinis afferri possent; sed nos linguae communis, quatenus in N. T. deprehenduntur, vestigia tantum indicare volebamus. Sequuntur nomina adiectiva. In his quoque singula occurrunt, quorum formam leviter mutavit serior loquendi consuetudo, ut ἀπείραστος, *intentatus*, tum etiam, *qui tentari nequit*, apud Jacobum 1, 13. Nusquam exstat praeter Suicerum, qui ex Ignatio ad Philippenses laudat, et Zonaram, qui per ἀδοκίμαστος interpretatur (quo loco aut cum Codice Dresdensi ἀπείρητον, aut cum Kulenkampii libro ἀπείρατον legere mallem, cum ex interpretatione pateat, ad Jacobi epistolam auctorem glossae non respexisse). Antiquiores Graeci, elisa littera σ, ἀπείρατος dicebant, ut Demosth. p. 100. Pind. Ol. XI. 18. Nem. I. 33. vel ionice ἀπείρητος, quod apud Homerum Il. μ. 304. exstat. Eiusdem generis est nomen βιαστής Matth. 12, 12. quo solus Philo, praeter scriptores Ecclesiasticos hac orthographia usus reperitur, de agricult. p. 314. Βιατής est apud Pindarum Nem. IX. 130. Utraque forma, ut sciunt harum rerum periti, etiamsi Attici auctores non habeant, tamen pro antiquiore habenda est. Nam des-

cendit ex more adiectivorum verbalium ab aoristis ἐπειράσθην, a themate πειράζω, (HOMER. Od. 1, 281. etsi ἐπειράσθην, praeter Ebr. 11, 37. alias non reperio, sed tantum ἐπειράθην) et ἐβιάσθην a βιάζεσθαι (XENOPH. Hellen. VI. 1. 4. βιασθέντες). Sed apud scriptores, quod frequentissime accidit, usurpari desierat, ac tantum in sermone populi servata erat; unde recte ad ea refers, quae ex libris N. T. communis idiomatis vestigia citantur. Duplicem formam Attici retinuerunt in γνωτός, apud SOPH. Oed. Tyr. 396. et γνωστός ib. 361. XENOPH. Cyrop. VI. 3, 2. ἀθέμιτος EURIP. Jon. 1093. et ἀθέμιστος XENOPH. Cyrop. I. 6, 6. Alia exempla, qui adiectivorum forma primitiva mutata est, habes ἁμαρτωλός pro ἁμαρτηλός, et ἔγκυος pro ἐγκύμων, quae attulisse satis habemus.

Nec minus compositione novae adiectivorum formae fingebantur, e. g. ἀκαταπαυστός, *indesinens, non cessans*, quod praeter Petrum ep. II. 2, 14. nonnisi οἱ κοινοί usurparunt, POLYB. IV. 17, 4. PLUT. Opp. T. VI. p. 436. Pro eo Attici dicebant ἄπαυστος, ut THUCYDIDES II. 49. ἄπαυστος δίψα. Quo eodem referas nomen adiectivum ἀρτιγέννητος, quod praeter locum Petrinum ep. I. 2, 2. nonnisi apud LUCIANUM exstat, Dial. marin. 12, 1. βρέφος... ἀρτιγέννητον. POLLUX in Onomastic. II. 8. βρέφος νεογενές, ἀρτιγενές, ἀρτίγονον, ἀρτίτοκον dicere iubet, quae omnia apud Atticos occurrunt. Similiter alia plura, quae singulatim recenseri nequeunt.

Sunt quoque nomina adiectiva, quae tanquam serius usurpari coepta a Grammaticis ex Attica lingua eliminantur. Exemplo sint oxytona nonnulla in ινός desinentia, quae a nominibus vel particulis, quibus temporis notio adiuncta est, formantur. In N. T. leguntur ferme haec:

Καθημερινός, *quotidianus*, Act. 6, 1. MOERIS p. 45. THOM. MAG. p. 44. GALEN. l. de different. Febr. II. 8.

Τὸ γὰρ καθημερινὸν ὄνομα τὴν ἀρχὴν οὐδ' ἔστιν εὑρεῖν παρά τινι τῶν Ἑλλήνων γεγραμμένον. ἀμφημερινὸν δὲ τὸ πρᾶγμα τὸ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὡσαύτως ὀνομάζουσι. Pro eo apud SOPHOCLEM καθημέριος exstat. Electr. 1414. Τοῖς κοινοῖς tantum dicitur, ut PLUTARCHO T. VI. p. 533. POLYAENO IV. 2. p. 316. JOSEPHO p. 72 et 409.

Ὀρθρινός, *matutinus*, Var. Lect. in Apocal. 22, 16. pro quo ὄρθριος dici Grammatici praecipiunt, PHRYNICH. p. 16. Ὀρθρινὸς οὐκ, ἀλλ' ὄρθριος. THOM. MAG. p. 656. Habent autem ὀρθρινός POSIDIPPUS apud ATHEN. XIII. p. 596. D. ANTIPATER SIDONIUS in BRUNCKII Anal. T. II. p. 12. n. 26. aliique, quos diligenter notavit STURZIUS De dial. Alex. p. 186.

Πρωϊνός, *matutinus*, e meliore lectione Apoc. 22, 16. Haec quidem vox a nullo Grammatico distincte damnatur, nec tamen exstat, nisi apud recentioris aetatis auctores, ut PLUTARCH., T. VIII. p. 899. ATHEN. I. Antiquiores pro eo πρώϊος et πρώϊμος dicebant, ut XENOPH. de vectigal. I. 3. Oecon. 17, 4.

Haec omnia serioris temporis esse docet et usus loquendi, et auctoritas Grammaticorum. Nec tamen in antiquiore sermone analogia desideratur, ad quam haec et alia eiusmodi formata sunt. GALENUS ac THOMAS MAG. ἀμφημερινός tanquam Atticum probant; ἡμέριος et ἡμερινός exstat apud XENOPHONTEM Oecon. 21, 3. Cyrop. I. 6. 19. θερινός apud PINDARUM Pyth. III. 87. μεσημβρινός apud THEOCRITUM Id. I. 15. X. 48.

Alia in gradibus comparationis recens usurpata inveniuntur. De forma τάχιον pro θᾶττον FISCHERUS[142]) iam monuit. Conferas ἡδύς, ἥδιον, quae ab Attica oratione non aliena, ut videre licet ex XENOPH. Cyrop. VIII. 3. 16. Addo superlativum σιτιστός, Graecis anti-

---

142) Proluss. p. 672.

quioribus non usurpatum. Thom. Mag. p. 794. σιτευτὸς μέντοι, οὐ σισιστός. Herodian. p. 473. Piers. σιτευτοὺς ὄρνιθας, οὓς νῦν σιτιστοὺς λέγουσι. Legitur apud Matth. 22, 4. et Josephum Antt. VIII. 2, 4. Athen. XIV. p. 656. E. Descendit haud dubie, ut alia eiusdem generis ab obsoleto nomine adiectivo σιτός, cuius tamen nullum vestigium amplius exstat.

Jam de Verbis, eorumque formis mutatis dicendum est. In his quoque analogia lex summa, ad quam omnia facta funt; pauca tantum occurrunt, in quibus certa analogia aut quoad formationem, aut quoad significatum desideratur. Quod non miraberis, si linguam Graecam memineris iam ante Macedonum imperium eo usque excultam, formisque diversissimis locupletatam fuisse, ut non facile forma deesset, qua certum quoddam notionis genus exprimi debuisset. Ex exemplis innumeris, quae prostant in libris sacris, pauca tantum in medium afferrimus. Ὀρθρίζειν Luc. 21, 28. damnant Grammatici, pro eoque ὀρθρεύειν dici iubent, Moeris p. 272. Thom. Mag. p. 656. Habent Alexandrini ad Gen. 19, 2; 20, 8. cet. et recentioris temporis scriptores. Similes formae duplices non desunt in lingua antiquiore, ut μοχθέω, μοχθίζω, ὁρμέω, ὁρμίζω, alia. In hoc autem analogia prorsus desideratur, quod ὀρθρίζειν sensu intrantitivo adhibetur pro ὀρθρεύειν, quod ex vi terminationis intransitivam significationem exprimit, cum verba in ιζω, paucis tantum exceptis, fere semper transitive intelligantur. — Γρηγορεῖν pro ἐγρηγορεῖν usurpari vetant Phrynichus p. 46. et Eustathius ad Od. υ. 6. p. 1880, 26. cuius verba sunt haec: Ὅμηρος μὲν τετρασυλλάβως οἶδεν, ἐγρηγορῶ· οἱ δὲ ὕστερον, καὶ γρηγορῶ τρισυλλάβως, ὅπερ οὐ φιλεῖται τοῖς ῥήτορσιν. In N. T. multis locis exstat, Matth. 24, 42; 25, 13. cet. nec non in Alexandrinis, Jer. 5, 6; 31, 28. Conferri possunt ἐθέλειν ac θέλειν apud optimos scriptores, ut Xenoph. Cyrop. I. 4. 10. Hellen III. 4. 5. Similiter δεσμεῖν dam-

nant sermonis Attici magistri, MOERIS p. 22. THOMAS M. p. 821. cuius verba PHAVORINUS sua fecit. HESYCHII glossa: δεσμεῖν· τὰς δεσμὰς τῶν σταχύων sc. δεῖν, pertinet ad Luc. 8, 29. apud quem in N. T. legitur, praetereaque nusquam, nisi in ETYMOL. M. p. 693, 38. et AQUILA ad Job. 40, 20. Frequens est verbum δεσμεύειν apud Atticos auctores, eodem prorsus significatu; cf. XENOPH. de re equestr. 5, 4. Memor. I, 2, 50. Hier. 6, 14. EURIP. Bacch. 616. Δεσμεῖν antiquior forma fuit, sed usu obsoleverat, unde recte ad linguam communem refertur.

Compositione nova esse videntur ἐξυπνίζειν et ἀνετάζειν. Prius Grammatici omnes distincte damnant, pro eoque ἀφυπνίζειν vel διυπνίζειν dici volunt. PHRYN. p. 96. ἐξυπνισθῆναι οὐ χρὴ λέγειν, ἀλλὰ ἀφυπνισθῆναι. MOERIS p. 61. HERODIAN. p. 448. THOM. MAG. p. 134. Praeter biblia, ubi Job. 11, 11. I. Reg. 3, 15. Job. 14, 12. legitur, inveni tantum apud PLUTARCHUM Opp. T. X. p. 75. Posterius in nullo antiquiorum exstat, qui pro eo semper ἐξετάζειν dixisse reperiuntur, ut HERODOT. III. 184. XENOPH. Cyrop. VI. 2. 11. Memor. III. 6. 10. Oecon. 8, 15. Habet Lucas Act. 22, 24. 29. et Alexandrini II. Macc. 7, 37. Hist. Susann. 14.

Aliam rationem sequuntur verba ἀλήθω, κνήθω, νήθω, quae ex formis ἀλέω, κνέω, νέω producta sunt, ad similitudinem verborum πλέω, πλήθω, quo posteriore HERODOTUS II. 173. usus est. De priore STURZIUS iam dixit de dial. Alex. p. 145. de reliquis duobus Grammaticorum testimonia excitanda restant. Κνήθειν, ut ab eo incipiam, MOERIS p. 234. inquit Ἑλληνικῶς esse, κνεῖν Ἀττικῶς. Idem THOMAS MAG. p. 538. HESYCHIUS habet in interpretatione τοῦ κνεῖν. Exstat nonnisi apud recentioris aetatis auctores, ARISTOTELEM, LUCIANUM, alios. In N. T. semel legitur apud Paulum, II. Tim. 4, 3. — De tertio vocabulo νήθω POLLUX VII. 32. sententiam dixit: οἱ Ἀττικοὶ γὰρ τὸ νήθειν νεῖν λέγουσιν. Recte, nam forma producta apud recentiores tantum legitur,

in N. T. Matth. 6, 28. Luc. 12, 27. in Alexandrinis Ex. 35, 25. et in Anthologo. II. 32. 17.

Inprimis vero placuisse sibi videntur homines serioris aetatis in fingendis verborum formis in όω desinentibus, quarum haud exiguus numerus ex solo N. T. afferri potest. Caussa huius rei forte in eo quaerenda est, quod Macedonum lingua multis huiuscemodi formis distincta fuit, quarum ad analogiam novae multae formatae sunt. Linguam Doriensium certe hisce formis inprimis delectatam esse, ex uno Pindaro disci potest, qui multa verba dupliciter effert, et in όω, et in aliam terminationem exeuntia, ut δαιδάλλω et δαιδαλόω, φαρμακεύω et φαρμακόω, χαλκεύω et χαλκόω. In N. T. huius generis sunt ferme haec:

'Ανακαινόω, II. Cor. 4, 16. Col. 3, 10. praeterea tantum scriptores Ecclesiastici eo usi reperiuntur. 'Ανακαινίζειν est apud Isocratem Areopag. c. 3. Formationis ratio ab usu Attico non aliena. Conferendae Atticorum formae, ut σκοτόω Soph. Ai. 85. et σκοτίζω Eurip. Oenei fragm. 5, 2. ξενόω Xenoph. Agesil. 8, 5. et ξενίζω Id. Cyrop. V. 4. 7. Unde et nomen ἀνακαίνωσις, Rom. 12, 2. Tit. 3, 5. pro quo ἀνακαινίσις apud Suidam legitur.

'Αφυπνόω, ἅπαξ λεγόμενον apud Lucam 8, 23. Praeterea exstat tantum in editione Aldina ad Judd. 5, 27. Quin serioris aetatis sit, nullus dubito. Atticis scriptoribus frequens est ἀφυπνίζω, e. g. Eurípid. Rhes. 25. quod et a Grammaticis inter Atticas dictiones refertur. Moer. p. 61. Phrynich. p. 56. Thom. Mag. p. 134. Apud Xenophontem semel legitur καθυπνόω, Memor. II. 1. 30.

Δεκατόω. Bis legitur in N. T. Ebr. 7, 6. 9. Alexandrini habent ad Neh. 10, 37. Vox antiquioribus Graecis prorsus inaudita, qui pro ea δεκατεύειν dixisse reperiuntur. Xenoph. Anab. V. 3. 10. Hellen. VI. 3. 9. Harpocration ex rhetoribus affert. Similes formas Pindarus frequentavit, ut modo diximus.

Ἀποδεκατόω Fischerus iam ad dialectum Alexandrinam retulit in Proluss. p. 696. cum praeter versionem Alexandrinam Gen. 28, 22. Deut. 14, 22. cet. librosque N. T. Matth. 23, 23. Luc. 18, 12. inprimis frequens Philoni usurpetur. *Ἀποδεκτεύω*, quantum scio, nusquam exstat.

Ἐξουδενόω, semel legitur in N. T. apud Marc. 9, 12. frequenter admodum apud Alexandrinos Judd. 9, 38. Ps. 53, 6; 15, 4. cet. quo Hesychii glossa pertinet: *ἐξουδενώσας ἀποδοκιμάσας*. Praeterea reperi tantum in Etymol. M. p. 350, 24. Plutarchus Opp. T. VII. p. 228. habet *ἐξουδενίζειν*.

Κραταιόω, a *κραταιός*. Habent Lucas 1, 80. et Paulus I. Cor. 16, 13. Eph. 3, 16. praeterea semel apud Alexandrinos exstat I. Sam. 4, 9. Attici eodem significatu dicebant *κρατύνω*, cf. Euripid. Hippol. 1282. Bacch. 659.

Σαρόω non dicendum esse, sed *σαίρω*, auctor est Thom. Mag. p. 789. Similiter Moeris p. 356. *σαίρειν*, Ἀττικῶς *σαροῦν*, Ἑλληνικῶς. Adhibetur a Luca 15, 8. et Matthaeo 12, 44. Pamphilo in Geoponn. 13, 15, 4. et Quintiliis ibid. 14, 6, 5. iam a doct. Sturzio laudatist, addo Lycophronem in Cassandr. 309. et Etymol. M. p. 276, 29; 407, 27; 708, 56. *Σαίρειν* frequens est apud Euripidem Hec. 363. Andr. 166. Jon. 115. 121. 795. Cycl. 29.

Σθενόω. Praeter Hesychii glossam est tantum in N. T. I. Petr. 5, 10. Attici sensu intransitivo *σθενεῖν* dicebant, ut Aristoph. Plut. 912. Eurip. Hecub. 295. Compositum *ἀσθενόω* est apud Xenoph. Cyrop. I. 5, 3.

Haec sufficiant; de reliquis, ut *ἐνδυναμόω*, *ἐκριζόω*, aliis, alio loco docebitur.

Restant adverbia: in his brevibus esse nobis liceat. Et in simplicibus et in compositis novae formae apparent. De forma *ἐξάπινα* pro *ἐξαπιναίως* vel *ἐξαπίνης* Fischerus iam monuit in Proluss. p. 674. Rarissima est in

recentioris aetatis auctoribus; inveni tantum apud Zonaram VII. 25. X. 37. Legitur in N. T. apud Marcum 9, 8. in Alexandrinis ad Jos 11, 7. Num. 6, 9. — Πανοικί damnatur a Grammaticis; Moeris p. 320. πανοικησίᾳ, Ἀττικῶς· πανοικί, Ἑλληνικῶς. Thom. Mag. p. 676. Hesychius in interpretatione habet: πασσυδὶ ἄρδην, πανοικί. Suidae glossa, quam exscripsit Phavorinus, πανοικὶ, ὅλῳ οἴκῳ, ad N. T. pertinet. Exstat in Actis 16, 34. et in Alex. versione Ex. 1, 1. III. Macc. 3, 27. Affertur praeterea ex Josepho Antt. IV. 4. 4. Philone de Josepho p. 562. Aeschine Socr. Dial. II. 1. aliisque, qui pro vere Atticae dictionis magistris non amplius sunt habendi. Πανοικίᾳ habet Herodotus, πανοικησίᾳ Thucydides II. 16. III. 57. Tertium exemplum habes ἀλλαχόθεν Joh. 10, 1. cf. Esth. 4, 13. Thom. Mag. p. 37. ἄλλοθι, ἄλλοθεν, ἄλλοσε, δοκιμώτερα, ἢ ἀλλαχόθι, ἀλλαχόθεν, ἀλλαχόσε. Moeris p. 11. temperantius aliquid, ut videtur, ἄλλοθι, ἄλλοσε, ἄλλοθεν, Ἀττικῶς· ἀλλαχόθι, ἀλλαχόθεν, ἀλλαχοῦ καινότερον, Ἀττικῶς καὶ Ἑλληνικῶς. Quin recentioris sit Atticismi, nullus dubito, cum tantum recentioris aetatis auctores eo usi inveniantur, ut Aelianus Var. Hist. VI. 2. VIII. 7. Galenus de usu partium IX. Simplicius in Epictet. p. 255. Appianus Punic. p. 129. Plutarchus Fab. p. 178. Themistius p. 15. C. Eustathius in Il. K. p. 719, 31.

Ex compositis, recens formatis, insigne est πάντοτε pro ἑκάστοτε, de quo quae dici poterant, iam a Sturzio allata video, de Dial. Alex. p. 187. 59.

VI. *Sexto* loco enumeranda sunt *vocabula*, quae aut *antiquioribus dialectis propria*, in linguam communem coaluerunt, aut prorsus *nova* a serioribus Graecis usurpari sunt coepta. Utrumque rei naturae, quam indagare volebamus, consentaneum est. Nova vocabula, novaeque loquendi formulae in quaecunque lingua nascuntur, dummodo in ore hominum usuque quotidiano viget. Graecam orationem pro locorum diversitate mul-

tis peculiaribus vocabulis, ac quasi idiotismis distinctam fuisse, nemo ignorat, qui dialectorum naturam mutuamque rationem vel leviter pertractavit. Gentium perturbationem sequebatur linguarum perturbatio, ita, ut, quae ante in quavis dialecto propria habebantur, ea in sermone seriore promiscue usurparentur. Argumento sunt libri N. T. versio Alexandrina, ac si quae alia idiomate communi exarata exstant scripta, in quibus Jonica, Dorica, Attica vocabula promiscue leguntur. Exemplum habes ἔκτρωμα I. Cor. 15, 8. quod Jonicis tantum, recentiorisque aetatis scriptoribus usurpatur, quodque Attici, Phrynicho auctore p. 88 et 128. ἐξάμβλωμα dicebant. Loca scriptorum, apud quos ocurrit, diligenter notarunt Fischerus in Proluss. p. 701. Sturzius p. 164. Γογγύζειν Joh. 7, 32. Matth. 20, 11. γογγυσμός Joh. 7, 12. idem Phrynichus p. 158. Jonum esse ait, locumque affert ex Phocylide Milesio, qui composito περιγογγύζειν usus fuerit; Atticos pro iis τονθρύζειν et τονθρυσμός dixisse. Consentiunt Thomas Mag. p. 856. Suidas, Hesychius, Phavorinus, qui omnes per τονθρύζειν explicant. Pollux in Onomast. V. 89. columbis tribuit, quae propria vocabuli significatio fuisse videtur. Exstant tantum apud τοὺς κοινούς; γογγύζειν apud Lucianum Opp. T. X. pag. 94. Antonium de se ipso l. fin. II. 21. Arrimann Epict. III. 26. γογγυσμός apud eundem Antonium l. c. IX. 37. Nicetam in Andronic. Comnen. I. 11. Adde Alexandrinos a Num. 14, 1. Ex. 16, 7. Auctor epistolae Judae v. 16. falsos doctores γογγυστάς vocat, cuius nominis exemplum semel tantum excitatum invenio ex Theodotione ad Prov. 26, 21. — Ad eamdem Jonensium linguam referas verbum σκορπίζειν Joh. 10, 12; 16, 32. eodem Phrynicho auctore p. 94. σκορπίζεται. Ἑκαταῖος μὲν τοῦτο λέγει Ἰώνων· οἱ δ᾽ Ἀττικοὶ σκεδάννυται φασί. Reliqui Grammatici, praeter Etymologici auctorem p. 719, 17. vocabulum non notarunt. Valckenarius post Alexandri M. tempora usu obtinuisse

notat. Simplex legitur nusquam, nisi in Alexandrina versione ad II. Sam. 22, 15. Ps. 17. 16. cet. Composita plura occurrunt, sed tantum apud recentioris aetatis auctores. Sic διασκορπίζειν, praeter N. T. Matth. 26, 31. Joh. 11, 52. et Alexandrinos interpretes ad Zach. 13, 7. habent Aelianus Var. Hist. XIII. 46. et Polybius I. 47. 5. pro quo apud Sophoclem διασκεδάννυμι dicitur Oed. in Col. 620. 1341. ἀποσκορπίζειν I. Macc. 11, 55. ἐκσκορπισμὸς Plutarchus T. VII. p. 507.

Haec sunt Jonica; nec vocabula desunt, quae ex Doriensium lingua arcessita videntur. Κοράσιον, κολλυβιστής a Grammaticis Macedonibus vindicari supra monuimus. His iam addas ἀγριέλαιος Rom. 11, 17. 24. quod Grammatici minus eleganter pro κότινος adhiberi dicunt. Moeris p. 237. κότινος, Ἀττικῶς, ἀγριέλαιος, Ἑλληνικῶς. Thomas Mag. p. 551. κότινος, οὐκ ἀγριέλαιος. Nec aliter indicat Aelius Dionysius ap. Eustath. ad Odyss. ψ. p. 818. Grammatici hoc nomine, tamquam omnibus noto et communi, interpretantur alia. Hesychius: κότινος· ἀγριέλαιος; idem Suidas. Pollux I. 241. ἡ δὲ ἀγριέλαια κότινος καλεῖται, vel ipse Dioscorides I. 137. ἀγριέλαια, ἣν ἔνιοι κότινον καλοῦσιν. Habet et Theophrastus Hist. plant. II. 3 et 4. aliique plures, sed omnes recentioris aetatis. Doriensium esse videtur, quod ex Theocrito colligas, qui hoc nomine usus est Id. 25, 21. Plura multo in N. T. obvia ex antiquioribus dialectis revocata esse cogitare licet, etiamsi ob Grammaticorum silentium vindicari iis nequeunt.

Venio ad vocabula prorsus nova, quae seriore in sermone usurpari coepta sunt. Ad tria genera revocari possunt. Primum genus ea complectitur, quae Grammatici veteres linguae communi propria esse aperte docent; ad alterum ea referas, quae etsi a Grammaticis tanquam a bona oratione aliena non damnantur, tamen nusquam nisi apud τοὺς κοινούς leguntur, tertium

denique eorum est, quibus ii tantum scriptores usi reperiuntur, qui populi orationem in scribendo adhibuerunt, ut Apostoli, interpretes Alexandrini, Apocryphorum auctores, patres antiquiores, glossarum auctores, alii. Facile intelligitur, de hisce omnibus non ita debere statui, quasi post Alexandri M. tempora demum formata atque in usum introducta sint. Minime. Multa ex iis, quae Grammatici reprehendunt, ante iam adesse poterant; scriptores boni iis abstinuerunt, sermo vitae communis neutiquam adspernabatur. Deinde eorum quoque, quae iam in Atticorum scriptis non amplius occurrunt, sed τοῖς κοινοῖς solis in usu fuisse reperiuntur, multa proba atque antiqua haud dubie censenda sunt. Quodsi enim in antiquioribus non inveniuntur, caussa in eo est, quod non omnes habemus auctores, qui tempore antiquiore aliquid commentati sunt. Idem de tertio genere iudicandum: et in his plura exstare possunt, quae probae satis notae fuerant. Nihilominus magnae utilitatis fore arbitror, si tribus hisce generibus distinctis, quid in antiquiore scriptorum oratione, quid in recentioris aetatis, quid in usu atque idiomate communi residuum esset, accurate exponeretur. Non solum de fontibus usus loquendi melius constaret, quos iam saepenumero aut prorsus neglectos, aut male adhibitos videmus, verum etiam naturam indolemque orationis N. T. melius perspiceremus, in qua quantum Atticismo, quantum τῇ κοινῇ διαλέκτῳ, quantum linguae vulgari attribui debeat, adhuc parum diligenter distinctum est. Omnino studia graeca multum iuvari dubitari nequit, si τῶν κοινῶν rationem quoad linguam usumque loquendi accuratius descriptam haberemus, quatenus ae quibusnam in rebus ab Atticorum aratione discessum fecerint. Sed hoc ea lege tantum fieri potest, ut e singulis incipias, ut singuli cuiusvis auctoris orationem examines, quid ab eo Attice, quid minus Attice dictum sit. Nos pro instituti nostri ratione in N. libris

subsistimus, in quibus quid tribus istis generibus proprie sit, accurate definire operam dabimus.

Sed redeo ad eam rem, unde progressa est oratio mea, ad ea vocabula, quae tempore seriore aut a scriptoribus eruditis, aut ab aliis, qui vulgari oratione in scribendo utebantur, usurpata inveniuntur. Ex his multa recens efficta esse, nemo erit, qui neget; docet id linguarum omnium, quae umquam in ore hominum viguerunt, analogia, quae procedente tempore novis vocabulis auctae sunt. His inveniendis non desunt criteria certa, quibus ducibus vetera a novis probabiliter satis discernere licet. Horum tria constitui possunt. Primum rem ipsam spectat, qoae exprimenda est: quod si haec nova, nec antiquis hominibus cognita apparet, vocabolum quoque recentioris originis esse haud sine veri specie colligas. Sic ἀλλοτριοεπίσκοπος I. Petr. 4, 5. ἀνθρωπάρεσκος Col. 3, 2. ἀρχισυνάγωγος Luc. 8, 41. ἀρχιτελώνης Luc. 19, 2. δωδεκάφυλον Act. 26, 7. εἰδωλολατρεία I. Cor. 10, 14. εἰδωλολάτρης I. Cor. 10, 7. et similia nova esse nemo dubitabit, qui res ipsas, quibus exprimendis haec vocabula inventa sunt, Judaeis tantum, nec Graecis proprias fuisse meminerit. Alterum, quod serioris aliqoid aetatis esse indicat, desumtum est ab iis vocabulis, quae rem tangunt nequaquam incognitam, nec nomine suo in antiquiore lingoa destitutam. Μερισμός ac διαμερισμός damnantur a Grammaticis, hoc a Polluce VIII. 136. ὁ γὰρ διαμερισμὸς ὑπόφαυλον, illud a Thoma Mag. p. 49. ἀναδάσασθαι, οὐκ ἀναμερίσασθαι. Καὶ ἀναδασμὸς, οὐ μερισμός. Recte, ut arbitror. Exstant scilicet apud solos τοὺς κοινούς, μερισμός apud Joseph. Antt. VII. p. 249. Theophr. de causs. plant. I. 13. hist. plant. I. 2. Polyb. IX. 34. 7. διαμερισμός ap. Plutarch. T. VIII. 592. Diod. XI. 47. Antiquiores τὸν δασμὸν et ἀναδασμὸν dixerunt. Ἀγαθωσύνην, qua voce Paulus utitur Rom. 15, 14. Gal. 5, 22. praeter Alexandr. bibliorum interpretes, scriptoresque ecclesiasticos, neminem adhi-

buisse invenio; χρηστότητα Atticis in usu fuisse, notat Thomas Magister p. 921. χρηστότης, οὐκ ἀγαθότης, οὐδ' ἀγαθοσύνη. Alia innumera, ἀποκεφαλίζειν pro καρατομεῖν; κράββατος pro σκίμπους; σαροῦν pro σαίρειν, ἐξυπνίζειν pro ἀφυπνίζειν. Tertium denique κριτήριον, quod seriorem originem arguit, refero ad ea vocabula, quae aut in formatione, aut in significatione analogiam novam prorsus, nec in antiquiore sermone obviam sequuntur. Eiusmodi est ὀρθρίζειν pro ὀρθρεύειν, quod supra iam notavimus. Aliud exemplum habes δυναμόω apud Paulum Col. 1, 11. cf. Cohel. 10, 10. Dan. 9, 27. quod ex analogia descendere deberet aut a nomine secundae declinationis in ος, ut δουλόω a δοῦλος, aut in ον, ut πτερόω a πτερόν, aut a genitivo tertiae declinationis, ut πυρόω a πῦρ, πυρός. Sed eiusmodi etymon non exstat, a quo δυναμόω possis derivare, nec compositum ἐνδυναμόω, quod, ut simplex, nusquam nisi in libris N. T. et Alexandrina versione legitur, Ebr. 11, 34. Phil. 4, 13. Ps. 51, 7. Addere liceat σπλαγχνίζεσθαι, quod verbum recentioris originis esse, ex significatione apparet. Τὰ σπλάγχνα enim Graeci antiquiores misericordiam non dicebant, qui usus loquendi ab Hebraeis ad Judaeos graece loquentes migravit. Exstat Matth. 9, 36. aliisque locis, Symmach. ad Deut. 13, 8. Alexandrini compositum ἐπισπλαγχνίζεσθαι adhibuerunt Prov. 17, 5. Quo eodem pertinet πολύσπλαγχνος apud Jacobum 5, 1. praetereaque, ut videtur, nusquam.

Modus atque ratio, qua nova vocabula formari poterant, non una fuit, sed diversissima. Alia a rebus novis anteaque incognitis desumta sunt, quorum exempla supra nonnulla dedimus, quorumque innumera exstant in scriptoribus recentioris aetatis; alia, tametsi rebus novis exprimendis non inserviebant, analogiae originem debent, qua recentiores homines ducti iis formandis operam dederunt. Eiusmodi ubique obvia. Καταλαλίαν neminem antiquiorum auctorum dixisse testis

est Thomas M. p. 565. sed λαλίαν et προςλαλίαν et προλαλίαν probata esse. Habes apud Apostolum II. Cor. 12, 20. praetereaque nonnisi in Alexandrinis, Sap. 1, 11. et Patribus, ut Clem. Al. p. 556. Basil. T. II. p. 247 et 497. occurrit. Verbum καταλαλεῖν est apud Aristophanem in Ran. 752. Ἀγαθοσύνη ac μερισμὸς modo notata sunt, in quibus contra analogiam nihil peccatum est. Alia iterum ad similitudinem peregrinarum linguarum formata videntur. Exemplo sunt ἀνθύπατος Act. 13, 7. ἀνθυπατεύω Act. 18, 12. ἀλεκτοροφωνία Marc. 13, 35. προσωποληπτέω Jac. 2, 9. προσωπολήπτης Act. 10, 34. προσωποληψία Rom. 2. 11. in quibus linguae latinae et hebraeae vestigia nemo non reperiet. In aliis denique breviter loquendi studium cernitur, quae nonnisi compendii caussa facta videntur, ut αἰχμαλωτίζειν Rom. 7, 23. et passivum αἰχμαλωτίζεσθαι Luc. 21, 24. pro quibus Grammatici αἰχμάλωτον ποιεῖν et γίνεσθαι dici praecipiunt, Phrynich. p. 192. Thom. M. p. 23. ἀναστατοῦν Act. 17, 6. Gal. 5, 12. quod etsi Grammaticis tacetur, tamen nusquam nisi in versionibus V. T. Ps. 58, 11. Es. 22, 3. et apud Harpocrationem legitur, qui verbo ἀναστατωθῆναι explicat verbum ἀνασκευάσασθαι. Attici pro eo ἀνάστατον ποιεῖν dixisse reperiuntur, ut Xenoph. Hellen. VI. 5. 35. Soph. Antig. 687. Trach. 39. Isocrat. Panegyr. c. 31. Haud immerito forte ad idem genus referendum esset verbum βεβηλόω, quod praeter Matth. 12, 5. Act. 24, 6. nonnisi Alexandr. interpretes adhibuisse video, Ex. 31, 14. Ez. 43, 7. cet. An Graeci pro eo βέβηλον ποιεῖν, vel simile quid dixerint, certo affirmare nequeo. Omnino haec in singulis tantum exponi possunt, quibus hic diutius immorari non licet.

VII. *Septimum* locum inter ea, in quibus serioris graecae orationis in N. T. vestigia cernuntur, vindicant sibi ii *vocabulorum significatus*, qui, cum in antiquiore lingua non inveniantur, aut recens usurpati, aut non satis probae notae fuisse videntur. Interpretis est, fon-

tes usus loquendi recte tenere; idque fieri non potest, nisi novae vocabulorum potestates et in scriptorum seriorum libris, et in oratione vulgari obviae accurate notantur atque distinguuntur. Quae notatio multum in se habet difficultatis, non solum in cavendo, ne, quod sensu tantum mutato dicitur, id nova significatione dictum accipias, sed etiam in eruendo vinculum, quo novam potestatem reliquis ante iam usitatis adiunctam esse probabile sit. Plurima hoc in genere adhuc facienda, ad accuratiorem lancem aestimanda restant. Duplici modo, si quid video, novi vocabulorum significatus exoriri possunt: aut ex amplificatione, aut ex translatione notionis. Amplificatio cernitur in eo, ut notionem aliis notionibus adiungas, quibus hactenus nondum adiuncta fuit. Exemplis nonnullis ubique obviis id, quod diximus, illustremus. Παρακαλεῖν sensu *rogandi* et *obsecrandi* male adhiberi, cum ab iis, qui caste integreque loquuti sunt, sensu *adhortandi* potissimum dictum sit, auctor est Thom. Mag. p. 684. cumque eo faciunt Hermogenes περὶ μεθόδου δεινότ. c. 3. p. 519. Laurent. Suidas, Phavorinus. Res ita se habet. Antiquiores homines hortandi genus, quod hoc vocabulo exprimebatur, referebant nondum, ut serius factum est, ad ea, quae pro nobis nostrisque commodis ab aliis fieri volumus. Exstitit inde hortatio ad id faciendum, quod nostris precibus respondeat, h. e. vera rogatio, quae, hoc sensu cogitata, facile παράκλησις vocari potuit. Aliud exemplum habes verbum παιδεύειν, quod eodem Thoma M. auctore solis in libris sacris *castigandi* sensu adhibetur. Verba sunt p. 729. ὡσαύτως οὐδὲ παιδεύειν ἀντὶ τοῦ κολάζειν, ἀλλὰ παρὰ μόνῃ τῇ θείᾳ γραφῇ τοῦτο εὑρίσκεται. Cf. Ebr. 12, 7. Luc. 23, 16. Qui hic significatus vocabulo attribui potuit, facile intelliges, si educationem etiam per punitionem fieri memineris. Saepius id, quod cogitatione recens adiungitur, verbis quoque distincte exprimitur, ut χρόνον ποιεῖν Act. 15, 33; 18, 23.

in qua loquendi formula vocabuli ποιεῖν usum antiquiori linguae insolitum deprehendimus, quae nondum ad tempus retulit, sed pro eo διατρίβειν dixit. Haec ex amplificatione; alia ex translatione nata sunt. Translationem intelligo, qua ex peregrinis linguis vocabulis quibusdam potestas adsciscitur, quam in vernacula lingua non habent. Eiusmodi exempla innumera in libris sacris N. T. exstant. In iis multa vocabula graeca novas significationes exemplo hebraeorum receperunt, ita ut, si quod vocabulum graecum quoad significatum quendam cum hebraeo conveniret, in idem ipsum reliquas quoque significationes translatas videamus, quibus hebraeum vel aramaeum usurpabatur. Supersedeo exempla afferre, quae in omnibus partibus orationis vel tironibus nota sunt. Praeter N. T. auctores interpretes quoque Alexandrini ex usu loquendi hebraeo novas significationes in vocabula graeca transtulerunt, cuius rei caussam multi haud sine veri specie in inopia linguae hebraeae quaerendam esse statuerunt [143]), qua factum sit, ut, cum unum vocabulum pluribus notionibus exprimendis inserviret, eadem significatuum copia in graecum vocabulum translata esset, quod forte una quadam significatione ei respondebat. Sed hanc explicandi rationem ex parte tantum veritatem habere quisque perspiciet, qui rem accuratius perpendit. Verum est, hebraeam linguam, si cum graeca compares, paucissimis vocabulis constare; sed ipsa haec vocabulorum inopia declarat, quas notiones Hebraei cogitatione assequuti, verbisque eloquuti sint, earum ambitum angustoribus multo finibus circumscriptum fuisse, nec ideo in paucissimis verbis plurimas res quasi absconditas esse potuisse, id quod nemo mirabitur, qui de historia populi, eiusque a commercio cum aliis gentibus abalienatione

---

143) Leusden. De hebraismis N. T. p. 32. ed. Fischer.

compertum habet. Nec intelligitur, quomodo hac inopia linguae vernaculae auctores sacri adduci potuerint ad id, quod divitias graeci sermonis adspernantes, graeca vocabula sensu alieno usurpare maluerint, quam loco eorum alia proprio sensu adhibere. Igitur alia ratio quaerenda erit, a qua translationem istam significationis probabilius profectam esse dicas; eamque non errare nobis videmur, si et in negligentia quadam, et in perexigua, quam Apostoli de lingua graeca habebant, cognitione invenimus. Hac sola factum est, ut quae fuit erronea eorum sententia, eandem vim eandemque potestatem inesse arbitrarentur vocabulis graecis, quam domesticis inesse usu didicerant. Nam grammaticis studiis nunquam imbuti, veram indolem ac naturam sermonis graeci nequaquam tenuerunt. Quae cum ita sint, sponte sua apparet, eiusmodi significatus novos, qui e translatione nascantur, non linguam augere, sed corrumpere potius, ac nonnisi ab iis auctoribus posse proficisci, qui grammaticam linguarum rationem minime perspectam menteque subactam habent.

VIII. Dicendum restat de *usu loquendi*, quatenus is solus mutationem subierit. Usum loquendi definiunt [144]) esse certam consuetudinem, rem certam certo vocabulo exprimendi; nec id male addi posse videtur, hanc dicendi consuetudinem et a scriptoribus eorumque studiis, et a vita communi introduci. Unde alius loquendi usus scriptorum, alius vitae communis. Ab hac tamen lege seriores Graeci et in scriptis et in oratione vulgari quam plurimum recesserunt, a quibus multa vocabula de rebus usurpata invenimus, de quibus antiquior oratio nunquam adhibere solita est. De scriptoribus testantur antiquiora monumenta; de oratione vulgari, etsi desunt

144) Morus in Hermeneut. I p. 34. ed. Eichst.

testimonia, suspicari licet, quippe quae per se inconstans est, nullisque certis legibus adstricta. In oratione N. T. scriptorum et antiquiorum et seriorum usus loquendi accurate discernatur oportet a vulgari, propterea quod, omissa hac distinctione, de fontibus usus loquendi disputari non potest. Fischerus, Sturzius, alii multa in hanc rem collegerunt; restant alia nondum animadversa. Sed commune omnium, duumviros istos solos excipio, interpretum vitium est, ut in constituendo usu loquendi ss. scriptorum rarissime attendant ad scriptorum genus, e quibus loca parallela afferant, num sint probatae notae, an serioris temporis, qui nequaquam puram illibatamque graeci sermonis castitatem servarunt. Unde fit, ut saepius vocabulo sensum attribuant, quem ex temporis ratione habere non potest. Exempla supra dedimus: his alia iam subiungamus, in quibus serioris loquendi usus vestigia nondum animadversa sunt. Μάμμην sermonis Attici magistri fere omnes non de avia, sed de matre usurpatam fuisse monent; Phryn. p. 52. μάμμην, τὴν τοῦ πατρὸς ἢ μητρὸς μητέρα οὐ λέγουσιν οἱ ἀρχαῖοι, ἀλλὰ τίτθην. μάμμην μὲν οὖν καὶ μάμμιον τὴν μητέρα. ἀμαθὲς οὖν τὴν μάμμην ἐπὶ τῆς τίτθης λέγειν. Dionys. Ael. ap. Eustath. Moer. p. 258. Thomas Mag. p. 846. Helladius ap. Phot. Bibl. p. 1579. Schol. ad Aristoph. Acharnens. 39. Photius p. 180. Hesychius ac Suidas, qui per τὴν μητέρα τῶν γονέων et τοῦ πατρὸς ἢ μητρὸς μητέρα interpretantur, ad usum loquendi N. T. respiciunt, nec pro sermonis Attici interpretibus habendi sunt. Idem de Polluce statuendum erit, qui in Onomast. III. 17. ἡ δὲ πατρὸς, inquit, ἢ μητρὸς μήτηρ τήθη· καὶ τὴν μάμμην δὲ, καὶ μάμμαν, ἐπὶ ταύτης παραληπτέον, quae verba magis ex sui temporis, quam antiquioris ratione aestimanda esse puto. Apud Paulum de avia dicitur II. Tim. 1, 5. quem loquendi usum nonnisi οἱ κοινοὶ agnoscunt; cf. Plut. T. I. p. 797 et 804. T. II. p. 704.

Philo p. 601. Joreph. p. 351. Verbum εὐχαριστεῖν Pollux V. 32. recte animadvertit, nonnisi ἐπὶ τῷ διδόναι χάριν, οὐκ ἐπὶ τῷ εἰδέναι adhiberi, quod ad praeceptum aliorum Grammaticorum hoc de verbo sententiae sunt revocandae, Phrynich. p. 8. εὐχαριστεῖν οὐδεὶς τῶν δοκίμων εἶπεν, ἀλλὰ χάριν εἰδέναι, Thom. Mag. p. 913. Loca multa congesserunt Kypkius, Alberti, alii, sed quos afferunt auctores, recentioris aetatis sunt, nec idonei ad Grammaticorum reprehensionem infringendam. Priori sensu Demosthenes usus est hoc vocabulo pro coron. p. 122. posteriori auctores N. T. Matth. 15, 36. Luc. 27, 16. II. Cor. I. 11. De verbo βρέχειν iidem Grammatici praecipiunt, Atticorum neminem de pluvia adhibuisse, id quod ὕειν dicebatur. Phrynich. p. 126. Thom. Mag. p. 171. βρέχει, οὐδεὶς τῶν ἀρχαίων εἶπεν ἐπὶ ὑετοῦ, ἀλλὰ ὕει. Phavor. Phrynichus Teleclidam Comicum hoc sensu quidem dixisse affert, sed dubitasse videtur de vero auctore fabulae, e qua exemplum laudabatur. Equidem apud probatum auctorem, prosa oratione utentem, hoc sensu non inveni. Anacreontis[145] locus, quo Trillerus usus est ad infirmandam Magistri auctoritatem, optime convenit cum praecepto Grammaticorum; nam in eo βρέχομαι et βραχεῖσα passive adhibetur, quem passivum verbi usum reprehendisse non videntur. Restat Pindari[146] locus, ubi semel activa

145) Od. III. v. 12.

Βρέχομαι δὲ, κἀσέληνον
Κατὰ νύκτα πεπλάνημαι·

Et paucis ibidem interiectis, v. 26.

Βλάβεται βραχεῖσα νευρή.

146) Olymp. VII. v. 63.

ἔνθα ποτὲ

forma de nive legitur; sed poëtarum alium usum loquendi esse, alium pedestri oratione utentium, nemo non ignorat. Mitto alia, quae sine multo apparatu explanari nequeunt.

Βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας
Χρυσαῖς νιφάδεσσι πόλιν.

Fragmenta quaedam Lexici in Scriptores N. T. recens adornandi.

Auctore

Henr. Planck, Theol. Prof. Gotting *).

Tria sunt, quorum ad diligentem distinctionem cuiusvis vocis illustratio plena revocanda videtur. Primum *historiam* vocabuli spectat, eiusque *aetatem*, cuius alterutra periodus ob diversam tractationem necessariam inde oriundam accuratissime significanda erit, num scilicet iam in veterum Graecorum sermone obvium, an recentiori demum linguae proprium inveniatur. Prioris generis quae sunt, in Hellenismi serioris descriptione historica haud amplius respicienda veniunt; nam ad initium usque τῆς κοινῆς διαλέκτου descendunt, nec alia propterea interpretatione indigent, nisi hac ipsa antiquioris notitia allata, pro qua testimonia ac fontes omnibus linguae peritis aliis in operibus summa diligentia notata exstant. Posterioris contra ordinis quae dantur, verba ipsa, verborumque formae recens ortae, aliam prorsus tractationem desiderant. Nam nec historia eorum, neque sensus eiusque usus nullus adhuc habetur, sed erui demum, testiumque idoneorum auctoritate fir-

*) Edidit haecce fragmenta auctor doctissimus ad indicenda Sacra Pentecost. a. 1818.

mari debet. Unde non solum fontes, in quibus prima eorum vestigia occurrunt, sed etiam sensus ac significatio, quae antiquissima fuisse videtur, diligenter describantur oportet. Perfecta enim significationum vocabuli recensio quam saepissime pendet ab historia eius accurate exposita, quatenus hac via sola originis sensusque primarii veritas cognoscenda est.

Idque iam alterum est, quod in tractatione cuiusvis verbi respiciendum erit, *significationis*, quam habet, vera ac perfecta *expositio*. Omnia primum, nostro iudicio, hic redeunt ad diligentem satis distinctionem notionis primariae ab iis significatibus, qui e seriore demum loquendi usu, variaque eius ad res alienas translatione originem habent. Nec deinde alia ratio est derivatae significationis, quae pari modo exponatur, cuiusque consensus cum ultimo radice in quacunque usus varietate comprobetur oportet. Hoc enim modo certissime vitari potest, quod hactenus interpretes cuiusvis aetatis frequentissime peccare soliti fuerunt, sensus scilicet cum significatu confusionem haud distinguentes. Jam vero in sermone, quo religio, resque religiosae exprimuntur, plurimum periculi ad eiusmodi peccata committenda obviam venit, propterea quod, quidquid Dei est divinaeque naturae, id in cogitando non solum, verum etiam in significatione externa per imaginem tantum exprimere licet, haecque imaginem inveniendi et ad divinum transferendi ratio perpetuo sensum novum verbis addit, qui a significatione nova haud parum distat. Ultima exoritur ac in linguae apparatu locum obtinet, cum res, cui inservit, ipsa nova exorta sit, nec solius comparationis via, imaginis instar, ad rem aliam significandam adhibeatur. Sensus contra varietatem, ab antiquiore diversam, vocabula suscipiunt, quae haud ad res, recens exortas, sed ad novam tantum eius rei, cui hucusque nomen dederunt, comparationem cum alia translata vides. Quod utrumque alio nullo in sermonis

genere accuratius distinguendum est, quam in religioso, quia obiectum, ad quod signa linguae omnia hic redeunt, pro se immutabile restat, formae tantum atque imagines, sub quibus a nostra mente suscipienda erit, recens inveniri possunt, ideoque sensus, haud significationis, originem novam admittunt.

Tertium denique superest, quod in serioris Hellenismi vocabulis illustrandis curam propriam desiderat.

Pertinet ad *usum vocabuli a regula abeuntem*, et per se, si quam in sensu mutationem expertum est, et cum aliis coniunctum. Quidquid in utroque mutatum reperitur contra solitam grammatices sensusque legem, quam in antiquiore lingua obtinuisse videmus, id commodius multo in Lexico, quam in grammatica recensebitur: nam singula tantum spectat, haud totius linguae ad ambitum respicit. Eiusmodi vero quam plurima in dictionem sacrorum scriptorum immigrasse, nemo dubitabit, qui historiam, indeque naturam Hellenismi iudaici studiose cognoverit. Alterum praeterea accedit, quod pares anomaliae, paresque abusus sequi debebant. Est singularis cuiusque scriptoris sensus ac loquendi consuetudo, quae abesse non potuit, cum nulla communi e lege, sed pro arbitrio potius casuque patriae linguae usum ad graecum sermonem transtulisse inveniantur. Haec ratio est, ut post significatus recensionem quavis in voce usus et communis et singularis, si quis a solita linguae regula abiisse videtur, illustrationem brevem tertio in loco addere in mente habeamus.

Hactenus in universum: liceat iam exempla quaedam proponere, quorum ad imitationem caetera elaboranda erunt. Sunt tria nomina, ἀγάπη, ἁγιασμός, πνεῦμα, in quibus praecipue significationis perscrutatio commode illustranda erit; alius formae quae sunt, alio tempore subsequentur.

Ἀ γ ά π η.

Ἀγάπη, ης, ἡ (I) veteris Graecitatis; (II) *amor, benevolentia*, in versione Alexandr. pro hebr. אַהֲבָה legitur 2 Sam. 13, 15. Eccl. 9, 1. 6. In scriptoribus Novi Testamenti ad sensum duplicem refertur; primo erga homines, quicunque vitam habent. Sic *amor Dei*, ut Rom, 8, 39. οὔτε τὶς κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ, τῆς ἐν χριστῷ. — 2 Kor. 13, 13. καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. — *amor Christi*, Eph. 3, 19. γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ χριστοῦ. — *amor hominum*, qui ultimus ad haud minorem obiecti sui mutationem translatum sese videt, quam in verbo ipso ἀγαπᾶν hoc factum est: erga Deum scilicet Joh. 5, 42. ὅτι τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς. Luc. 11, 42. καὶ παρέρχεσθε τὴν κρίσιν καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ. 1. Joh. 2, 15. — erga Christum, Joh. 15, 9. καθὼς ἠγάπησέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἠγάπησα ὑμᾶς· μείνατε ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ· Rom. 8, 35. τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ χριστοῦ; — 2. Kor. 5, 14. — erga homines alios, pro quo in aliis locis ἡ φιλανθρωπία (Act. 28, 2.) et ἡ ἀγάπη τοῦ πνεύματος (Rom. 15, 30.) fructus Spiritus Sancti, legitur, quatenus inprimis e vera fide eiusque fonte, Spiritu S. originem habet. Pertinent huc loci Matth. 24, 12. Joh. 13, 35. 1. Kor. 14, 1. Phil. 2, 2. Apocal. 2, 4. nec praetereunda plena descriptio eius, quae 1. Kor. 13. legitur. — Tempore Apostolorum hic amor erga fratres quam saepissime e beneficiis datis, humanaque omnino aliorum sustentatione clarissime sese cognoscendum praebuit: unde Paulus pluries hac voce pro beneficentia, datisque beneficiis usus est, 1. Thess. 1, 3. μνημονεύοντες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης. — 5, 13. καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ. Hebr. 6, 10. qui ipse significatus iam Hebraeorum אַהֲבָה, אָהַב adhaesit (Es. 43, 4. Hos. 9,

18; 11, 1. ibiq. LXX.), ubi de Dei amore erga Israelitas eorumque maiores positum est: nam in eo nonnisi curam atque tutelam divinam quaerere soliti fuerunt.

Restat alterum in vocabuli nostri expositione, *studium acre* atque *intensum* rei alicuius. Sic semel a Paulo adhibetur 2. Thess. 2, 10. ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, ἀνθ᾽ ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς, cui analogon legitur in sententiis Siracidae 40, 22. Οἶνος, καὶ μουσικὰ εὐφραίνουσι καρδίαν, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα ἀγάπησις σοφίας.

(III) De usu singulari vocabuli in N. T. duplex monendum: primo pluries pro eo legitur, qui amorem, aliis debitum, ipse habet; eiusmodi est Rom. 13, 10. ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐκ ἐργάζεται. — item de divino numine, tanquam fonte summi amoris, 1. Joh. 4, 8. ὁ μὴ ἀγαπῶν οὐκ ἔγνω τὸν θεὸν, ὅτι ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν. — V. 16. ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ. — 1. Kor. 13, 4 ss. ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, χρηστεύεται, ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ, cet. — Alterum ad antiquitates veteris Ecclesiae redit, ac τὴν ἀγαπὴν pro τῷ δείπνῳ τῆς ἀγάπης adhibuisse reperitur. Est hoc in Epistola Judae v. 12. οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες cet. nam quem alterum locum e secunda Petri 2, 13. citare solent, Critices iudicio probari nequit. Quoad originem, e communi cultu coenae Domini prodierunt, ad exemplum ultimi convivii, quod Christum cum Apostolis celebrasse audimus, unde nomen τὸ κυριακὸν δεῖπνον 1. Kor. 11, 20. Quam coenam, absolutis demum religiosis Ecclesiae negotiis instituere soliti fuerunt, ac quidem ita, ut unusquisque symbolum suum (τὸ ἴδιον δεῖπνον V. 21.) secum e domo ferret, cuncta deinde in unam mensam congregarentur (τὸ συλλεγόμενον Justin.), et inter omnes praesentes ad pares portiones distribuerentur, quo ipso una mens, unusque sensus inter omnes edoceretur (ἀλλήλους ἐκδέχεσθε V. 33.) Post coenam denique (μετὰ τὸ δειπνῆσαι V. 25.), bresby-

teri vel episcopi per manus panis frustula vinique pocula ecclesiae tradebantur in nomine Christi. His in conviviis amoris mutui atque beneficentiae vocem audiendi occasio haud defuit; idque ut factum sit erga aegrotos absentes, viduas, liberosque parentibus orbos, itemque captivos, aliosque miseros, in statu atque conditione externa Ecclesiae Apostolicae satis certa testimonia habentur, quatenus ea tanquam sedes paupertatis, inopiae, atque persecutionum ab historia designatur. Quartum usque ad seculum vestigia eorum inveniuntur: hoc vero tempore pluribus a synodis (ut Laodicensi, Carthaginensi, Trullensi, aliisque) propter excessus, similemque ordinis neglectum e ritu Ecclesiastico proscribuntur, quorum initia, tristemque consuetudinem iam Paulum Apostolum in ecclesia Corinthia expertum esse audimus 1. Kor. 11, 16. 55.

Ἁ γ ι α σ μ ό ς.

Ἁγιασμὸς, οῦ, ὁ (I) neograecum, in libris LXX. atque Pp. cum multis similibus nominibus (ut ὁ μερισμὸς, ὁ διαμερισμὸς) ad analogiam antiquioris formae (cf. ὁ ἀσπασμὸς, ἀσπάζεσθαι, ὁ ἀγορασμὸς, ἀγοράζειν) e radice ἁγιάζειν descendit.

(II) Nominis activi significationem habet *sanctificatio*, *consecratio*. Sic Hesychius et ex eo Phavor. ἁγιασμὸς· ἁγιστεία. καθάρευσις — eodemque sensu LXX. pro hebr. הַקְדֵּשׁ *sanctificare* Judd. 17, 3. Scriptores N. T. uno tantum sensu adhibent, de ethica mentis sanctificatione, religiosa emendatione, quatenus haec sola tanquam via ad perpetuam cum Deo societatem perveniendi significatur. Sic Paulus Rom. 6, 19. παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν. Et in aliis locis 1. Thess. 4, 3. τοῦτό ἐστι θέλημα τοῦ Θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν· ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας; 2. Thess. 2, 13. ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ

πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας. Cf. 1. Tim. 2, 15. Hebr. 12, 14. 1. Petr. 1, 2. — Ex his elucescit, sensum activum nominis haud esse relinquendum, nec cum passivo, quo status, conditio virtutis et innocentiae describitur, commutandum, ita ut *virtus* ipsa *animi morumque innocentia* significet.

(III) Uno loco pro concreto legitur, *Sanctificatio*; *consecratio* pro *eo*, *qui sanctificat*, *consecrationem parat*, 1. Kor. 1, 30. *ὃς (χριστὸς) ἐγενήθη ἡμῖν δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμός*. Est haud dubie ad *μετάνοιαν*, quae Evangelio iubetur, referendum.

Π ν ε ῦ μ α.

Πνεῦμα, τός, τό (I) Est veteris linguae. Rad. *Πνέω*. — (II) Haud dubie propter varietatem significatus difficillima vox Hellenismi sacri. Omnia redeunt ad praecipuas notiones vocabuli ex ordine interni vinculi recte inveniendas et a singulis significationibus, usuque singulari accurate distinguendas, id quod adhuo in Lexicis nostris saepissime neglectum ususque singularis cum notione generali ad unum eundemque modum tractatus est. Huius ultimae vero pauca nonnisi genera, tanquam fontes significationum, statuere, eorumque ad ordinem, mutuamque inter se rationem totius vocabuli vis atque virtus optime disponere licebit. Sunt sex eorum, quae universam nominis significationem comprehendere arbitramur, ad hanc seriem disponenda, ut *πνεῦμα* e sensu physico, metaphysico, dynamico, metaphorico, contradictorio, metonymico consideretur.

Sensus *physici* significatus initium faciunt. Sunt, qui res sensibus externis percipiendas exprimunt. Tres huius generis distinguere licet, ac inter eos, ut exspectare fas est, primitiva vocabuli notio deesse haud debet. Hic est *oris halitus* (*πνοὴ*), *exhalatio*, quae ore emittitur. Etiamsi mere Graeca, optimis in scrip-

toribus obvia haec significatio (cf. Thucyd. II. 4
Xenoph. de Venat. 7, 3.), tamen utroque in loco N.
quo legitur, ab usu singulari Vet. T. pendet, ac qu
dem 2. Thess. 2, 8. ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τ
στόματος αὐτοῦ, *quem dominus perdet spiritu oris su*
ad analogiam formulae רוּחַ פִּי, vel רוּחַ שְׂפָתַיִם, qu
in poesi Hebraeorum haud raro de Deo eiusque lega
adhibentur (Ps. 33, 6. Es. 11, 4.); — et Apocal. :
11. πνεῦμα ζωῆς ἐκ τοῦ θεοῦ εἰσῆλθεν ἐπ' αὐτούς *vitae ha*
tus e Deo eos ingressus est: de duobus doctoribus
Evangelii hostibus ad mortem traditis hoc dicitur,
imitationem afflatus divini, qui in primo homine vit
evocasse narratur. Gen. 2, 7. Alterum deinde, qu
proximum descendit ab origine, pariterque redit
physicum argumentum, est *spiritus vitalis*, *exhala*
pulmonum, qua vita tenetur. Sic Hebraeorum רוּחַ n
solum (Ps. 104, 29. Job. 27, 4.), verum etiam πνε
apud antiquiores Graecos iam occurrit (Eurip. Hec
571. ἐπεὶ δ' ἀφῆκε πνεῦμα), etsi frequentius τὴν ψυχήν
sensu adhibuerunt. In libris Nov. T. semel sine du
de spiritu pulmonum legitur, Marc. 8, 12. καὶ ἀναστ
ξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ λέγει, *suspirans dixit.* Nec tai
alio sensu intelligendae sunt formulae ἐπέστρεψε τὸ π
μα αὐτῆς *rediit anima eius* Luc. 8, 55. ἀφῆκε τὸ πνε
animam exhalavit Matth. 27, 50. atque δοῦναι πνεῦμα
εἰκόνι τοῦ θηρίου Apocal. 13, 15. *simulacro belluae h*
titum vitalem largiri, ad similitudinem primae sp
tus inhalationis, in homine recens creato factae.
deunt ad eamdem veritatem loca ex Apocryphis
38, 24. ἐν ἐξόδῳ πνεύματος αὐτοῦ, et 2. Maccab. 7, 22.
τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ζωήν. Restat unum, quod, mea
tentia, physicam interpretationem haud admittit.
locutio Joh. 19, 30. παρέδωκε τὸ πνεῦμα, *spiritum re*
dit, cui simile nihil occurrit in profanorum dicti
quam vero plenius descriptam, alioque sensu adhib

reperis apud interpretes Alexandrinos Es. 53, 12. ἀνθ', ὧν παρεδόθη εἰς θάνατον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς ἀνόμοις ἐλογίσθη. Ps. 118, 18. Παιδεύων ἐπαίδευσέ με ὁ κύριος, καὶ τῷ θανάτῳ οὐ παρέδωκέ με. 2. Paral. 32, 11. ubi de anima humana solum intelligi sine controversia cognoscitur. Idem denique formulae sensus audit, qua parallelo in loco Lucas usus est, quamque inter ultima Christi suspiria profert, 23, 46. εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου, *tuis manibus animam meam committo.* Neque aliud Joannem indicare voluisse, satis declarant status atque conditio, in qua Jesus τὸ πνεῦμα παραδοῦναι narratur: est enim τετελειωμένος, ad divinam dignitatem rediturus (V. 28.), cui adeo potestas haud defuit, Dei instar, animam humanam morti tradendi. — Tertium denique, quod sensum physicum exprimit, nec in Graecorum, neque Hebraeorum sermone deest, *ventus* est, *aër commotus*, pro quo testes adsunt Etym. M. πνεῦμα σημαίνει καὶ τὸν ἄνεμον, ὡς τό· πνεῦμα βίαιον. (Ps. 48, 7.) Thucyd. II, 77 et 97. κατὰ πρύμναν ἵστηται τὸ πνεῦμα. Xenoph. de Venat. 8, 4. Sophocl. Aj. flagr. 559 et 683. et hebraeum רוּחַ Jon. 1, 4. Job. 21, 18. Bis vero in Novo Testamento legitur, Joh. 3, 8. τὸ πνεῦμα, ὅπου θέλει, πνεῖ, *ventus spirat, ubicunque voluerit*, et Hebr. 1, 7. ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, *qui legatis suis tanquam ventis utitur*, cf. Sir. 39, 28; 43, 17. ubi τὰ πνεύματα et ἡ συστροφὴ πνεύματος eodem sensu ponitur.

Sequitur iam *altera* notio, quae nomini adhaeret, et sensus *metaphysici* significatus exprimit. Haud quidem philosophiae cuiuspiam e systemate, sed potius vitae, sensusque e veritate haec metaphysici natura atque denominatio desumta est. Exstat tantum in lingua biblica, nec umquam oblivisci licet, hanc significatus translationem, quoad primam originem, et in lingua Orientali, et tempore factam esse, ubi aliud de rebus metaphysicis iudicium audiebatur, quam quod se-

rioribus in scholis, philosophorumque doctrinis edocebatur. Hoc ultimum enim, quidquid est a sensibus eorumque natura alienum, ad metaphysici dignitatem ac substantiam extollit, ideoque τοῦ πνεύματος h. *afflatus* denominationem, tanquam a re physica desumtam, nequaquam inducere potuisset. Sed alia ratio fuit antiquioris mundi, ubi mentis vis ac natura nondum quoad materiam ipsam, sed tantum quoad clariorem materiae puritatem, a sensibus diversa iudicabatur. Jam vero halitus, afflatus, ventorum genera, ac quidquid πνεύματος vocabulo designabatur, ad purissima naturae physicae elementa rediit, ideoque optime per imaginem de iis naturis atque substantiis adhiberi potuit, quae quoad materiae tantum purietatem egregiorem a natura visibili diversae habebantur. Eiusmodi quatuor in Hellenismo biblico voci nostrae sunt addita, quoad originem ad Hebraeorum רוח reducenda. Primum est *anima*, *spiritus humanus*, quo vita initium, progressumque habet, et quo absente, vita pariter abire coepit. Pertinet huc Suidae nota; πνεῦμα· ἡ ψυχὴ ἀνθρώπου, eamque et in generali, et pro diversis partibus viribusque significare solet. Est haud dubie serioris temporis significatus; in antiquioribus certe scriptoribus utriusque nullus usus reperitur. Prioris generis est Jacob. 2, 26. τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστι, *corpus, animo destitutum, emortuum est;* Luc. 1, 80. ἐκραταιοῦτο πνεύματι, *animi incrementa cepit;* Luc. 24, 37. de Apostolis, quos Jesus post resurrectionem de novo aggreditur, ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν, *spiritum aspicere arbitrabantur*, quibus se ut tanquam verum Christum, uti ante fuerat, corpore humano praeditum probaret, manus pedesque ad contrectandum profert, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα (V. 39.). Luc. 23, 46. Act. 7, 59. 1. Kor. 5, 4. συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, *quum vos congregati fueritis, me quoad animum praesente* (V. 3.); Rom. 8, 16. 1. Kor. 6, 20. ἐν

ξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, *celebrate Deum corpore spirituque vestro, quod utrumque ei sacratum habetur,* quo totius hominis cultus religiosus significatur: sed alterius membri verba suspecta haberi, Criticum iudicium haud fugit. Restant praeterea Gal. 6, 18. Col. 2, 5. Hebr. 12, 9. 24. 1. Petr. 3, 19. Quem vocabuli usum in Graeco idiomate puro frustra quaeris; redit potius ad Hebraei sermonis loquendi consuetudinem, qui vocabulo רוח ex sua interpretatione ac philosophiae sensu per imaginem pro anima humana usus est, Prov. 17, 22; 18, 14. Ps. 34, 19. Koh. 3, 19. 21. Quem veteres Graeci pro eo habuerunt τῆς ψυχῆς usum, num haud eodem modo, simili e comparatione ac iudicio substrato, originem antiquiorem, philosophia nondum inducta, habuerit, quis discernere audet? Τῆς ψυχῆς certe significatum fundamentalem eundem fuisse, quem רוח et πνεῦμα dederint, omnibus satis notum habetur. Sed transeamus ad alterum sensum, quem τὸ πνεῦμα in hoc significatu metaphysico ab Hellenismo sacro sibi vindicat. Pertinet ad usum singularem pro diversis viribus animae humanae, qui ut recte ex omni veritate cognoscatur, quemadmodum in historia fuit, philophus interpreti vero veteris opinionis atque doctrinae omnino locum relinquere debet. Haec enim ultima nondum ad philosophiae veritatem in accurate distinguendis animae viribus revocata fuit, nec igitur nominibus, terminisque propriis eas inducere poterat. E contrario quousque usus earum in varietate sua mysterium habebatur, iudicio haud dubie magis placuit, unam tantum vim, unamque eius operationem in animae natura videre, quam plura eiusdem genera pro diversis operationibus distinguere. Hinc in interpretatione πνεύματος, haud qua significatus hermeneutici, ut hactenus ab omnibus fere factum est, sed qua melioris nonnisi anthropolo-

giae distinctiones, variae vires animae, quales nostro tempore describuntur, locum consequi possunt, etiamsi nunquam obliviscendum erit, pleniorem hunc ac diligentiorem sensum in vocabulo antiquiori mundo haud fuisse.

Sunt vero haec clarioris nostrae perceptionis diversa genera, quae biblicos scriptores uno eodemque πνεύματι comprehendisse videmus: (*a*) *mens*, *intellectus*, seu ea vis animae, qua cogitamus, ac veritatis lumen aggredimur, pro quo veteres Graeci τὸν νόον, τὸν νοῦν adhibuerunt. Sic legitur 1 Thess. 5, 23. καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχή — τηρηθείη, *mens et animus vestrum integerrima serventur.* Est Hebraeorum נֶפֶשׁ וְלֵב Deut. 6, 5. — Hebr. 4, 12. describitur ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, seu edictum divinum contra legis transgressores, διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας, *penetrans ad animi mentisque dissecationem, atque damnans ipsa animi cogitata atque studia.* — (*b*) *Sensus*, *sensuumque motus*, Joh. 11, 33. Ἰησοῦς οὖν ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, *indignationis sensu tenebatur*, 1. Kor. 16, 18. ἀνέπαυσαν γὰρ τὸ ἐμὸν πνεῦμα καὶ τὸ ὑμῶν, *recrearunt meum animum pariter quam vestrum;* — 2. Kor. 2, 12. οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματί μου, *quietem nullam in animo recipere potui;* 7, 13. ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἀπὸ πάντων ὑμῶν *recreatus est animus eius a nobis omnibus.* Eodem sensu רוּחַ apud Hebraeos (Prov. 18, 14. Ps. 34, 19.), atque τὸ πνεῦμα apud antiquiores Graecos reperitur. — (*c*) *voluntas*, *voluntatis studium*, Act. 19, 21. ἔθετο ἐν τῷ πνεύματι, *animo constituit*, *voluntatem cepit*, Matth. 26, 41. τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σάρξ ἀσθενής, *voluntas quidem promta habetur*, *sed sensuum natura imbecillitate laborat.* Eodem pertinet formula δέεσθαι τῷ πνεύματι Act. 20, 22. in voluntate quasi vinctum esse, h. libera voluntate privatum, alia quadam vi, internoque im-

pulsu coactum sese videre. (Similis formula *συνέχεσθαι τῷ πνεύματι*, quae ibid. 18, 5. in textu vulgato legitur, Critices iudicium haud tenet, sed glossae potius originem declarat pro genuino *συνεχ. τῷ λόγῳ*). Hebraeorum רוּחַ haud minus eodem sensu ponitur, e. g. רוּחַ הִקְשָׁה Prov. 16, 18. obdurare, pertinacem reddere alicuius voluntatem. — (*d*) Sensu latiore *animum*, *sentiendique rationem*, qua quispiam affectus est, exprimit, ac qualis haec fuerit, id vel omissa certiore descriptione e contextu solo colligendum relinquitur, vel additis quibusdam attributis plenius significatum est. Prius legitur Luc. 9, 55. Οὐκ *οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς?* Sunt verba Christi, Apostolorum fratres geminos ob propositum animi desiderium acriter reprehendentis; sed quidnam exprimere voluerit: cuiusnam animi esse debeatis (amoris scilicet, concordiae, patientiae V. 56.) an, quem indignum ac profanum sensum in praesenti manifestatis, id utrumque contextu admittitur, nec ob omissionem certioris praedicati pro uno alterove maiore fide discernere licet. — 1. Kor. 6, 17. ad commendandam corporis castitatem et a meretricibus segregationem: *ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι*, *qui sese Christo addixerit, una eademque mente illi iunctus est*, haud dubie de sensu ethico solo interpretandum, propterea quod haec mentis unitas cum Christo, Dei filio sanctissimo, promittitur. — Phil. 2, 1. *εἴ τις κοινωνία πνεύματος*, *si qua animorum coniunctio;* de una sentiendi ac iudicandi ratione, cf. v. 2. *τὸ ἓν φρονοῦντες.* Hoc est unum, ubi e contextu ratio *πνεύματος* hermeneutica via definienda erit; restat alterum, cui attributa non desunt, ex iisque facilius verus sensus erui potest. Huiusmodi est regula ista bene nota de sanctissima Deum venerandi ratione, Joh. 4, 24. *καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν*, *ac qui eius cultores dici velint, eos animo et veritate*, h. *vero integroque animo Deum adorare oportet.* — Gal. 4. 6. *ἐξαπέ-*

στειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, κράζον, ἀββᾶ ὁ πατήρ, *eum, quo filius eius imbutus fuit, sensum animis nostris Deus immisit, quo edoceremur, Deum veluti patrem invocare.* Quinam hic sensus fuerit, id et ex genitivo τοῦ υἱοῦ, et ex addita eius cum Deo, velut patre, ratione clarissimum est. Eundem sensum, eandemque mentem esse necesse est, qua Christus ipse, velut filius, Deo patri iunctissimus fuit. — Actor. 18, 25. de Apolline Alexandrino testimonium quod legitur, ζέων τῷ πνεύματι, *cum ferveret animo*, de religionis studio, cultuque solo interpretari licet. Nam et vocabulum per se facillime ad religiosam mentis propensionem spectat, et quod modo de Apolline dictum erat, doctrinae Christi cognitionem ut sibi comparasset, id utrumque τὸ πνεῦμα quale fuerit, haud dubium relinquere potest. Eandem religiosam mentem τὸ πνεῦμα innuit Act. 13, 52. Rom. 12, 11. Ephes. 5, 19. Tertium exemplum eiusdem generis exstat in formula πτωχοὶ τῷ πνεύματι Matth. 5, 3. quae nonnisi e contrario superbiae et arrogantiae homines animi demissi modestiaque plenos significare poterit, ad analogiam hebraei נְכֵה רוּחַ Es. 66, 2. decussus, depressus mente, dolore affectus, quemadmodum גְּבַהּ רוּחַ Kohel. 7, 8. de altitudine mentis, h. superbia.

Jam alterum sequitur eorum, quae quarto loco in metaphysica τοῦ πνεύματος notione supra notavimus. Est usus vocabuli pro *angelis* et *daemonibus*, quatenus pariter sine corpore terrestri, aliaque cum materia unione sunt cogitati. Pertinet huc Etymol. M. πνεῦμα· καὶ ὁ ἄγγελος. De angelis bonis nomen usurpatur Hebr. 1, 14. οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα, *nonne omnes* (angeli) *sunt Spiritus ministrantes?* — Apocal. 1, 4. τὰ ἑπτὰ πνεύματα, *septem archangeli*; cf. 3, 1; 5, 6. et ex apocryphis Tob. 12, 15. — Daemones, sive angeli pravi, vel simplici nomine τὰ πνεύματα indicuntur, et e contextu propius cognoscendi sunt (Matth. 8, 16. Marc. 9,

20. Luc. 9, 39.); vel addito attributo, quod eorum cum Satana coniunctionem plenius exprimit, ut τὰ πνεύματα ἀκάθαρτα (Matth. 10, 1; 12, 43. Marc. 1, 23. Luc. 4, 36.), τὰ πνεύματα πονηρά (Matth. 12, 45. Luc. 7, 21; 8, 2.); vel denique cuiuspiam morbi, seu in animo seu in corpore residui, velut auctores atque caussae nominantur, ut Luc. 13, 11. ἰδοὺ γυνὴ πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας, *mulier, quae morbo a daemone immisso laboraverat*, id quod ex sequentibus de epilepsia intelligendum; Marc. 9, 25. Christi verba ad aegrotum: τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, *daemon male, loquelae defectus ac surditatis auctor;* Act. 16, 16. memoratur παιδίσκη τις ἔχουσα πνεῦμα πύθωνος, *serva quaedam a spiritu Pythonis agitata*, h. vel fatidica, πνεῦμα μαντικὸν ἔχουσα, vel ventriloqua, ἐγγαστρίμυθος; nam utrumque in religione gentilium ad Apollinem Pythicum, daemonasque ei ministrantes reducebatur. — Tertium eorum, quae metaphysicam veritatem τῷ πνεύματι addiderunt, de *Deo* ipso, qua summo numine, agit, sed semel tantum adhibitum est, ac quidem a Johanne, qui inter ipsius Christi verba refert, 4, 24. πνεῦμα ὁ θεός, *Deus Spiritus*, natura tantum Spiritus gaudet; nam quae alia de πνεύματι ἁγίῳ, sive τοῦ θεοῦ leguntur, sensus dynamici interpretationem solam admittunt. — Quartum denique pari modo ab uno tantum scriptore semel allatum est, ac quidem de *Christo* post resurrectionem, 1. Kor. 15, 45. πνεῦμα ζωοποιοῦν, *Spiritus, qui vitam suppeditat*, τὸ πνευματικὸν V. 46. qui ipse sua natura Spiritum sistit.

Quam iam *tertia* in loco vocabuli πνεύματος notionem ex Hellenismo sacro deducendam habemus, ea sensus *dynamici* est, ac de *operatione* atque *vi* summi Spiritus, h. Dei, agit. Haec operandi vis divina, an ad externam rerum naturam solam, an ad coelum, resque coelestes pertineat, utrumque nomine πνεύματος significatur. De Deo solo, haud de aliis naturis coelestibus

adhibetur; unde perpetuo τὸ πνεῦμα ἅγιον, vel τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. Genesis huius notionis pariter e fundamentali significatu halitus repetenda. Ultimus hic, ut constat, symbolum sistit operationis, ex interno prodeuntis; unde halitus Dei, afflatus divinus, optime vim et operationem Dei internam per imaginem significare potuit. Humani quid haud umquam huic significationi deest; nam afflatus, halitus inter attributa locum tenet, quae, ut alia corporis terrestris membra, ad naturam divinam neqnaquam transferri possunt. Sed antiquior est symboli illius usus philosophiae auctoritate, qua quam parum naturae summi numinis haec a sensibus mutuata imago congruat, demonstrari potuisset. Quinque sunt τοῦ πνεύματος ἁγίου diversa genera, quae in Nov. Test. pro diversis eius operationibus distinguuntur: (*a*) vis divina, cuius operatio in primis Servatoris Natalibus deesse haud potuit, Matth. 1, 18. εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου, V. 20. τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, Luc. 1, 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε. — (*b*) eadem vis, qua sacram inaugurationem obtinuit ad ineundum, continuandumque munus docendi revelationem, id quod et in baptismi actu per visionem, Joanni datam, (Matth. 3, 16. Joh. 1, 32; 3, 34.) et in aliis locis significatum est, ubi vis ipsius, qua doctoris, πνεύματος nomine inducitur, (Luc. 4, 14. 15. Actor. 1, 2. Apoc. 2, 7. 11. 17. 29; 3, 6. 13. 22; 14, 13.) — (*c*) eadem vis, qua adiutus miracula condidit, ac omnino Messianam dignitatem, qua filii Dei, claram reddidit. Matth. 12, 28. εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, *sin ego Dei ope adiutus daemones eiicio*, 1. Tim. 3, 16. θεὸς — ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, *per vim divinam Dei filius declaratus est*, quod et de miraculis, a Jesu peractis, et de omni alia Dei operatione, in illius historia conspicua, intelligendum. Matth. 12, 18. Esaiae vaticinium, in Christum translatum, θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ, *Spi-*

ritu meo eum instruam, ut viam recti populos edoceat; Marc. 3, 29. Luc. 4, 1; 12, 10. Act. 10, 38. Joh. 3, 34. ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλεῖ. οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα, *quem Deus ablegavit, is divinam doctrinam tradit; Deus quippe haud modice ei tribuit Spiritus dona* 1. Joh. 5, 6-8. καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα, *tres sunt, qui testimonium exhibeant, Spiritus, aqua, sanguis,* quod τοῦ πνεύματος testimonium, nostra sententia, optime de Spiritu divino exponitur, quem Christus cunctis veris Dei cultoribus promiserat, iamque post resurrectionem eos adire fecerat. — (*d*) Ea vis divina, quae in prophetis Veteris Testamenti, in Apostolis Christi, et omnino in omnibus doctoribus verbi divini sese manifestavit. Hoc sensu de Mose profitetur auctor Ep. ad Hebr. 9, 8. τοῦτο δηλοῦντος τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, *hoc testante Spiritu sacro;* quae sequuntur e Pentateucho desumta sunt. — Similiter de Davide, Matth. 22, 43. πῶς οὖν Δαυὶδ ἐν πνεύματι κύριον αὐτὸν καλεῖ; *quomodo Davides, spiritu actus, Dominum eum appellat?* Act. 1, 16. — de Esaia Luc. 4, 18 ipso propheta de se testante, πνεῦμα κυρίου ἐπ᾽ ἐμέ, *Domini Spiritu impletus sum;* de Jeremia Hebr. 10, 15. 16. cuius verba hoc testimonio laudantur: μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *idem nobis confirmat Spiritus divinus:* — de Apostolis, quibus idem Spiritus promittitur, Matth. 10, 20. δοθήσεται ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τί λαλήσετε· οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν, τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν, *dabitur vobis illo ipso tempore, quid dicendum sit; haud enim vos eritis, qui loquamini, sed Spiritus patris, per vos loquens,* cf. Luc. 12, 12, Act. 1, 5. 8. — promissusque haud deest sequenti tempore Act. 2, 4. aliisque locis de singulis idem testimonium reperitur, ut de Paulo 1. Kor. 7, 40. de Philippo Act. 8, 29. 39. de Petro ibid. 4, 8. de Joanne Apoc. 1, 10. — Nec aliis, pietate ac religionis studio insignibus,

desumtus est; de Joanne baptista testatur Luc. 1, 15. de eius parentibus ib. 41. 67. de Simeone sene, ib. 2, 25. de Apolline Act. 18, 25. de doctoribus eorum, quibus Petrus litteras adscripsit 1. Petr. 1, 12. de primis diaconis Ecclesiae Hierosolymitanae Act. 6, 3. — (*e*) Is denique Spiritus sanctus significatur, qui veris omnibus Christianis et ad augendam religionis cognitionem, et ad emendandam vitae virtutem atque probitatem per gratiam divinam est concessus. De hoc spiritu Christi ipsius dicta affert Joannes Apostolus (7, 39. Zachariae prophetae oraculo proposito, eius interpretationem e Christi sensu ita supplet: τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν· οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη), eundemque, velut donum Dei, Petrus ac Paulus saepius descripserunt: Act. 2, 38. καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος, *donum Spiritus divini accipitis*, Rom. 5, 5. ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν, *nam Dei erga nos amor mentibus nostris abunde iufusus tenetur per Spiritum sacrum nobis concessum;* 2. Kor. 1, 22. ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, καὶ δοὺς τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, *qui nos etiam quasi obsignavit*, h. tutos reddidit a metu malorum) *et Spiritum tanquam pignus animis nostris indidit;* cf. 1. Kor. 3, 16. 1. Thess. 4, 8. Rom. 14, 17. Matth. 28, 19. — Nec desunt alia quaedam nomina, quibus idem Spiritus significatur, quaeque vel ob synonymiam praedicati, vel ob sensus unitatem unam eandemque interpretationem sibi vindicant. Haec sunt: πνεῦμα τῆς ἀληθείας (Joh. 14, 17; 15, 26; 16, 13.), πνεῦμα τῆς χάριτος (Hebr. 10, 29.) δύναμις πνεύματος ἁγίου, (Luc. 4, 14. Rom. 15, 13. 19.) ὁ παράκλητος (Joh. 14, 16. 26; 15, 26; 16, 7.); illa, πνεῦμα τοῦ θεοῦ (Matth. 3, 16. Rom. 8, 9. 14. 1. Kor. 2, 11. 14.), πνεῦμα τοῦ κυρίου (Luc. 4, 18. Act. 5, 9; 8, 39.) πνεῦμα τοῦ χριστοῦ (Rom. 8, 9. 1. Petr. 1. 11.).

Transeamus iam ad *quartam* notionem, ad usum metonymicum τοῦ πνεύματος, in quo saepius pro ipsa vi atque operatione adhibetur. Haec sunt primo mentis ideae, quarum imaginem vita donatam poëta quasi sine anima consequi nequit, ut πνεῦμα πίστεως (2. Kor. 4, 13.), ἀγάπης (2. Tim. 1, 17.), δουλείας (Rom. 8, 15.), υἱοθεσίας (ib.), πραότητος (1. Kor. 4, 21.). — Deinde formula ἡ καινότης πνεύματος Rom. 7, 6. *nova revelatio, Evangelium Christi*, ex opposito τῆς παλαιότητος γράμματος, *vetustioris legis revelatae.* Tum pro *religiosa mente* ipsa, quam verus Christianus τῷ πνεύματι ἁγίῳ debet, idem nomen interpretandum est Gal. 3, 3. ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε? *vos, qui a vero spiritu,* (h. a vera mentis indole) *inchoastis, iam corpore* (h. imperfectiore cogitandi ratione) *desinere vultis*? 1. Tim. 4, 12. Ephes. 5, 19. — Aliam denique metonymiam Epistola ad Hebraeos offert in verbis 9, 14. ὅς (χριστός) διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ de Messia, qui ad Scripturae oracula semet ipsum, tanquam victimam labe carentem, Deo obtulit. Πνεῦμα αἰώνιον optime hic de *Spiritu divino* intelligi potest in iis prophetis, quorum oracula ad Christi mortem transferebantur, ut Es. 53. aliaque. Sic certe διὰ adhibetur Rom. 2, 12. διὰ νόμου κριθήσονται, *ad legis severitatem iudicium consequuturi sunt;* et quoad attributum αἰώνιον, pluries de prophetis V. T. auditur, (οἱ προφῆται ἀπ' αἰῶνος Luc. 1, 70. Act. 3, 21.). Quae praeterea metonymia afferri solet, πνεῦμα sensu metaphysico de daemonibus impuris, qui corpora humana, morbis captiva, premunt, ut Marc. 9, 18. (ἤνεγκα τὸν υἱόν μου πρός σε, ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον, cet.), hanc interpretationem de aegroto haud admittit, propterea quod, quae attributa morbi significantur, ea potius ad originem morbi, a Spiritu impuro repetendam, quam ad eum, qui ipse morbo laborat, respiciunt.

Jam *quintum*, idque *ultimum* superest in serie notionum, quas distinguere coepimus. Est τὸ πνεῦμα ex

opposito τοῦ σώματος, *spiritus e contrario corporis*; quidquid praestantius corpore, eius naturae haud congruit, id τῷ πνεύματι adscribitur, non solum proprie cum utrumque, corpus et anima, vere adsint, verum etiam per imaginem, cum melius quid ac praestantius minus egregio comparetur. Quae comparandi ratio menti Christianae originem ab initio debet. Qui eam veram atque genuinam est assequutus, id divino spiritu adiutus perfecit, iamque continuo hoc auxilio usurus apparet. Sensus singularis τοῦ πνεύματος, quod ex opposito intelligitur, quovis in loco e contextu interpretandus erit. Eo pertinent formulae γεννηθῆναι ἐκ τοῦ πνεύματος, et ἐκ τῆς σαρκὸς Joh. 3, 5. 6. *e spiritu divino natum esse*, h. mentem atque religionem spiritus sibi comparasse, e contrario sensuum naturae, eiusque affectuum, qui einsmodi via demum suscitari volunt. — Joh. 4, 23. 24. ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν τὸν θεόν, *vero integroque animo Deum adorari oportet*; ex opposito τῆς λατρείας σαρκικῆς, cultus, qui externae cuidam legi in caerimoniis observandis, in sacrificando, ieiunando, templum visitando similibusque sese addixit. — Joh. 6, 63. τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν. Qui τοῦ πνεύματος sensus hoc loco solus intelligi potest, *is interpretatio* est, eaque *allegorica*, *spiritualis*, ex opposito verbalis, de littera desumtae (ἡ σάρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν). Eodem sensu optime exponuntur Apostoli verba 2. Kor. 3, 17. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι, quae nihil aliud, nisi Evangelii rationem ad hominem indicant, τὸ εὐαγγέλιον τοῦ κυρίου πνευματικόν ἐστι, revelatio divina pro vi sua et consilio altiorem in homine naturam tangit. — Rom. 8, 1. quae sibi opposita leguntur, μὴ κατὰ σάρκα περιπατεῖν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, e praecedente (7, 25. cf, 8, 10. 11.) νόμῳ ἁμαρτίας et νόμῳ θεοῦ interpretationem habent. — 2. Kor. 3, 6. semet ipsum Apostolus διάκονον καινῆς διαθήκης inducit οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, *doctrinae de novo foedere, quae haud tabulis scrip-*

tis sed Spiritus divini efficacia continetur. — Gal. 5, 16. πνεύματι περιπατεῖν, ex opposito τοῦ ἐπιθυμίαν σαρκὸς τελεῖν mentem veram integramque significat, quae nemini sine Spiritus divini auxilio praesens esse poterit, cf. V. 17. 18. 22. 25. — Jud. 19. οἱ ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες, *qui suis sensibus solis imperantur, Spirituque carent;* cf. Rom. 1, 9; 2, 29. Gal. 3, 3. Eph. 2, 22. Phil. 5, 3. 1. Pet. 3, 18; 4, 6. ubi similis τοῦ πνεύματος usus reperitur. Restat praeterea alia oppositio eiusdem sensus, qua Paulus ipse in testimonio de sua persona utitur, 1. Kor. 2, 12. ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ, *nobis haud huius aevi, sed Dei spiritus solus impertitus est*, quem utrumque qualem cogitaverit, et e fonte, a quo repetitur, et e contextu praecipue illustratur. Est scilicet *vera, religiosa mens*, genuinis revelationis veritatibus addicta, ex opposito illius sapientiae, indeque capiundae gloriolae, quae sophistarum in scholis alebatur, nec umquam pro se, sed perpetuo in coniunctione cum aliis diiudicabatur.

(III) Quem iam *tertio* in loco usum singularem τοῦ πνεύματος observavimus, hunc fere sequentia ad genera revocare licebit. Primo usus dativi et accusativi cum praepositione κατὰ pro adverbio πνευματικῶς, Gal. 5, 5. ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα, *nos per Spiritum fide habenda divinae gratiae spem nobis vindicamus* — ib. V. 18. εἰ δὲ πνεύματι ἄγεσθε — Rom. 8, 1. Deinde qua iurisiurandi formula Rom. 9, 1. ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *per vim divinam*, quae internum hominem examinat, ad imitationem hebraei בְּ Es. 62, 8. — Tum singulares nonnullae compositiones, et per imaginem et metonymiam oriundae. Sic ἡ μάχαιρα τοῦ πνεύματος Eph. 6, 17. *ensis Spiritus divini*, h. divinitus datus, cuius usum Apostolus ipse ad ῥῆμα τοῦ θεοῦ, veram doctrinam revelatam refert, ac pro quo in antecendibus (V. 11.) τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ adhibuerat. Eodem modo ἁγιασμὸς πνεύματος auditur pro πνεύματι ἁγια-

ζόντι, vi Spiritus divini consecrantis 1. Petr. 1, 2. Nec minus τὸ πνεῦμα αἰώνιον, *Spiritus aeternus* in oraculis prophetarum, Hebr. 9, 14. de quo supra, et ἡ διακονία τοῦ πνεύματος 2. Kor. 3. 8. cuius duplicem commentarium in verbis ipsius Apostoli reperimus, vel per διακονίαν τῆς καινῆς διαθήκης ἐν πνεύματι, *munus doctrinae de novo foedere, quae Spiritu sacro continetur*, ut supra V. 6. significaverat, vel per διακονίαν τῆς δικαιοσύνης ἐν δόξῃ, *officium doctrinae tradendae, qua absolutio annuntiatur* (V. 9.). — Ultimo denique loco memoratu digna est locutio τὸ πνεῦμα ἀφιέναι, Matth. 27, 50. pro qua frequentius profani τὴν ψυχὴν ἀφιέναι posuerunt, cf. Herodot. IV. 190. Aelian. Hist. Anim. II. 1. VII. 29. Jos. Antt. I. 13. nec tamen omnis prioris usus ob significatus unitatem, qui solus hic respicitur, interdictus esse potuit. Sic legitur certe in Euripidis Hecub. 571. ἐπεὶ δ' ἀφῆκε πνεῦμα.

Observationes quaedam ad historiam verbi graeci N. T., in Lexico librorum sacrorum adornando haud negligendam.

Auctore

Henr. Planck, Theol. Prof. Gotting[1].

Duo sunt, quae nobis ad historiam cuiusvis vocabuli referenda videntur, etymologia, atque sors serior verbi. De priore multum disputatum est, ac fere in omnibus Lexicis linguae graecae hac de caussa idonea afferuntur. Nihilominus a nobis haud omitti potuerunt, et quod in vera expositione vocabuli describenda haud raro multum pendere potest a descensu eius recte admonito, ut in vocabulis Aramaeis, aliisque terminis, et quod plures dialecti in lingua graeca saepius diversam compositionem atque orthographiam vocabuli adduxerunt. Sic, praeter Atticam, Doricam scriptionem servant *Ioannes* (7, 30.) in πιάζω pro πιέζω[2]), *Matthaeus* (6, 30.) in κλίβανος pro κρίβανος[3]); idem *Matthaeus* (13,

1) Editae sunt hae observationes ab auctore doctissimo ad indicenda Sacra Pentecost. a. 1821.

2) Quam scriptionem auctor Etymologici testatur. p. 671, 30. Ἴωνες μὲν οὖν καὶ Ἀττικοὶ, πιέζω λέγουσιν· οἱ δὲ Δωριεῖς, πιάζω.

3) Phrynichus p. 76. Thom. Mag. p. 554.

15.) atque *Lucas* in Actibus (28, 27.) in καμμύειν pro καταμύειν 4). Nec minus Ionicae orationis vestigia retinent *Paulus* Apostolus in βαθμός (1. Tim. 3, 13.), pro quo reliqui Graeci βασμός dicebant 5), atque *Lucas* in ἀναβαθμός (Act. 21, 35.) pro ἀναβασμός 6), *Paulus* in verbo ἐπιφαύω (Ephes. 5, 14.) pro ἐπιφάω 7). Multa denique sunt, quae seriori tempori ac linguae propria apparent, quorumque plurima in Novi Testamenti oratione exponenda a nobis sunt observata 8), ut formae γίνομαι et γινώσκω pro γίγνομαι et γιγνώσκω 9), scriptio τὸ δίδραγμον (Matth. 17, 24.) pro τὸ δίδραχμον 10), σαλπιστής (Apocal. 18, 22.) pro σαλπικτής 11), οὐθέν (1. Cor. 13, 2.) pro οὐδέν 12). Nec similia desunt in nominum verborumque flexione, in qua pariter plurium dialectorum permixtio librorum sacrorum scriptioni propria observatur. Sic genitivus τοῦ Ἀπολλώ (1. Cor. 1, 12.) a nominativo Ἀπολλώς, accusativus τὴν Κῶν (Act. 21, 1.) τὸν Ἀπολλώ (Act. 19, 1.) Atticorum est 13). Doriensium est forma ἀφέωνται pro ἀφεῖνται, solo in N. T. obvia 14)

---

4) Gregor. de diall. pag. 165. qui et Jonum hanc formam fuisse testatur alio loco p. 290.

5) Phrynich. p. 142. Βαθμὸς ἰακὸν διὰ θ. διὰ τοῦ σ. ἀττικόν.

6) Thom. Mag. p. 46.

7) Cf. Diss. de Oratione Nov. Test. p. 135. huius collect.

8) Ibid. l. c.

9) Cf. Fischer in Proluss. de Vit. Lex. p. 674. Valckenar ad Eurip. Phoeniss. 1396.

10) Thom. Mag. p. 250. Δραχμή, οὐ δραγμή.

11) Phrynich. p. 80. Moeris p. 354. Thom. Mag. p. 789.

12) Phrynich. p. 76. οὐθεὶς διὰ τοῦ θ, εἰ καὶ Χρύσιππος, καὶ οἱ ἀμφ' αὐτὸν, οὕτω λέγουσι, σὺ δὲ ἀποτρέπου λέγειν. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι διὰ τοῦ δ λέγουσιν, οὐδείς.

13) Thom. Mag. p. 96.

14) Eustath. p. 1077. Suid. h. v. Phavor. v. ἀφεῖκα.

(Matth. 9, 5. 1. Joh. 2, 12.), imperativus ἤτω pro ἔστω (1. Cor. 16, 22.)[15]). Seriori tempori adhaeret dativus νοΐ pro νῷ (1. Cor. 1, 10; 14, 15.), item accusativus ὑγιῆ (Act. 5, 11. 15. Tit. 2, 8.) ex ὑγιέα, pro quo Attici in ᾶ, ὑγιᾶ contrahebant[16]). Idem iudicium est de terminatione αν pro ασι, in tertia pluralis perfecti, ut e. g. in ἔγνωκαν (Joh. 17, 7.) pro ἐγνώκασι[17]), in εἴρηκαν (Apocal. 19, 3.) pro εἰρήκασι[18]); et in imperfecto et aoristo secundo interposita syllaba σα, ut in ἐδολιοῦσαν (Rom. 3, 13.) pro ἐδολιοῦν[19]). Item secunda praesentis indicativi δύνῃ pro δύνασαι damnatur a sermonia Attici magistris[20]), etsi exstat apud *Ioannem* Apostolum (Apocal. 2, 22.), et apud τοὺς κοινούς. Neque differt futurorum aoristorumque forma, quam saepius cum aliis mutatam adhibuerunt scriptores sacri: horum exempla habes in γενηθείς pro γενόμενος[21]) (Hebr. 6, 4.), ἔθρεψα pro ἐθρεψάμην[22]) (Jacob. 5, 5.), ἡμάρτησα pro ἥμαρτον[23]) Rom. 5, 14. 16.), cet. illorum vestigia restant in ἄξω pro ἄξομαι[24]) (Act. 22, 5. 1. Thess, 4, 14.), χα-

---

15) Heraclides ap. Eustath. p. 1411, 22.

16) Herodian. ap. Herm. p. 303. Fischer ad Weller. II. pag. 181.

17) Tzetzes ad Lycophr. 252.

18) Sext. Empiric. adv. Grammat. §. 213. p. 261.

19) Heraclides ap. Eustath. p. 1759, 35. cf. Diss. de Orat. N. T. p. 139. h. collect.

20) Prynich. p. 158. Thom. Mag. p. 252.

21) Thom. Mag. p. 189. γενηθείς, ἀντὶ τοῦ γενόμενος, οὐδεὶς τῶν δοκίμων.

22) Thom. Mag. p. 416. καὶ ἐθρεψάμην ἄντι τοῦ ἔθρεψα λέγομεν.

23) Ibid. p. 420. Ἥμαρτον δόκιμον, καὶ ἁμαρτεῖν· ἡμάρτησα δὲ ἀδόκιμον.

24) Ibid. p. 7. Moeris p. 38. ἄξομαι, παθητικῶς, Ἀττικῶς. ἄξω ἐνεργητικῶς, Ἑλληνικῶς.

ρήσομαι pro χαιρήσω [25]) (Luc. 1, 14. Joh. 16, 20. 2 πράξω pro πράξομαι [26]) (Act. 15, 29; 16, 28.), alii multis. Haec omnia ad distinguenda, etymologia v ne sine usu sit, nemo est, qui dubitabit: eamqu historiam verbi pertinere, unusquisque sibi ipsi i bitur.

Alterum deinde, quod sors vocabuli nobis diceb plura continet, quae omnia interpres bene in memoria beat oportet, ad veram cuiusvis termini vel formae si ficationem historiamque excipiendam. Dabimus iam quae hactenus in fontibus exegeticis hoc de argum reperire potuimus, quaeque a recta cum scriptoribus v Grammatices comparatione abesse haud licet. Haec tio Hellenismi sacri ad splendidam Atticam oratio ut omnibus in partibus boni interpretis iudicio n sit, lex necessaria hermeneutices biblicae nobis aud qua haud observata, philologia sacra nulla amplius ret. Unde haud recusavimus, praesenti tempore quentia proponere, eaque inter sortes vocabuli aff quorum pauca tantum hactenus notata sunt, etsi eorum descriptione sola, vera linguae biblicae na cognosci potest. Initium faciamus cum iis, quae Atticorum oratione atque usu prorsus aliena, ad a originem redeunt, ideoque facillime a reliquis disc possunt. Exstant nimirum auctores haud sperne qui hoc in negotio viam nobis monstrabunt, sun sermonis Attici magistri, MOERIS; PHRYNICHUS, H DIANUS, THOMAS ALEXANDRINUS, alii, et Lexicogra ut HESYCHIUS, SUIDAS, SUICER, ZONARAS, PHOTIUS, F VORINUS, et denique Scholiastae, aliique interpretes, saepius de re grammatica idoneum aliquid monuer

---

25) MOERIS p. 430. Χαιρήσεις, Ἀττικῶς. Χαιρήσῃ, Ἑλλην THOM. MAC. p. 910.

26) MOERIS. p. 293. πράξομαι, Ἀττικῶς· πράξω, Ἑλλην

Restant quidem et alia mnlta, quae aut contra veritatem attulerunt, aut silentio prorsus praeteriernnt hi auctores: unde haud minus notari ea oportet, ad critici interpretis iudicium adiuvandum in distinctione vetusti usus a recentiore. Primae iam vocabuli sortes in eorum uotatione quaerendae nobis videntur, quae, in Attica oratione haud obvia, a serioribus demnm auctoribus aliis e fontibus recepta, seriorique linguae τῶν κοινῶν propria fuerunt. De iis Grammatici veteres haud pauci scripserunt, eornmque in scriptnra sacra numerum notarunt, qui solus iam sufficiens foret ad linguam sacram ab Attica discernendam. Unde primum exempla nonnulla ex eo proponere liceat.

Eorum initinm faciat ἀγαθωσύνη, *bonitas*, *benignitas*, cnius usus apnd *Paulum* Apostolnm obvius est (Rom. 15, 14. Gal. 5, 22. Eph. 5, 9. 2. Thess. 1, 11.), cuiusque scriptionem cnm ω ἀντὶ τοῦ ο Etymologicum commendat [27]). De antiquitate eius qui nullum testimonium dare voluernnt, duplicem iudicem reperimus, unum Thomam Magistrum [28]), alterum Zonaram, qui ultimus nullum alium, nisi *Paulum Apostolum* usum eius fecisse notat. Reliqua, a Wettstenio [29]) et a Schleusnero notata, sunt interpretationes e Patribus, aliisque Glossariis, quas Suicerus in Thesauro iam contulerat. Vocem ipse inveni tantum apud LXX, hosque Ecclesiasticos scriptores: nec tamen in Platonis, aliorumqne philosophorum scriptis deesse posset, si nonnullus eius usus in veteri iam Graecorum idiomate esset cogitandus.

---

27) Pag. 275. 44. τὰ διὰ τοῦ οσυνη θηλυκὰ ὀνόματα διὰ τοῦ ο μικροῦ γράφεται· πλὴν τοῦ ἁγιωσύνη, ἀγαθωσύνη, ἱερωσύνη.

28) Est pag. 291. in interpretatione τῆς χρηστότητος, qua voce adducta, addit: οὐκ ἀγαθότης, οὐδ' ἀγαθοσύνη.

29) In notis ad Nov. Test. Tom. II. p. 93.

Sequitur alterum ἐμπτύειν, *inspuere*, quod in E
monia sola legitur (Matth. 26, 67. Marc. 10, 34. I
18, 32.), ac de quo idem iudicium dicunt PHRYNICHU
et THOMAS M. 31). Quod SCHLEUSNERUS S. V. de
testimonium induxit, Atticos ἐμπτύειν fere cum geni
construere, allata Thomae sententia, quam modo d
mus, quasi solam constructionem cum dativo impro
sent, id, nobis interpretibus, stare non potest.
bum ipsum est, quod reiiciunt, quod in usu haud
plius receptum videre volunt; qua cum interpretat
conveniunt verbi vestigia sola apud τοὺς κοινοὺς, ut
LIANUM, PLUTARCHUM, ATHENAEUM, alios; in At
scriptoribus, praeter LUCIANUM, nullus fuit, apud q
receptum fuisse memini.

Tertium est ὀστράκινος, adiectivum, *Paulo* Apo
usitatum (2. Cor. 4, 7. 1. Tim. 2, 20.). Hoc simili
do in oratione pura audiri notant MOERIS 32) ac T
MAS MAG. 33). HESYCHIUS in Lexico κεραμεοῦν per
sam ὀστράκινον interpretatur, unde usus eius comm
seriorique tempori proprius apparet. Restat qu
denique index, quem, etsi antiquiorem testem ind
tamen haud pro antiquore aetate vocabuli audiri
Hic est POLLUX 34) in Lexico, qui ita loquitur:
δὲ καὶ ἀγγεῖα ὀστράκινα τὰ κεράμεα ἢ γήϊνα εἰπεῖν. ἐν γο
Ποιητῇ Πλάτων φησί· Θαυμάζω τὸν τὴν δὲ πιθάκνην, πα
ὀστρακίνην, ἢ βίβλον ἔχοντ' ἥνδήποτε. Duos iam Plat
Comicos fuisse novimus, unum Olympiadis 91. alt

30) PHRYNICH. p. 6. ἐμπτύει μοι μηδαμοῦ λέγε· ἀλλὰ
πτύει μου, καὶ κατέπτυσα αὐτοῦ, λέγε.

31) Pag. 507. Καταπτύω σοῦ· ἐμπτύω σοι δὲ, οὐδεὶς τῶ
κίμων.

32) Pag. 226. Κεραμεοῦν, Ἀττικῶς ὀστρακινὸν, Ἑλλη

33) Pag. 526. Κεραμεοῦν σκεῦος βέλτιον λέγειν, ἢν ὀστρα

34) Onomast. X. 190.

Olympiadis 120 tempore florentem: quinam auctor fragmenti sit, incertum. Pro ultimo haud dubie loquitur unicus vocabuli apud τοὺς κοινούς usus, ut HIPPOCRATEM, THEOPHRASTUM, GALENUM, ARTEMIDORUM, ATHENAEUM, PLUTARCHUM.

Quarto in in loco ponimus τὸ προσφάγιον, nomen, quod semel apud *Ioannem* (21, 5.) occurrit. Idem de eo testimonium dicunt MOERIS [35]) ac THOMAS MAG. [36]). HESYCHIUS [37]), SUIDAS [38]), ETYMOLOGICI auctor [39]) usum eius faciunt in interpretando τὸ ὄψον. Haud aliud habent CYRILLUS in Lexico MS. [40]), PHOTIUS in Lexico [41]) ac EUSTATHIUS [42]). Legitur praeterea in PALLADIO [43]), ac VARRONIS libro quarto de lingua latina (c. 22.), qui pro omni obsonio hanc vocem adhiberi testatur.

Ultimum denique damus βλάσφημος, adiectivum, in *Pauli* (1. Tim, 1, 13. 2. Tim. 3, 2.), *Petri* (2. Petr. 2, 11.), atque *Lucae* (Act. 6, 11. 13.) libris obvium. Id haud fuisse Attici sermonis, sed seriorem demum in linguam migrasse POLLUX [44]) testatur. HESYCHIUS eo explicat ἀχρεῖος, similesque eius interpretationes dede-

---

35) Pag. 274. Ὄψον; Ἀττικῶς. προσφάγιον, Ἑλληνικῶς.

36) Pag. 668. Ὄψον, οὐ προσφάγιον.

37) Ὄψον, προσφάγιον.

38) Idem est cum Hesychio.

39) Pag. 646. Ὄψον σημαίνει τὸ προσφάγιον.

40) Ὄψον, προσφάγιον.

41) Ὄψον, πᾶν προσόψημα, ἢ προσφάγιον.

42) Ad Iliad. λ, 629. p. 867, 54. δῆλον, ὅτι καὶ ἐπὶ τοῦ ἁπλῶς προσοψήματος, ταὐτὸν δ' εἰπεῖν κοινῶς προσφάγιον, τὸ ὀψάριον λέγεται,

43) Hist. Laus. p. 975.

44) Onomast. V. 118. καὶ ὁ βλάσφημος, καὶ διάβολος, ἰδιώτων.

runt Etymolog. auctor, Suidas ac Zonaras [45]. Exstat vox in τῶν κοινῶν libris, ut Aeliani, Herodiani, Plutarchi, aliorum.

Iam sequitur altera sors vocabuli, quam, etsi nondum notatam, haud diutius omissam videre volumus. Continentur scilicet voces eae, quae, etsi ab orationis bonae doctoribus haud reiectae, tamen solos apud τοὺς κοινοὺς leguntur, aliaque saepius serioris originis vestigia sibi contrahunt. Earum notitiam usus solus, atque collatio scriptorum serioris temporis possunt exhibere, qua absente philologia sacra nulla integra exstaret. E. g. primum legimus ἄθεσμος, adiectivum, quod in *Petri* Epistola altera (2, 7; 3, 17.) obvium: interpretationes eius dant Hesychius [46], et ex eo Phavorinus [47], Zonaras [48], Suidas, qui ultimus ex Anonymo laudat: Ἠράσθη Πίασος, Θετταλὸς, Λαρίσσης, τῆς ἑαυτοῦ θυγατρὸς, ἔρωτα ἄθεσμόν τε καὶ δυστυχῆ: quod fragmentum nonnisi serioris aetatis scriptori attribuendum videtur, propterea quod reliqui, qui usum eius fecerunt, τῶν κοινῶν numero sunt adscribendi, ut Plutarchus, Diodorus, Aelianus, alii. Attici pro eo parum mutatam formam adhibuerunt, hoc est, τὸ ἄθεμις, ut Euripides loquitur (in Ione 1093.), et τὸ ἀθέμιστος, ut Xenophon habet in Cyrop. I, 6, 6.).

Alterum est ἡ ἄθλησις, substantivum, Epistolae ad Hebraeos proprium (10, 32.), cuius nullum apud Grammaticos testimonium habetur. Sunt tantum οἱ κοινοί, quorum in scriptis obvium, Diodorus, Polybius, Plu-

---

45) Etymol. M. ὁ τὰς φήμας βάλλων, ὁ λοιδορός. Suid. βλάσφημος, ὁ εἰς Θεὸν ἐξυβρίζων, quod idem legitur apud Zonaram p. 391.

46) Hesych. Ἄθεσμος, ἄνομος. Idem: Ἀθέσμως, παρανόμως.

47) Ἄθεσμος· δίκη, ἄνομος.

48) Pag. 59. Eandem interpretationem per ἄνομος habet.

TARCHUS, AELIANUS, alii, e veteribus solum in PINDARI fragmentis incertis exstat (112. ἀθλήσεως χρόνος), unde forte coniectura liceret, ut Doricae esset originis. Attici certe pro eo ἡ ἀγώνισις dicebant, ut e. g. legitur apud THUCYDIDEM (V, 50.) et τὸ ἀγώνισμα, apud eundem (I, initio).

Idem fere iudicium est de tertio nomine, quod Grammatici veteres silentio praeterierunt, cuiusque usus nonnisi τοῖς κοινοῖς proprius. Est ἡ ἀκαταστασία, qua *Lucas* in Evangelio (21, 9.), *Paulus* in Epistolis ad Corinthios (I, 14, 33. II, 12, 20.), ac *Iacobus* (3, 16.) usi sunt. Reperi vocem in versione Alexandrina (Proverb. 26, 28.), in Apocryphis Vet. Test. (in libro *Tobiae* 4, 13.), POLYBIO (I, 70. XIV, 9.), DIONYSIO HALICARNASSEO (VI, 31.). Adiectivum ἀκατάστατος DEMOSTHENI haud contemnitur (pag. 383, 7.), e quo antiquiori substantivum illud originem habere posset, ad analogiam aliarum similium formarum, ut, τῆς ἀτιμίας ex ἄτιμος, τῆς ἀθανασίας ex ἀθάνατος, cet.

Subiungam his quartum exemplum de vocabulo, quod et nomen, et adiectivum in libris Novi Foederis saepissime legitur. Est ὁ ἁμαρτωλός, e radice ἁμαρτέω: ad similem formam aliorum, quae parem originem habent, proprie ἁμάρτηλος dici deberet, ut ἀμέλητος, ἀμελέω; βλητός, βλέω; νοητός, νοέω; νοσηρός, νοσηλός, νοσέω; οἰκητός, οἰκέω, alia [49]. E scriptoribus profanis unus nonnisi laudatur a SCHWARZIO in Commentariis Criticis, cui tribuitur: hic est PORPHYRIUS, de reliquis omnibus nihil est, quod observatur. Alia vero exempla exstant verborum cum eodem exitu in ωλός, quae seriori nonnisi tempori attinent, ut ψευδωλός, φειδωλός, unde conii-cere licet, huius termini originem pariter seriore demum in religione, esse quaerendam.

49) Cf. Matthiae in Grammatica graeca p. 133.

Ultimum restat, ἡ ἀνάψυξις, Hesychio per ἀνάπ explicatum, a reliquis vero Grammaticis haud alla Semel legitur in Actibus Apostolorum (3, 19.) : ac p terea exstat saepenumero in versionibus Graecis V ris Foederis, interpretum scilicet Alexandrinorum (E 32, 15), *Aquilae* (Es. 28, 12.), ac *Symmachi* (Es 15.). E scriptoribus Graecis hactenus nonnisi u nempe Strabonem 50), reperi, a quo haec vox adh est. Formam aliam eiusdem termini iam Stephan Platone dedit: haec est ἡ ἀνάψυχη, cuius usus apud ripidem (in Suppl. 615.) laudatus, quamque sola veteri oratione exstitisse coniicere fas est.

Simili modo tertium fatum iam auditur, quo lingua Novi Testamenti discernatur oportet. Ad v bula pariter pertinet, ac quidem ea, quae haud in C corum, τῶν κοινῶν, libris, sed potius in Iudaeorum S turis Sacris, Apocryphis et versionibus exstant, Patres in usum receperunt. Huiusmodi sunt plura oris originis, in libris Novi Testamenti obvia, nec t adhuc observata. Eorum primum exemplum faciat n αἰχμαλωσία, et verbum αἰχμαλωτεύω. Utrumque deest i teribus scriptoribus. Pro priore ἡ ἅλωσις est, quae di et ἡ σύλληψις, ut e. g. apud Demosthenem et Herodia de posteriore, Grammatici αἰχμαλωτεύω, et αἰχμαλωτίζ iiciunt, ac pro iis αἰχμάλωτον γενέσθαι adhiberi iub

Similia quod attinet, subsistamus in ἀφυπνόω, apud omnes Grammaticos deest, a *Luca* semel (8, adhibetur. Atticis scriptoribus frequens est forma πνίζω, ut Euripidi (in Rheso, 25.), quae et a M de 51), Phrynicho 52), et Thoma Mag. 53) Atticis

50) Est l. XVII. p. 1137.

51) Pag. 61. Ἀφυπνίσαι, Ἀττικῶς. ἐξυπνίσαι, Ἑλληνικ

52) Pag. 56. Eadem tradit, quae

53) apud Th. Mag. p. 134. leguntur: Ἀφυπνίζω, καὶ ἐ ζω, οὐκ ἐξυπνίζω.

tionibus adnumeratur. Tertia denique forma, καθυπνόω, Xenophon [54]) usus est, unde apparet, formas, in όω exeuntes, non omnes insolitas fuisse antiquiore tempore, etsi posthac hanc ad anologiam novae multae, anteaque inauditae enatae fuerint.

Sunt praeterea alia tria nomina, haud ad vulgarem usum redeuntia, quae in libris sacris saepius occurrunt, ὁ βαπτισμός, τὸ βάπτισμα, ὁ βαπτιστής. In seriore nonnisi lingua exstant, ac hoc demum tempore alias ad formas, iam praesentes, similem formationem experta esse videntur, ut τὸ ἀγώνισμα, ὁ ἀγωνισμός, ὁ ἀγωνιστής; τὸ ἀέτωμα, ἡ ἀέτωσις, ὁ ἀετώδης; τὸ ἄθροισμα, ὁ ἀθροισμός, ὁ ἀθροιστής; ὁ γογγυσμός, et ὁ γογγυστής, cet. eorum, quae sacris scriptoribus pertinent, nullum omnino vestigium antea apparet. Desunt in omnibus, vel in Alexandrinis et Apocryphis, etsi aliae formae eiusdem originis plures in usu fuerunt, ut ἡ βάπτισις apud Lucianum, τὸ βαπτιστήριον apud Plinium (Ep. II, 17.), βαπτός denique adiectivum, apud Sophoclem, Aristophanem, alios. Rem vero si respicis, quam indicant, nil insolitum videri potest, ut seriori tantum, nec priori tempori attineant isti termini, dignitatis certe atque auctoritatis significatum tenent, quem antea haud eundem nec in ethnica, nec Iudaica religione reperimus, ideoque nullo singulari vocabulo expressum videre possumus.

Sed veniamus ad quartum genus vocabulorum in lingua sacra. Haud multum iterum differt ab antecedente, sed tamen adhuc nos soli sumus, quibus auctoribus Apostolis attinuisse videtur. Sunt scilicet eae voces, quae tantum in libris Novi Testamenti, nec alio ullo loco inveniuntur. Sed ipsa haec paupertas testimonii, hic in usu numerus exiguus nullum quidem argumentum pro priori antiquitate sistit, sed e contrario

54) Memorab. II. 1, 30.

nullo modo adhibendus erit, ad omnem veteris aetatis speciem negandam, praecipue externa vocabuli forma sic emissa, ut ad parem analogiam aliorum prioris temporis existat. Hoc ultimum solum est, quod iudicium fert satis idoneum; unde perpetuo quaerendum erit, an et quatenus externa forma vocabuli nova appareat, vel antiquitatis consuetudini propria sit. Utrumque diversum iudicium exhibet: hoc unum, si antiquitatis usus atque exemplum aliis in terminis inveniatur, verbum ipsum ad antiquitatem summam reducere licet; alterum, si novi tantum temporis speciem demonstret, originem etiam, ususque initium huic recentiori aetati adscribi iubet. Utrumque studeamus exemplis proponere.

Initium iam faciat vox Paulina, in Apostoli Epistolis semel obvia (Ephes. 5, 4.). Ἡ αἰσχρότης auditur, ac proprie *inverecundiam*, *turpitudinem* in externa forma exprimit. Deest apud Hesychium, Pollucem, Etymologici Auctorem, Suidam, Zonaram, alios, ac recentiori nonnisi in usu exorta esse videtur, propterea quod multa alia nomina eiusdem excursus in ης nullam aliam sortem sibi adscribere possunt, ut e. g. ἡ ἀγαθότης, ἡ ἁγνότης, ἡ ἀφελότης, et caetera multa. In omnibus hisce usus vetustioris atque existentiae nullum certum indicium habetur, fontis tantum, unde enatum sit, eadem probabilitas restat in antiquiori adiectivo, ὁ αἰσχρός, ut illa in ἀγαθός, ἁγνός, ἀφελός originem habuerunt. Alterum exemplum huius generis est ἡ αἱματεκχυσία, sanguinis effusio, vox, quae in antiquiori lingua sine exemplo est, in Novo Testamento uni tantum scriptori, Epistolae ad Hebraeos (9, 22.) auctori usitata fuit. Quoad formam, antiquitatis species nulla adest: nam quae sunt in veteri oratione nomina in ία, ea omnia vel ab adiectivis in ος (ut ἀλογία, ἄλογος, ἀναγωγία, ἀνάγωγος, ἀναδικία, ἀνάδικος), in ής (ut ἀλήθεια, ἀληθής, ἀλητεία, ἀλήτης, ἀσέβεια, ἀσεβής), et in εύς (ἁλιεία, ἁλιεύς, βασιλεία, βασιλεύς), vel a verbis in ευω descendunt, vel si

eiusmodi haud habetur initium, littera vocalis i etymo ipsi propria est, ut e. g. ἀνδρεία, ἀνδρία ab ἀνδρεῖος. Haec omnia ergo nostrae voci nil simile habent: usus antiquus formam tantum, τὴν ἔκχυσιν probat; mutatio nominis in ια pro nova iudicetur oportet.

Alia praeterea sunt nomina, quae, nisi forma, tamen sensu eiusque recentiore veritate Apostolis auctoribus solis, nec antiquiori tempori adscribere licet. Audiamus ἀποσυνάγωγος, ἀρχάγγελος, ἀρχιποίμην, ἀρχιτρίκλινος, ἀντίχριστος, et similia: quod his terminis intelligebatur, id vel Iudaeis, vel Christianis attinuit, veris Graecis rem nonnisi absconditam indicavit, ideoque haud in usu fuisse nomina ista, nec linguae antiquiori propria statui iubet. Nec minus recentiori origini adscribenda videntur ea, quorum sensus nil novi continet, aliis contra vocibus iam exprimebatur in vetustiori oratione, ut e. g. τὸ ἀσθένημα, *imbecillitas*, *infirmitas*, in Pauli Epistola ad Romanos (15, 1.) semel obvium, pro quo ἡ ἀσθένεια apud veteres omnes. Aliud est τὸ βιβλαρίδιον, *libellus*, auctori Apocalypseos (10, 2.) proprium, pro quo duplex alia forma eiusdem significationis antiquioribus scriptoribus adhibetur, τὸ βιβλίδιον scilicet DEMOSTHENI, τὸ βιβλιδάριον ARISTOPHANI apud POLLUCEM [55]). In utroque nomine antiquitatis indicium nullum habemus, ideoque ad recentiorem aetatem multo aptius referre possumus, propterea quod, si apud veteres iam exstitissent, difficile haud dubie explicandum restat, quare a veteribus scriptoribus haud adhibitia fuissent. Haud quaerere licet, quare vox haud prius formata sit, sed tantum quaestio datur an et quatenus haud priori tempori iam adiudicanda sit. Nam qui secreta originis verbi, quoad formam, sonum, caeterasque rationes bene

55) Onomast. VII. 210. βίβλος; βιβλίον; βιβλάριον παρὰ δὲ Ἀριστοφάνει βιβλιδάριον.

perspecta habet, is perpetuo testimonium dabit, historiam vocis humanae, si qua certa argumenta exprimuntur, inde a primo etymo atque fonte tantum per primum auctorem atque formatorem, ac ne per hunc quidem integram posse describi. Nam mentis status, qui tunc tenetur, in primis terminis formandis, haud is est, cui fidem, securitatemque necessariam pro hac historia attribuere liceret. Nec iudicii veritas, nec memoriae vis umquam ea erit, quae esse deberet: quapropter nullius vocis fontem enarrare aggredimur.

Sequitur *quintum* denique atque *ultimum* genus verborum Novi Testamenti. Sunt ea, quae nonnisi poëtis veteribus in usu fuerunt, reliquis haud propria inveniuntur. Rem ipsam nemo mirari poterit: nam ubinam poësis habetur, ibi etiam lingua singularis poëtis haud deerit, quoad voces earumque formationem usumque. Sic Graecorum praecipue, et veterum, et recentiorum, ars poëtica lingua propria eminuit, cuius singula vestigia in oratione Novi Testamenti deprehenduntur. Horum iam origo atque caussa alia nulla est, quam quae reliquis linquae mutationibus hoc tempore subiecit, permutatio eius, alienae genti inducta, ususque diversarum linguarum iisdem in verbis necessarie variatus. Scriptores sacri, qua Iudaei, poëticam Graecorum orationem haud intelligebant, certe haud ita populi auctores, eorumque opera in manibus habebant, ut iudicare potuissent, quid in lingua poëtis, quid reliquis scriptoribus tantum proprium fuisset. Unde plura verba, quae poëtarum linguae atque usui attinent, in libris sacris ad vulgatam consuetudinem adhibentur, in iisque nova inter orationem sacram ac gentilem diversitas exsistit. Saepius enim eiusmodi formae atque locutiones audiuntur, ubi nullam omnino vim ac significatum admittunt, praeter eum, qui prosaicae orationis voci attinet, ubique interpretem conscientiam tantum sibi comparare oportet, ut linguae seriori plura ex

poëtis antiquioribus, eorumque oratione esse adducta, in memoria teneat, .quae, sensu altiore denudato, in communem consuetudinem usumque descendebant, nec singularem vim ac virtutem vocibus retinebant. Sic e. g. ἀλαλήτος, vox adiectiva, *Paulo* auctori semel propria [56]), praeter Homerum [57]), ac Hesiodum [58]) nullo alio loco reperitur, unde colligi potest, verbum illud nonnisi in usu ac consuetudine poëtarum obvium fuisse. Simile est, quod de alio nomine, ἡ ἔσθησις, in *Lucae* Evangelio (24, 4.) semel obvio, iudicium auditur, a veteribus iam philologis enunciatum, solisque poëtis attributum, ut a THOMA MAGISTRO [59]), et a Scholiasta ad Sophoclem [60]). Alterius Scholiastae observatio similis exstat ad eundem Tragici locum [61]): huiusque nominis usum a pluribus iam scriptoribus serioribus simili modo adhibitum videmus, ut a Dionysio Halicarnasseo [62]) et a Philone Alexandrino [63]). Eadem nominis adiectivi διηνεκής sors esse videtur, quo, ut constat, continuum, perpetuum significari debuit, quod-

---

56) Ep. ad Rom. 8, 26. ἐν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις.

57) Iliad. II. 149. IV. 436. XVIII. 140.

58) Scut. Hercul. 382.

59) Pag. 370. Ἐσθὴς εὕρηται παρὰ λογογράφοις, καὶ ἔσθημα· τὸ δὲ ἔσθησις, παρὰ ποιηταῖς, καὶ τισι τῶν ῥητόρων.

60) Electr. 266. ἐσθήματα μὲν καὶ ἐσθήσεις, ἐν πέζῳ λόγῳ ἄχρηστα, ἔσθης δὲ ἐν χρήσει.

61) Ita auditur apud WETTSTENIUM in notis: οὐ μόνον ἐσθὴς ἐσθῆτος εἴρηται τὸ ἔνδυμα, ἀλλὰ καὶ ἔσθημα ἐσθήματος, ὡς κἀνταῦθα καὶ ἔσθησις ἐσθήσεως· τὰ ὕστερα ποιητῶν· τὸ δὲ ἐσθὴς καὶ λογογράφων.

62) de Isocrate 13.

63) de fortitud. 45.

que hoc sensu apud Homerum [64]) et Hesiodum [65]) reperitur. In Novo Testamento auctor est Epistolae ad Hébraeos, cuius lingua pluries (7, 3; 10, 1. 12. 14.) hanc vocem audit. Praeter eum et poëtas, est solus Diodorus, qui verbi usum recipere ausus est: alios ego haud inveni, memoriae haud tradidi.

64) Odyss. IV. 836.

65) Theogon. 627. 812.

Google

Nonnulla de significatu Canonis in Ecclesia antiqua, eiusque serie rectius constituenda.

Scripsit

Henr. Planck, Theolog. Prof. Gotting. [1]).

Quae in usu linguae graecae obvia est, *τοῦ Κανόνος* significatio, biblicae et ecclesiasticae fundamentum exhibet. Dat illa, ut constat, notionem regulae, normaeque externae, quae haud paucis in variationibus auditur nec sola ad res physicas, sed eadem veritate ad mentem eiusque leges translata habetur [2]). Hanc ipsam, nec aliam, usus Ecclesiae antiquissimus indicit, quem nimirum ad Scripta sacra et Veteris, et Novae revelationis, eorumque duplicem collectionem relatum videmus. Egressa est haec nominis translatio e communi, ac, ut decet, unice probanda consuetudine, revelationis huius in doctrina *τὸν κανόνα*, vel regulam religionis atque vitae exspectandi. Primum huius inter-

1) Edidit hasce observationes auctor doctissimus ad indicenda Solemnia Resurrect. Dom. a. 1820.

2) Cf. Euripides in Hecuba, v. 602. Κανὼν τοῦ καλοῦ, regula honesti. Hierocles p. 124. ἀληθείας κανών. Josephus c. Apion. II. p. 1072. ὅρον ἔθηκεν αὐτὸς καὶ κανόνα τὸν νόμον. Vide etiam Libanii E p. pag. 633. Dion. Hal. P. II. pag. 65.

pretationis exemplum iam Paulus Apostolus exhibuit, pluribus in Epistolarum locis, ubi Christi religionem et universam, et singula quaedam praecepta eius hoc nomine inducit[3]. Neque Patribus displicuit haec significatio, quorum in Scriptis saepissime eius usus occurrit[4].

Iam hic terminum habemus atque fontem, e quo enascitur primus Ecclesiasticus *τοῦ κανόνος* significatus. Per metonymiam scilicet haud vituperandam *ὁ κανών*, qui religionis, vitaeque raligiosae regulam indicat, de Scriptis pariter dici coeptus est, quibus utriusque revelationis summa continebatur. Iam *βίβλοι κανονικοί* audiebantur, iisque in unum congregatis, communis eorum thesaurus atque collectio pro *κανόνι* ipso sumebatur, cuius interpretationem alio in fonte quaerere haud licuit. Haec deductio quam parum ab usus Ecclesiastici sensu atque consuetudine remota fuit, e comparatione cum alio eiusdem argumenti nomine optime intelligi potest, quod ad unam eandemque analogiam formatum reperitur. Sunt *οἱ βίβλοι ἐνδιάθηκοι*, *ἡ καινὴ διαθήκη*. Ultima haec proprio sensu novum foedus inter Deum, hominesque paratum, novam a divina gratia acceptam revelationem exprimit, ac deinde per eandem metonymiam de librorum collectione dici coepta est, qui foederis huius fontes habebantur. Fuit quasi brevior, usuique vulgari minus molestus terminus, loco *τῶν βιβλίων τῆς διαθήκης*, etsi ipsa haec compositio ab auctore multo vetustiore iam exhibita exstat[5]. Eodem modo *ὁ κανών* pro *βίβλοις τοῦ*

3) Gal. 6, 16. *Καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος* — Phil. 3, 16.

4) E. g. Theodoret. ad Gal. 6, 16. Chrysost. homil. 58. in Genesin, et alii. Cf. Suicer. Thes. Eccles.

5) Est in libro primo Maccab. 1, 57. de saevitie Antiochi Syri contra Iudaeos: *καὶ τὰ βιβλία τοῦ νόμου, ἃ εὗρον, ἐνεπύ-*

κανόνος in consuetudinem abiit, testesque huius usus in Patribus plures exstant, quos contemnere haud licet. Sic e. g. Irenaeus haud dubie *τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας*, vel, ut in versione latina legitur, *veritatis regulam* professus est, eo quidem loco, ubi Ioannis Evangelium contra Cerinthum et Nicolaitas docere testatur: „Omnia igitur talia circumscribere[6]) volens discipulus Domini, et *regulam veritatis* constituere in Ecclesia — sic inchoavit." Quae iam sequuntur, Ioannei Evangelii initium faciunt, indeque clarissime elucet, *τὸν κανόνα*, *regulam*, quae a Patre inducitur, de libro apostolico esse intelligendam. Haud minus perspicue Isidori Pelusiotae testimonium habemus[7]) in verbis: *ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας, τὰς θείας φημὶ γραφὰς, κατοπτεύσωμεν.* Ecce ipsum interpretem metonymici usus, eiusque veritatis, cuius praeterea alii testes obveniunt, haud contemnendi, decreta Conciliorum puto, legesque monachorum[8]).

Hoc solum igitur, nec aliud fundamentum statuendum erit ecclesiastici nominis. Iam sequitur altera significatio, quae in permultis variationibus auditur, cuiusque originem e priore facillime deductam habes. Refertur scilicet ad notionem *summae*, vel *numeri*, vel *indicis generalis*, qui si de libris sacris quaerebatur, aptissime τοῦ Κανόνος nomine eloquendus erat, prop-

---

ρισαν πυρὶ κατασχίσαντες. Καὶ ὅπου εὑρίσκετο παρά τινι βιβλίον διαθήκης, τὸ σύγκριμα τοῦ βασιλέως ἐθανάτου αὐτόν.

6) Cf. adv. haeret. III. 11. hoc verbum quonam sensu intelligi debeat, ex usu latino haud facile divinari potest, sed si graecum textum ante oculos habes, τοῦ περιγράφειν significationem, quae in delendo, e medio tollendo auditur, haec cum proprio verbi latini sensu permutatam habere licet.

7) Epist. 114.

8) Cf. Suicer. Thesaur. Eccles. T. II. p. 40. Du Fresne Glossar. med. et infim. Graecitat. h. v.

terea quod hoc ipso praeter priorem regulae legisque sensum, pariter collectionis vel numeri notio exprimebatur. Testes de hoc sensu sunt plures Patres, e quibus duo praecipue aestimandi, unus, EUSEBIUS [9]), qui de Origine ita loquitur: *ἐν δὲ τῷ πρωτῷ τῶν εἰς τὸ κατὰ Μάτθαιον εὐαγγέλιον, τὸν ἐκκλησιαστικῶν φυλάττων κανόνα, μόνα τέσσαρα εἰδέναι εὐαγγέλια μαρτύρεται.* Alterius RUFFINI idem testimonium exstat in Expositione Symboli Apostolici, in qua, librorum *numero* Veteris Testamenti proposito, de Novi Testamenti scriptis simili modo monetur: „haec sunt, quae Patres intra Canonem concluserunt.“ Hisce verbis clarissime docetur, *τὸν κανόνα numeri* vel *indicis* sensum exprimere debuisse, quem de aliis praeterea rebus haud paucis in Ecclesia adhibitum fuisse satis constat, ut de clericorum ordine, qui cultus alicuius curam et officia praestabant, de Psalmorum ac canticorum numero, certis diebus in cultu Domini solitorum etc. Eadem ex origine adiectivum *κανονικός genuini* sensum sortitum est, dum alia scripta nulla, nisi authentica, in Canone recipiebantur. In nostra Canonis librorum sacrorum expositione secundi huius significatus usus quidem nullus apparet; sed propterea silentio praetereundum non fuisse, sequentis epicriseos memoratio docebit. Est solus regulae religionis legisque sensus, a quo omnia pendent, inde a primo revelationis argumento usque ad plenum librorum numerum, quibus illa continebatur. Antiquissimus ille, a Paulo Apostolo iam observatus usus, quem supra notavimus, quique alius interpretationis vestigium nullum indicat, ne seriore in sermone Ecclesiastico *τῷ κανόνι* mutatum prorsus sensum suppositum fuisse statuamus, distincte vetat. Nihilominus praesenti tempore plurimos e Criticis nostris novam τοῦ Κα-

9) Histor. Eccles. VI. 25.

νόνος expositionem profiteri audimus; eosque inter SEMLERUS[10]) doctissimus, princeps nominandus est, cuius de Canone eiusque historia critica recte illustranda labores studiaque nemo est, qui nesciat. Idem est, qui primus interpretationem τοῦ *Κανόνος*, iam omnibus fere probatam, in medio statuit, cui ipsi tamen nequaquam assensum exhibere valemus. Continetur scilicet in notione *indicis*, vel *καταλόγου* librorum, quorum in Ecclesia antiquissima ad praelegendum usus fiebat. Haec volumina, ut constat, non solum Apostolica, Apostolorum e manibus egressa esse debuerunt, verum etiam alius cuiuscunque auctoris, hac tantum lege, ut quoad argumentum eiusque expositionem, cuivis menti religiosae suum afferrent[11]). Seriore demum tempora eundem terminum in sensum angustiorem abiisse, ac de numero librorum Apostolicorum, quorum authentia haud impugnari potuisset, exponi coeptum esse supponitur. Huius separationis a caeteris, eximiaeque iis prae aliis adscriptae auctoritatis duplex caussa statuitur: una, quatenus soli inspirationis divinae dono praediti apparuerunt, ideoque in controversiis cum haereticis adhiberi potuerunt; altera, dum abundanti in copia eorum, quae sub Apostolorum nominibus cum fraude edebantur, permulta haud dubie restabant, quae ab usu dogmatico seponi oportuit. Utrumque hoc τοῦ *κανόνος* nomen ad scripta tantum Apostolica, eaque genuina, revocavit, indeque solum factum esse putatur, ut adiectivum *κα-*

10) Cf. *Abhandlung von freier Untersuchung des Kanon's*, St. I. S. 11 ff.

11) Sic e. g. EUSEBIUS de prima Epistola Clementis Romani, (Hist. eccles. III. 16. IV. 23.), de Pastore Hermae, Epistolaque Barnabae (ibid. III. 3.), itemque HIERONYMUS de nonnullis Ephremi operibus in Syriae Ecclesiis eiusmodi usum tradiderunt.

νονικός in usu Ecclesiastico sensum genuini, vere Apostolici sortitum sit [12]).

Sed ipsam hanc τοῦ Κανόνος expositionem nemo est, qui argumentis comprobasset. SEMLERUS certe testimonia nulla attulit, e quibus Patrum antiquiorum usus de hoc vocabuli sensu probari posset, plurimique iam, sola huius nominis auctoritate contenti, de re ipsa plene persuasi esse videntur. Unum tantum scio nostris diebus hanc τοῦ Κανόνος interpretationem e historico fonte deducere voluisse, SCHMIDTIUM scilicet Virum doctissimum, qui ad testimonium Synodi Laodicenae revocavit, eiusque e decreto verba attulit: ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς διαθήκης [13]). Haec verba a synodo haud adhiberi potuisse argumentatur auctor, nisi κανών, κανονικός iam ad libros, e quibus praelectiones dabantur, relatum fuisset. Sed ipsum hoc nobis in obscuro relictum est. Nam τὰ βιβλία κανονικά, quorum index in sequentibus traditur, omnia ab Apostolis edita apparent, quo absente, idem etiam genitivi, τῆς καινῆς διαθήκης, compositio cum τοῖς κανονικοῖς indicasset. Nam ultimi huius termini, τῆς καινῆς διαθήκης, sensum inde ab antiquissimo tempore ad Apostolorum tantum, quibus inspiratio Sancti Spiritus haud defuerit, scripta relatum fuisse, itemque Marci atque Lucae Evangelia ad Matthaei Paulique interventum esse reducta, indeque dignitate quasi Apostolica donata habita, omnibus constat. Unde τοῦ κανόνος formatione, id eumque receptione haud eorum, e quibus praelectiones in Ecclesia dare li-

---

12) Sic non solum SEMLERUS, sed etiam multi seriores indicarunt, ut e. g. MARSHIUS, EICHHORNIUS, HAENLINIUS, SCHMIDTIUS, aliique.

13) Cf. *Histor. krit. Einleitung ins N. T.* B. I. §. 5.

cuisset, sed eorum potius, quibus nemo veram inspirationem Apostolicam denegare ausus fuisset, auctoritatem significatam esse probabile est.

Sic contra testimonium illud historicum moneri oportuit. Sunt alia praeterea argumenta, quae recta via hanc praelegendorum interpretationem umquam in usu fuisse, statuere vetant. Unum est, quod ex *Origene* cognosci potest, iis scilicet locis, ubi Veteris Testamenti collectionis, qualis in Synagogis Iudaeorum Palaestinensium habebatur, mentionem fecit [14]. Ultima haec *Canonicorum librorum* nomine inducitur: sed nemo profecto est, qui huius termini sensum ad usum tantum praelegendi, cum aliis minus praeclaris communem, haud ad inspirationis divinae virtutem, natamque inde dogmaticam auctoritatem esse relatum opinetur. Libros, e quibus praelectiones dabantur, Origines solos

---

14) Sunt duo praecipue loca, quae hic conferenda: unum, in Prologo in Canticum Canticorum, ex latina Rufini versione: „Illud tamen palam est, multa vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse prolata, et *Novo Testamento* inserta, quae in his scripturis, quas *canonicas* habemus, numquam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur, et evidenter ex ipsis ostenduntur assumpta." — Alterum in Commentariorum serie in Matthaeum ad cap. XXVII. 9. e pari veteri interpretatione latina legitur, ubi allato textu anonymo, quem Paulus Apostolus in priore Epistola ad Corinthios (II. 9.) citavit, haec animadversio sequitur: „In nullo *regulari* libro hoc positum invenitur, nisi in secretis Eliae prophetae. Item quod ait: *Sicut Iamnes et Mambres restiterunt Mosi*, non invenitur in *publicis* scripturis, sed in libro secreto, qui suprascribitur, Iamnes et Mambres liber." Duplex hic terminus, *regularis liber*, *publica scriptura*, haud dubie τῷ κανονικῷ respondet, sed eadem veritate constat, eum a Iudaeis nullo modo ad libros esse relatum, e quibus praelectiones fiebant, sed qui Spiritus divini testimonis continere putabantur. Quapropter eundem sensum ad antiquissimum Ecclesiae Christianae usum transferre oportet.

memorare si voluisset, haud τῆς παλαιᾶς atque καινῆς διαθήκης comparationem τοῖς κανονικοῖς adponere potuisset, cuius utriusque termini vis atque virtus perpetuo tantum inspirationis vere divinae existentiam significavit. Alterum deinde, quod eum recentiore hac τοῦ κανόνος expositione conciliari nequit, in usu serioris termini reperitur, qui, etsi unam eandemque rem exprimit, tamen, quoad formam, variationem haud explicandam expertus est. Sunt haec τὰ δευτεροκανονικά, quod nomen iis seriore tempore voluminibus tributum est, quae ab initio ob usum, quem praestabant, τὰ ἀναγινωσκόμενα natata fuerant [15]). Ante omnia hic quaerendum est, quonam iure hoc nomen induci potuisset, si iidem, quibus dabatur, iam οἱ κανονικοί audiebantur, eo quidem sensu, ut idem, neque aliud diversum significasset iste terminus. Τὸ δευτεροκανονικόν, id quod compositio vocabuli indicat, quoad sensum diversum esse debuit τοῦ κανονικοῦ: unde τὸ ἀναγινωσκόμενον, si sub simplici isto nomine intellectum fuisset, haud composito termino induci potuisset. Aptiorem e contrario, multoque magis idoneam appellationem istam τοῖς ἀναγινωσκομένοις tributam inveniemus, si a nostra τοῦ κανονικοῦ interpretatione egressum faciemus. Fuit scilicet necessaria, omnibusque certe probata distinctio inter inspiratos, Spirituque Sancto donatos, ac inter eos libros, quos eiusmodi ad originem, indeque oriundam auctoritatem reducere haud licuit. Qui ultimi nihilominus ob argumenti pietatem, religiosamque indolem saepius in numero eorum retinebantur, e quibus

---

15) Est Athanasius Ep. ad Ruffin. qui tria librorum religioris genera distingui iubet: βιβλία κανονιζόμενα, ἀναγινωσκόμενα et ἀπόκρυφα. De mediis haec proponit: οὐ κανονιζόμενα μέν, τετυπόμενα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατήχεισθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον.

praelectiones dare placuit. Usum ergo communem cum τοῖς κανονικοῖς praestabant: sed defuit ea, quae ab auctoribus, qua Apostolis, pendebat personae dignitas, nominisque auctoritas, ideoque τῶν δευτεροκανονικῶν termino optime significari potuerunt. Nam ipsi, ab Apostolis haud editi, nihilominus tamen ob religionem, piamque consolationem, quam menti attulerunt, eorum scriptis proxime adnumerabantur.

Accedit tertium testimonium, quod Muratori in Antiquitatibus Italiae medii aevi edidit. Est Anonymi alicuius, sub tempore seculi secundi, cuius verba haec audiuntur[16]. „*Pastorem* vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Hermas conscripsit, sedente in cathedra urbis Romae Ecclesiae Pio Episcopo, fratre eius. Et ideo *legi* cum quidem oportet, sed publicare nemo in Ecclesia populo, neque inter prophetas completum numero, neque inter Apostolos, in finem temporum potest.“ Haec verba et ob plures loquendi formulas, et ob singularem compositionis usum, mea sententia, haud pro textu vere latino erunt sumenda: videntur potius versionis latinae partem constituisse, quae e fonte graeco egressa, ad eiusmodi forte textus authenthici fragmentum reduci possit: *Καὶ διὰ τοῦτο ἔξεστιν αὐτὸν ἀναγινώσκεσθαι· ἀλλὰ δημοσιεύειν αὐτὸν οὐδεὶς δύναται ἐν ἐκκλησίᾳ τῷ λαῷ, οὐδὲ ἐν τοῖς προφήταις καινονιζόμενον, οὐδὲ ἐν τοῖς ἀποστόλοις, μέχρι τελειώσεως χρόνων.* Qui haec pro vero textu accipere haud recusat, facillime novam inde argumentationem adversus recentiorem istam τοῦ κανόνος interpretationem paratam sibi videbit. Recta via, ut ego certe opinor, inde sequitur, librum istum, de quo agitur, ad legendum quidem in usu fuisse, nec tamen locum in canone ha-

---

16) Tom. III. p. 854.

bere potuisse: quapropter prius illud nequaquam ultimo hoc termino significatum est.

Restat praeterea quarto in loco usus verbi *κανονίζειν*, quod nunquam de solis Ecclesiasticis, vel *δευτεροκανονικοῖς*, sed perpetuo tantum de vere inspiratis libris adhibitum reperies. Testimonia praecipue notanda haec habes. Primum Theodoreti est in praefatione ad Canticum Canticorum, ubi eos impugnat, quos divinam huius libri dignitatem in dubium vocasse significat: *ἔχρην μὲν οὖν αὐτοὺς συνίδειν, ὡς πολὺ λίαν αὐτῶν καὶ σοφώτεροι καὶ πνευματικώτεροι τυγχάνουσιν οἱ μακάριοι πατέρες, οἱ τοῦτο τὸ βιβλίον ταῖς θείαις γραφαῖς συντεταχότες, καὶ ἅτε δὴ πνευμάτικα, κανονίσαντές τε αὐτὸ, καὶ ἐκκλησίᾳ πρέπειν ἀποφηνάμενοι*, etc. Utraque verba *κανονίζειν*, et *ταῖς θείαις γραφαῖς συντάσσειν*, a nostro auctore qua Synonyma esse adhibita, extra omne dubium est: idque est, quod probare volumus. Idem deinde testatur Christianus Anonymus in Topographia Christiana, libro VII. ubi verba leguntur: *οἱ κανονίσαντες τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους* — verbi ergo usus ad libros solos divinos, revelationis fontes, est relatus. Nec etiam Isidorum Pelusiotam silentio transire licet, quem eadem *βιβλία* utroque nomine *τῶν ἐνδιαθηκῶν* et *τῶν κεκανονισμένων* induxisse videmus: *ὅτι οὐδὲν*, ait, *τῶν ἐνδιαθηκῶν καὶ κεκανονισμένων βιβλιῶν δεῖ προτιμᾷν εἰς ἀνάγνωσιν*[17]).

Eusebius denique est audiendus, cuius auctoritatem in vero Canonis significatu explorando nemo negabit. Eum scilicet in caussa, ubi, probata recentiore ista interpretatione, fieri haud debuisset, *τοῦ κανόνος* usum deseruisse, pro eoque alium terminum adhibuisse

17) Est in Epistolis nr. 369. Idem prorsus exhibet Athanasius in Synopsi, cuius auctor habetur, p. 55. et in Epist. ad Ruffin. p. 38.

ante oculos habemus. Sunt ea loca, quibus ex Origene ac Melitone librorum Veteris Testamenti indicem proponit, atque hunc haud *τοῦ κανόνος* nomine, quod optime haud dubie accommodatum fuisset, sed *τοῦ καταλόγου* termino inducit, id quod ei haud licuisset, si *τοῦ κανόνος* eadem, nec alia, significatio fuisset [18]).

Nec id postremo, quod de libris hellenisticis Veteris Testamenti habetur, in usum demonstrationis pro praesenti *τοῦ Κανόνος* interpretatione adhiberi licet. Hosce libros ut iam antiquiore tempore apud Iudaeos in Aegypto, sic etiam per tria priora secula in Christianorum Ecclesia partem *τοῦ Κανόνος* fecisse, neminem latet: nec tamen parem iis tributam posse cogitari auctoritatem et dignitatem atque istis, qui sermone hebraeo ante exilii aetatem fuerant editi, a pluribus iam monitum auditur. Qua propter, additur, commune illud *τοῦ κανόνος* nomen probabilius multo ad numerum eorum tantum, e quibus praelectiones fiebant, quam ad illos, quorum divina auctoritas ab auctoribus, eorumque singulari ratione pendebat, referendum videri. Sed de omnibus hisce scriptis res satis certa ac nequaquam ambigua est, ut quoad originem divinam, Spiritusque sancti interventum antiquitoribus haud postponerentur [19]); idque solum in caussa fuit, ut *τῷ κανόνι* adscriberentur, propterea quod haud minus religionis atque verbi divini regulam continere putabantur. Seriore demum tempore, quo in diem crescens copia pseudoapostolicorum accuratam *τοῦ κανόνος* disquisitio-

18) De Origene legitur in Histor. Eccles. VI. 25. hisce verbis: τὸν, μὲν τοίγε πρῶτον ἐξηγούμενος ψαλμὸν, ἔκθεσιν πεποίηται τοῦ τῶν ἱερῶν γραφῶν τῆς παλαιᾶς διαθήκης καταλόγου, κ. τ. λ. Similis nominis istius usus habetur l. IV. 26. ubi eundem indicem e Melitone excerpsit.

19) Cf. Münscherus in Histor. dogmat. T. I. p. 196 sq.

nem postulabat, pluresque etiam e Patribus iudicium Iudaeorum Palaestinensium de libris Hellenisticis melius experti fuerant, in Graeca ecclesia pariter haec volumina auctoritatem perdere coeperunt, cum firma, certaque authentiae demonstratione absente, haud facile pro inspiratione argumentatio idonea tentari posset. Latina Ecclesia, id quod notum est, minus ambigua, plurimam partem eorum in Canone retinuit.

Iustinum Mart. evangeliis canonicis usum fuisse

ostendit

G. Bd. Winer, Theol. D. et Prof. Ord. Erlang. [1]).

Rerum a Jesu Chriso gestarum commentarii (*Evangelia* vulgo dicunt), qui libris N. T. canonicis adnumerantur, qualem originem habuerint, quove tempore in universa ecclesia christiana auctoritatem canonicam nacti fuerint, diu multumque disceptatum est inter viros doctos. Et in iis quidem aevi antiquissimi scriptoribus, quorum testimonio hac in caussa aliquantum profici videretur, praeter Clementem Romanum, Polycarpum, alios fuit etiam Justinus Martyr [2]), in sec. 2. e

---

1) Edita est haec commentatio ab auctore doctissimo ad indicendam orationem professionis theol. extraord. adeundae caussa recitatam Lips. d. 14. August. a. 1819.

2) Pauca, quae de Iustini originibus et fatis memoriae prodita sunt (cf. Tatian. Orat. ad Gentil. c. 18 sq. Euseb. H. E. IV. 11 sq. Hieronym. Catal. scriptor. eccles. c. 28., Phot. in Biblioth.) praeter Laur. Maranum, qui Justini opera omnia cum Athenagorae, Tatiani, aliorumque libris in lucem emisit Paris. 1742. fol., diligenter collegerunt J. E. Grabius Spicil. Patr. (Oxon. 1714. 8.) Tom. II. p. 133 sqq., J. A. Fabricius (Biblioth. graec. ed. Harles Tom. VII. p. 52 sq.) J. M. Schroeckhius (Kirch. Gesch. Bd. III. p. 17

Pagano Christianus factus. Is enim libris suis, qui quidem genuini esse censentur [3]), plurima, ut e Vet. Testamento ita e Jesu Christi orationibus publicis decerpta vel ad eius vitam pertinentia inseruit, quae utrum e nostris fluxerint evangeliis, an ex alio fonte derivata sint, quaeri recte potuit. Eorum autem, qui hanc quaestionem contentione inter Justinum et evangelia canonica facta instituerunt sententiae in duas partes sibi contrarias abierunt [4]), cuius miri dissidii caussa

---

sqq.) Roesslerus (Biblioth. d. Kirch. Vät. Tom. I. p. 101 sqq.) L. Moshemius (Commentt. histor. eccles. p. 317 sqq) nec non J. A. Goetz in Apolog. sec. versione vernac., quae prodiit Norimb. 796. 8. p. 111 sqq. cf. Neues theol. Journ. Tom. VIII. p. 812 sqq.

3) Utramque dico Apologiam (quam emendata descriptam edid. C. W. Thalemannus, olim noster Lips. 755. 8.), Dialogum c. Tryphone Judaeo (quem non ad alium Justinum tanquam auctorem referendum esse, contra Kochium, Q. a Felde et Langium [Geschichte d. Dogm. I. 238 sqq.] docte demonstravit b. Munscherus in peculiari libello Marburgi edito 1799.) Cohortationem denique ad Graecos λόγον παραινετικὸν πρὸς Ἕλληνας) cf. omnino Grabius l. c. p. 153 sq. Horum librorum editione usus sum illa, quae Coloniae prodiit a. 1686. fol.

4) Cf. J. L. Hug Einleit. in die Schriften d. N. T. II. p. 74 sqq. J. C. E. Schmidt hist. krit. Einl. ins N. N. p. 107 sqq. J. G. Eichhorn Einl. ins N. T. I. p. 78 sqq. W. M. L. de Wette Lehrb. d. hist. krit. Einl. in d. Bibel. I. p. 22. G. C. Storr Lehrbuch der christl. Dogmat. übers. v. Flatt (ed. 2. Stuttgard. 1813. 8.) p. 28 sqq. — in primis vero J. C. Gieseler (Theol. nunc Acad. Bonnensis) hist. krit. Versuch üb. d. Entsteh. und frühesten Schicksale der schriftl. Evangel. in Keilii et Tzschirneri Analectt. theoll. Tom. III. P. I. deinde separatim ed. Lips. 1818. 8. p. 14 sqq. Adde Heischkeilium (ob Just. M. keine Spur zeigt, dass er gewissen evangelischen Schriften ein ausschliessendes Ansehn beigelegt habe) in Augustii neuen theol. Blätt. Vol. I. P. I.

in varia istorum locorum indole posita esse deprehenditur, quippe quorum haud pauci ad nostrorum librorum orationem graecam proxime et singulorum saepe vocabulorum ordine ac conformatione servatis accedant, multi vero etiam, ut fit, ab hac prorsus deflectere videantur. Itaque, quemadmodum fuerunt, qui Iustinum sua ex evangeliis nostris hausisse omnia contenderent [5]), sic plurimi superiore inprimis aetate alio ipsum fonte usum fuisse sibi persuaserunt, sive Evangelio isto nobili, quod *Hebraeorum* dixit multumque celebravit vetus ecclesia [6]), sive harmonia quadam, ut loqui solent, evangelica [7]) sive libro cuius cum Mat-

5) Id factum nuper est etiam a J. A. Goetzio (Apol. sec. vers. vernac. p. 186.) L. Hugio (Einleit. ins N. T. II. p. 74 sqq.) Fr. Schuitzio (in Diss. de evangeliis, quae ante evangelia canon. in usu ecclesiae christ. fuisse dicuntur. Regiom. 1812. 2 Part. 4.) et J. P. Mynstero Havniensi, qui hunc locum persecutus est in commentariis danice scriptis: Videnskabelige Forhandlinger ved Sielllands Stifts Landemode edit. a Hiort et Moenster. Havn. Tom. I. pag. 126 sqq.

6) Sic statuerunt F. A. Strothius in (Eichhorn) Repertor. für bibl. u. morgenländ. Liter. T. I. pag. 1 sqq. et C. F. Weber in: Beiträge zur Geschichte d. neutestam. Canons (Tübing. 1791. 8.) p. 105 sqq. adde Martini pragmat. Geschichte d. Dogma v. d. Gotth. Christi I. p. 41., quam tamen hoc nomine reprehendit b. Keilius in Neu. theolog. Journ. Bd. 8. p. 472.

7) In hac opinione fuerunt: H. E. G. Paulus in exeget. krit. Abhandl. (Tübing. 1784. 8.) p. 31. Gratzius (krit. Untersuchungen über Justins apostol. Denkwürdigkeiten. Stuttg. 1814. 8.) Adde Muenscherum, qui (Handbuch d. christl. Dogmengesch. I. p. 296 sqq.) Justinum ex evangelio Hebraeorum graece converso et nonnullis Matthaei et Lucae capitibus aucto omnia hausisse contendit nec non Storrium (üb. den Zweck d. evang. Gesch. u. Briefe Joh. p. 363 sqq. Lehrb. d. christl. Dogm. l. c.), qui ἀπομν. Justini harmoniam

thaei nostri commentariis aliqua intercederet necessitudo, quamquam mutilo passim [8]), seu denique ipsius evangelii Matth. peculiari ἐκδόσει [9]). Haec tanta sententiarum diversitas haud parum me exercuit, cum anno praeterlapso introductionem historicocriticam in N. T. libros tradere instituissem, quapropter, ut ipse meis oculis viderem, qualis sit istorum locorum indoles, unde omnis haec coniecturarum mira discrepantia proficiscatur, ipsum Iustinum inspicere operae pretium duxi; quid mihi reperisse videar, age nunc uberius exponam.

Duabus autem partibus universam hanc, quae nobis instituitur disputationem absolvi, facile patet; primum enim loci omnes, qui ad res Jesu pertinent, e Justino colligendi et pro ea, quae ipsis cum evangeliis nostris intercedit, ratione ad genera sua revocandi sunt, deinde vero, an eorum indoles vel postulet vel certe suadeat, ut scriptorem, de quo agitur, aliis quam libris cononicis usum fuisse existimemus, quaerendum erit simpliciter.

1. Itaque eorum Justini locorum, qui hic in censum veniunt, si argumentum spectas, duplex genus est; alii enim de rebus ad Jesu vitam pertinentibus breviter exponunt, alii, quae ab ipso dicta praeceptaque fuerint, exhibent. Horum longe plurimi reperiuntur, illorum numerus exiguus admodum est. Jam ubi de indole utrorumque locorum quaeritur, illi, quos priore loco posuimus, seiungendi prorsus videntur ab his, qui

---

evangelicam ex Hebraeorum et Lucae evangeliis conflatam fuisse censet.

8) Ita Eichhorn. censuit (Einleit. II. p. 78 sqq.) cf. etiam Bertholdt Einleit. III. p. 1210 sq. Gieseler l. c. p. 182. Ab eadem opinione prope abest Anon. in Hal. Lit. Zeit. 1813. p. 105 sq.

9) Hanc sententiam praeivit Schmidtius (Einl. ins N. T. I. p. 117 sqq.)

posterius genus efficiunt. Hi enim vel non habent omnino, quae ipsis in evangeliis nostris canonicis respondeant (cf. Dial. c. Tryph. p. 296. 304. 333. (?) 326. v. Eichhorn Einl. I. p. 93 sq.) vel si habent, tantopere discrepant, ut idonea contentio institui in hac tanta cum universae narrationis tum singulorum verborum diversitate vix ac ne vix quidem possit cf. Dial. c. Tryph. p. 303. v. quae Matth. 1, 18 sqq. leguntur, p. 316. v. Matth. 3, 4., p. 315. 331. v. Matth. 3, 13. 16. 17., p. 268. v. Matth. 14, 3. 6 sq., p. 328. v. Matth. 27, 39. 40. 43., p. 333. v. Marc. 8, 17., Apol. II. p. 75. et Dial. c. Tryph. p. 327. v. Luc. 1, 4. 31 sq. 35. Dial. c. Tryph. p. 331. v. Luc. 22, 44 [10]).

Sepositis igitur his locis historicis ad illos convertimur, qui sunt e genere didactico. Eorum vero non eadem omnium est indoles, nonnulli enim ad evangeliorum nostrorum, Matthaei inprimis, orationem contextam tam prope accedunt, ut singula fere verba, quemadmodum scripta sunt, expressa legantur; in aliis, quorum numerus longe maximus est, pauculae tantum voces seu prorsus omissae seu cum aliis permutatae seu inter se transpositae esse reperiuntur; occurrunt denique passim, ubi ea sit utrorumque librorum discrepantia, ut sensus tantummodo orationis appareat.

a) Loci, qui ad singula verba respondent evangeliorum sententiis, hi fere sunt:

Dial. c. Tryph. p. 271. *και ει θελετε — ερχεσθαι, ὁ εχων — ακουετω* cf. Matth. 11, 14 sq. v. Eichhorn l. c. p. 527.

ibid. *ἡ βασιλ. — αυτην* cf. Matth. 11, 12. v. Eichhorn. p. 527.

10) Locos ipsos graece descriptos v. ap. Eichhorn. vel in Repert. lit. bibl. Tom. I. vel. in Einl. I. p. 81 sqq. et p. 515 sqq.

p. 301. (v. etiam p. 399.) ἥξουσι — ουρανων, οἱ δε υἱοι — το εξωτερον cf. Matth. 8, 11. 12. v. Eichhorn 526.

p. 327. γενοιτο — ῥημα σου cf. Luc. 1, 38. v. Eichhorn 339.

ib. 333. εαν μη περισσευσῃ — των ουρανων, cf. Matth. 5, 20. v. Eichhorn p. 81. et p. 518.

Apolog. II, 64. παν δενδρον — βαλλεται cf. Matth. 7, 19. v. Eichhorn p. 526.

ibid. ουχι πας ὁ λεγων — ουραν. cf. Matth. 7, 21. v. Eichhorn p. 524.

p. 75. καλεσεις — απο τ. ἁμαρτ. αυτ. cf. Matth. 1, 21.

b) Alterum genus, ut supra diximus, eorum locorum est, qui paullulum discedunt ab evangeliorum canonicorum sententiis. Hi autem ita comparati sunt ut vel synonyma vocabula vocabulorumque inflexiones inter se permutata vel singulae voces, quae salvo sensu abesse poterant, omissae aut certe, ubi id per rationes grammaticas fieri potuit, in alium ordinem redactae, paucula etiam subinde addita legantur. Exemplorum hunc habeto indicem:

Dial. c. Tryph. p. 268. ἐγω μεν ὑμας βαπτιζω εν ὑδατι εις μεταν. ἥξει δε ὁ ισχυροτερος μου, ὁυ ουκ ειμι — και πυρι (cfr. etiam p. 316.). ὁυ το πτυον αυτου εν τῃ χειρι αυτου και διακ. την ἁλωνα αυτου και τον σιτον συναξει εις την αποθ. το δε αχυρ. — ασβεστῳ.	Matth. 3, 11. εγω μεν βαπτ. ὑμας εν ὑδατι μεταν. ὁ δε επισω μου ερχεμενος ισχυροτερος μου εστιν, ὁυ etc. ὁυ το πτυον εν τῃ χ. αυτ. και διακ. τ. ἁλ. α. και συναξ. τον σιτ. αὑτου ε. τ. απ. etc.
παντι δε αγγαρευοντι σοι μιλιον ακολουθησον δυο.	Matth. 5, 41. και ὁστις σε αγγαρευσει μιλιον ἑν, ὑπαγε μετ' αυτου δυο.

λαμψατω δε ὑμων τα καλα εργα εμπροσθεν των ανθρωπ. ἱνα βλεποντες θαυμαζωσι τον πατερα ὑμων τον εν τοις ουρ.	Matth. 5, 16. οὑτω λαμψ. το φως ὑμων εμπ. τ. α. ὁπως ιδωσιν ὑμων τα καλα εργα και δοξασωσι τ. π. ὑ. τ. ε. τ. ουρ.
Apol. II. p. 61. ὃς αν εμβλεψῃ γυναικι προς το επιθυμησαι αυτης ηδη εμοιχευσε τῃ καρδιᾳ παρα τῳ θεῳ και ει ὁ οφθ. σου ὁ δεξ. σκανδαλιζει σε, εκκοψον αυτον· συμφερει γαρ σοι μονοφθαλμον εισελθειν εις την βασ. τ. ουρ. ἠ μετα των δυο πεμφθηναι εις το αιων. πυρ.	Matth. 5, 28. (λεγω ὑμιν) ὁτι πας ὁ βλεπων γυναικα προς τ. επιθ. αυτ. ηδη εμ. αυτην εν τῃ κ. αὑτ. Reliqua Justini ad c. 18. v. 9. propius quam ad huius cap. v. 29. accedunt; ita enim illo in loco: και ει ὁ οφθ. σου (ὁ δεξ. additur 5, 29.) σκανδ. σε, εξελε αυτον και βαλε απο σου· καλον (συμφερει Mt. 5, 29.) σοι εστι, μονοφθαλμ. εις τ. ζωην εισελθ. ἠ δυο οφθαλμους εχοντα βληθηναι εις την γεενναν του πυρος.
Apol. II. p. 62. ὃς γαμει απολελυμενην αφ᾽ ἑτερου ανδρος μοιχαται.	Matth. 5, 32. ὃς εαν απολ. γαμηση μοιχαται.
Apol. II. p. 62. παντι τῳ αιτουντι διδοτε και τον βουλομενον δανεισασθαι μη αποστραφητε.	Matth. 5, 42. τῳ αιτ. σε διδου και τον θελοντα απο σου δανεισασθαι μη αποστραφης.
ibid. ὑμεις δε μη θησαυριζητε ἑαυτοις επι της γης, ὁπου σης και βρωσις αφανιζει και λησται διορυσσουσι· θησαυριζητε δε ἑαυτοις εν τοις ουρ. ὁπου ουτε σης ουτε βρ. αφανιζει.	Matth. 6, 19. μη θησαυριζετε ὑμιν θησ. επ. τ. γ. ὁπ. σ. κ. βρ. αφ. και ὁπ. κλεπται διορ. και κλεπτουσι. θησαυριζετε δε ὑμιν θησ. εν ουρανῳ, ὁπ. ουτε σ. ουτε βρ. αφαν.

Apol. II. p. 62. ει αγαπατε τους αγαπωντας ὑμας τι καινον ποιειτε και γαρ οἱ πορνοι τουτο ποιουσιν.	Matth. 5, 46. εαν γαρ αγαπησητε τους αγαπ. ὑμ. τινα μισθον εχετε; ουχι και οἱ τελωναι το αυτο ποιουσι;
ibid. p. 63. μη ποιητε ταυτα προς το θεαθηναι ὑπο των ανθρ. ει δε μη γε, μισθον ουκ εχετε παρα του πατρος ὑμων εν τοις ουρ.	Matth. 6, 1. (προσεχετε την δικ. ὑμ.) μη ποιειν εμπρ. τ. ανθ. προς τ. θ. αυτοις· ει δ. μ. γ. μ. ο. εχ. παρα τῳ πατρι ὑμ. τῳ εν. τ. ουρ.
ibid. p. 62. et Dial. c. Tryph. p. 324. και τον ἡλιον αυτου ανατελλει επι ἁμαρτωλους και δικαιους και πονηρους.	Matth. 5, 45. ὁτι τον ἡλ. αὑτου ανατ. επι πονηρους και αγαθους.
Dial. c. Tryph. p. 253. προσεχετε απο των ψευδοπροφητων οἱτινες ελευσονται προς ὑμας εξωθεν ενδεδυμενοι δερματα προβατων, εσωθεν δε εισι λυκοι ἁρπαγες.	Matth. 7, 15. προσεχ. δε απ. τ. ψ. οἱτ. ερχονται προς ὑμας εν ενδυμασι προβατων, εσ. δε ε. λ. ἁρπ.
Apol. II. p. 62. ουκ ηλθον καλ. δικ. αλλα ἁμ. εις μετανοιαν.	Math. 9, 13. ου γαρ ηλθ. καλ. δικ. αλλ' ἁμ.
ibid. p. 95. ουδεις εγνω τον πατερα ει μη ὁ υἱος· ουδε τον υἱον ει μη ὁ πατηρ και οἱς αν αποκαλυψῃ ὁ υἱος. — Idem locus, in Dial. c. Tryph. p. 336. sic legitur: και ουδ. γινωσκει τον πατ. ει μη ὑ. ουδε τον ὑ. ει μη ὁ πατ. και οἱς αν ὁ ὑ. αποκαλυψῃ.	Matth. 11, 27. και ουδ. επιγινωσκει τον υἱον ει μη ὁ πατ. ουδε τον πατερα τις επιγιν. ει μη ὁ υἱος και ᾧ εαν βουληται ὁ υἱος αποκαλυψαι.
Dial. c. Tryph. p. 334. γενεα — ει μη το σημειον Ιωνα.	Matth. 16. γεν. — Ιωνᾶ του προφητου.

Apol. II. p. 62. τι γαρ ωφελειται ανθρωπος αν τον κοσμον ὁλον κερδηση, την δε ψυχην αυτου απολεση; η τι δωσει αυτης ανταλλαγμα;	Matth. 16, 26. τι γαρ ωφ. ανθρ. εαν τ. κ. ὁ. κ. την δ. ψ. αὑτ. ζημιωθη η τι δ. ανθρωπος αντ. της ψυχης αὑτου;
Dial. c. Tryph. p. 269. Ηλιας μεν ελευσεται και αποκαταστησει παντα. λεγω δε ὑμιν, ὁτι Η. ηδη ηλθε και ουκ επεγνωσαν αυτον αλλ᾽ εποιησαν αυτῳ ὁσα ηθελησαν. — συνηκαν οἱ μαθηται, ὁτι περι Ιωαννου του βαπτιστου ειπεν αυτοις.	Matth. 17, 11. 12. 13. Ηλ. μεν ερχεται πρωτον και αποκ. παντα. λεγ. δε ὑμ. ὁτ. Η. η. η. και ουκ επ. α. α. επ. ἐν αυτῳ ὁ. ηθ. — συν. ὁ. μ. etc.
Apol. II. p. 62. εισι τινες οἱτινες ευνουχισθησαν ὑπο των ανθρ. εισι δε οἱ εγεννηθησαν ευνουχοι· εισι δε οἱ ευνουχισαν ἑαυτους δια την βασιλ. των ουρ. πλην ου παντες τουτο χωρουσιν.	Matth. 19, 12. εισι γαρ ευνουχοι οἱτινες εκ κοιλιας μητρος εγγεννηθησαν οὑτω· και εισιν ευνουχοι οἱτινες ευνουχισθησαν ὑπο των ανθρ. και εισιν ευνουχοι οἱτ. ευνουχισαν ἑαυτους δια τ. βασ. τ. ο., ὁ δυναμενος χωρειν, χωρειτω.
Dial. c. Tryph. 235. γεγρ. ὁ οικος μου οικος προσευχης εστιν· ὑμεις δε πεποιηκατε αυτον σπηλαιον ληστων.	Matth. 21, 13. γεγρ. ὁ. ο. μ. ο. πρ. κληθησεται· ὑμ. δε α. εποιησατε σπ. λῃστ.
Dial. c. Tryph. p. 235. ταφοι κεκονιαμενοι, εξωθεν φαινομενοι ὡραιοι, εσωθεν δε γεμοντες οστεων νεκρων....	Matth. 23, 27. (παρομοιαζετε) ταφοις κεκον. οἱτινες εξ. μεν φαινονται ὡραιοι, εσ. δε γεμουσιν οστ. ν. και πασης ακαρθαρσιας.
Dial. c. Tryph. p. 213. κ. αναστησονται πολλοι ψευδοχριστοι και ψευδαποστολοι και πολλους των πιστων πλανησουσιν.	Matth. 24, 11. κ. π. ψευδοπροφηται εγερθησονται κ. πλαν. πολλους.

Dial. c. Tyrph. p. 301. ὑπαγετε εις το σκοτος το εξωτερον, ὁ ἡτοιμασεν ὁ πατηρ τῳ σατανᾳ και τοις αγγελ. αυτου.	Matth. 25, 41. πορευεσθε — εις το πυρ το αιωνιον το ἑτοιμασμενον τῳ διαβολῳ και τοις αγ. α.
Dial. c. Tryph. p. 326. πατερ, ει δυνατον εστι, παρελθετω το ποτηρ. τουτο απ᾽ εμου. (p. 231. παρ. ει δυν. τ. ποτ. τ.) — μη ὡς εγω βουλομαι αλλ᾽ ὡς συ θελεις.	Matth. 26, 39. πατ. μου, ει δυν. ε. παρ. απ᾽ εμ. τ. ποτ. τ. — πλην ουχ ὡς εγω θελω αλλ᾽ ὡς συ.

τῳ τυπτοντι σου την σιαγονα παρεχε και την αλλην·	Luc. 6, 29. τῳ τ. σε τ. σ. παρ. κ. τ. α.
γινεσθε δε χρηστοι και οικτιρμονες ὡς και ὁ πατηρ ὑμων χρηστος εστι και οικτιρμων.	Luc. 6, 36. γιν. ουν οικτ. καθως και ὁ. π. ὑ. οικτ. εστι.
Dial. c. Tryph. p. 302 et 327. δει τον υἱον του ανθρ. πολλα παθειν και αποδοκιμασθηναι ὑπο των γραμματεων και φαρισαιων και σταυρωθηναι και τῃ τριτῃ ἡμερᾳ αναστηναι.	Luc. 9, 22. δει τον ὑ. τ. α. π. π. κ. απ. απο των πρεσβυτερων και αρχιερεων και γραμ. κ. αποκτανθηναι, κ. τ. τ. ἡ. εγερθηναι.
ibid. p. 301. διδωμι ὑμιν εξουσιαν καταπατειν επανω οφεων και σκορπιων και σκολοπενδρων και επανω πασης δυναμεως του εχθρου.	Luc. 10, 19. διδωμι ὑμ. τ. εξ. του πατειν επ. ο. κ. σκ. επι πασαν την δυναμιν του εχθρου.
ibid. p. 235. ουαι ὑμιν γραμματεις ὁτι τας κλεις εχετε και αυτοι ουκ εισερχεσθε και τους εισερχομενους κωλυετε (ὁδηγοι τυφλοι).	Luc. 11, 32. ουαι τοις νομικοις ὁτι ηρατε την κλειδα της γνωσεως, αυτοι ουκ εισηλθετε κ. τους εισερχ. εκωλυσατε.

---

c) Restant denique ea Christi effata apud Justinum passim obvia, quorum similes in libris nostris h. e. einsmodi reperiuntur sententiae, quae, si rem spectas, egregie conspirant, si singula verba, mirum in modum discrepant. Sunt autem, qui huc pertinent loci e triplici potissimum genere; alibi enim omissis integris sententiis in brevius contracta leguntur, quae a Matthaeo aut Luca fusius narrata sunt, alibi plures Christi sententiae diversis Evangeliorum locis obviae in unum iunguntur, alibi denique neglectis verborum et ordine et universa conformatione quae simplicem sententiam efficiunt exhibentur. Exempla promiscue haec sunto:

Apol. II. p. 63. ὃς δ' αν οργισθη ενοχος εστιν εις το πυρ.	Matth. 5, 22. πας ὁ οργιζομενος τῳ αδελφῳ αὐτου εικη, ενοχος εσται τῃ κρισει — — — ὃς δ'αν ειπη μωρε ενοχος εσται εις την γεενναν του πυρος.
ibid. p. 63. μη ὀμοσητε ὁλως, εστω δε ὑμων το ναι, ναι, και το ου, ου· το δε περισσον τουτων εκ του πονηρου.	Matth. 5, 34. 37. (εγω δε λεγω ὑμιν) μη ὀμοσαι ὁλως, μητε εν τῳ ουρ. ὁτι θρονος εστι του θεου μητε etc. εστω δε ὁ λογος ὑμων ναι ναι, ου, ου· το δε περισσον τουτων εκ του πον. εστιν.
μη μεριμνατε τι φαγητε η τι ενδυσησθε· ουχ ὑμεις των πετεινων και των θηριων διαφερετε; και ὁ θεος τρεφει αυτα. μη ουν μεριμνησητε τι φαγητε η τι ενδυσησθε· οιδε γαρ ὁ πατ. ὑμων ὁ ουρανιος, ὁτε τουτων χρειαν εχετε, ζητειτε δε την βασ. τ. ουρ.	Matth. 6, 25. μη μερ. τῃ ψυχῃ ὑμων τι φαγ. και τι πιητε μηδε τῳ σωματι ὑμων, τι ενδυσ. ουχι ἡ ψυχη πλειον εστι της τροφης και το σωμα του ενδυματος; εμβλεψατε εις τα πετεινα του ουρ. ὁτι ου σπειρουσιν ουδε θεριζουσιν ουδε συναγουσιν εις αποθηκας και

και ταυτα παντα προστεθησεται ὑμιν. ὁπου γαρ ὁ θησαυρος εστιν, εκει και ὁ νους του ανθρωπου.

ὁ πατ. ὑμων ὁ ουρ. τρεφει αυτα, ουχ ὑμεις μαλλον διαφερετε αυτων; μη ουν μερ. λεγοντες· τι φαγωμεν η τι πιωμεν η τι περιβαλωμεθα, παντα γαρ ταυτα τα εθνη εκζητει. οιδε γαρ ὁ πατ. ὑμ. ὁ ουρ. ὁτι χρηζετε τουτων ἁπαντ. ζητ. δε πρωτον τ. β. τ. θεου και την δικαιοσυνην αυτου και ταυτα παντα προστεθησεται ὑμιν. v. 21. ὁπ. γαρ εστιν ὁ θησ. ὑμ. εκει εσται και ἡ καρδια ἡμων.

Apol. II. p. 64. πολλοι ερουσι μοι, κυριε κυριε ου τῳ σῳ ονοματι εφαγομεν και επιομεν και δυναμεις εποιησαμεν; και ερω αυτοις αποχωρειτε απ᾽ εμου εργαται της ανομιας (Dial. c. Tryph. p. 301. π. ερ. μ. τῃ ἡμερᾳ εκεινῃ, κ. ο. τ. σ. ον. εφ. κ. επ. και προεφητευσαμεν και δαιμονια εξεβαλομεν; κ. ερ. αυτ. αναχωρ. απ᾽ εμου.) τοτε κλαυθμος εσται και βρυγμος των οδοντων ὁταν οἱ μεν δικαιοι λαμψωσιν ὡς ὁ ἡλιος· οἱ δε αδικοι πεμπωνται εις το αιωνιον πυρ. πολλοι γαρ ἡξουσιν επι τῳ ονοματι μου, εξωθεν μεν ενδεδυμενοι δερματα προβατων,

Matth. 7, 22. π. ερ. μ. εν εκεινῃ τῃ ἡμερᾳ· κ. κ. ου τῳ σῳ ον. προεφητευσαμεν κ. τ. σ. ον. δαιμ. εξεβαλομεν κ. τ. σ. ον. δυναμεις πολλας εποιησαμεν· κ. τοτε ὁμολογησω αυτοις, ὁτι ουδεποτε εγνων ὑμας· αποχ. α. ε. οἱ εργαζομενοι την ανομιαν cf. Luc. 13, 26. εφαγομεν ενωπιον σου και επιομεν — — — ουκ οιδα ὑμας ποθεν εστε· αποστητε απ᾽ εμου παντες οἱ εργαται της αδικιας.

13, 42. εκει εσται ὁ κλ. και ὁ βρ. τ. οδ. cf. Luc. 13, 28. 43. τοτε οἱ δικ. εκλαμψουσιν ὡς ὁ ἡλ. εν τῃ βασ. του πατρος αυτων.

εσωθεν δε οντες λυκοι ἁρπαγες. — εκ των εργων αυτων επιγνωσεσθε αυτους. παν δε δενδρ. μη ποιουν καρπον καλον εκκοπτεται και εις πυρ βαλλεται.	7, 15. προσεχετε απο των ψευδοπροφητων --- οἱτινες ερχονται προς ὑμας εν ενδυμασι προβατων, εσωθεν δ. ε. λ. α. 16. απο των καρπων αυτων επιγνωσεσθε αυτους μητι συλλεγουσιν etc. 17. παν δ. αγαθον etc. 19. παν δ. μη ποιουν κ. καλ. εκκ. ε. π. β.	
Apol. II. p. 66. μη φοβεισθε τους αναιρουντας ὑμας και μετα ταυτα μη δυναμενους τι ποιησαι, φοβηθητε δε τον μετα το αποθανειν δυναμενον και ψυχην και σωμα εις γεενναν εμβαλειν.	Matth. 10, 28. μη φοβ. απο των αποκτενοντων το σωμα, την δε ψυχην μη δυναμενων αποκτειναι. -- φοβ. δε μαλλον τον δυναμενον και ψυχην και σωμα απολεσαι εν γεεννῃ.	Luc. 12, 4. μη φοβηθητε απο τ. αποκτ. τ. σ. κ. μετα τ. μη εχοντων περισσοτερον τι ποιησαι. --- φοβ. τον μετα το αποκτειναι εξουσιαν εχοντα εμβαλειν εις την γεενναν.
Dial. c. Tryph. p. 354. εξηλθεν ὁ σπειρων του σπειραι τον σπορον· και ὁ μεν επεσεν εις την ὁδον, ὁδε εις τας ακανθας, ὁδε επι τα πετρωδη, ὁδε επι την γην την καλην.	Luc. 8, 5. εξ ὁ σπ. τ. σπ. τ. σπ. αὐτ. και εν τῳ σπειρειν αυτον, ὁ μεν επεσε παρα την οδον -- -- και ἑτερ. επ. επι την πετραν κ. ἑτ. εν μεσῳ των ακανθ. — κ. ἑτ. εις την γην την αγαθ.	Mt. 13, 3 sq. εξ. ὁ σπ. του σπειρ. και εν τῳ σπ. αυτ. ἁ μεν επεσε παρ. τ. ὁδ. --- αλλα δε επ. επι τ. πετρωδη --- αλλα δε επ. επι τ. ακ. --- αλλα δε επ. επι τ. γ. τ. καλ.
Apol. II. p. 63. προσελθοντος αυτῳ τινος και ειποντος, διδασκαλε αγαθε, απεκρινατο λεγων· ουδεις αγαθος ει μη μονος ὁ θεος ὁ ποιησας τα	Matth. 19, 17. εἱς προσελθων ειπεν αυτῳ διδ. αγ. --- ὁ δε ειπεν αυτῳ· τι με λεγεις αγαθον; ουδεις αγαθος ει μη εἱς ὁ θεος.	

παντα (Dial. c. Tryph. p. 328. λεγοντος αυτῳ τινος διδ. αγ. απ. τι με λεγεις αγαθον; εἱς εστιν αγαθος, ὁ πατηρ μου ὁ εν τοις ουρ.).	
Apol. II. p. 66. τα αδυνατα παρα ανθρωποις, δυνατα παρα θεῳ.	Matth. 19, 26. παρα ανθρωποις τουτο αδυνατον εστιν, παρα δε θεῳ παντα δυνατα.
Dial. c. Tryph. p. 328. ουτε γαμησουσιν ουτε γαμηθησονται αλλα ισαγγελοι εσονται, τεκνα τοὺ θεου της αναστασεως οντες.	Matth. 22, 30. εν γαρ τῃ αναστασει ουτε γαμουσιν ουτε εκγαμιζονται, αλλ' ὡς αγγελοι του θεου εν ουρανῳ εισι.
ibid. p. 321. αγαπησεις κυριον τον θεον σου εξ ὁλης της καρδιάς σου και εξ ὁλης της ισχυος σου και τον πλησιον σου ὡς σεαυτον. (Apol. II. p. 63. μεγιστη εντολη εστι· κυριον τ. θ. σ. προσκυνησεις και αυτῳ μονῳ λατρευσεις [cf. Matth. 4, 10.] εξ ὁλ. τ. κ. σ. κ. εξ. ὁλ. τ. ισχ. σ. κυριον τ. θ. τον ποιησαντα σ.)	Luc. 10, 27. αγ. κ. τ. θ. σ. ε. ὁλ. της κ. σ. και εξ ὁλ. τ. ψυχης σου. κ. εξ ὁλ. τ. διανοιας σ. και τον πλ. σ. ὡς σ.
Dial. c. Tryph. p. 350. νυν δε διπλοτερον υἱοι γεεννης, ὡς αυτος ειπε, γενεσθε.	Matth. 23, 15. ὁταν γενηται, ποιειτε αυτον υἱον γεεννης διπλοτερον ὑμων.
Dial. c. Tryph. p. 235. ουαι ὑμιν γραμματεις και Φαρισαιοι, ὑποκριται, ὁτι αποδεκατουτε το ἡδυοσμον και το πηγανον, την δε αγαπην του θεου και την κρισιν ου κατανοειτε.	Matth. 23, 23. ουαι ὑμιν, γρ. κ. Φαρ. ὑπ. ὁτε αποδ. το ἡδ. κ. το ανηθον κ. το κυμινον και αφηκατε τα βαρυτερα του νομου, την κρισιν και τον ελεον κ. τ. πιστιν.
ibid. p. 308. (ειπε ὁτι) ψευδοπροφηται κ. ψευδοχριστοι πολ-	Matth. 24, 24. εγερθησονται ψευδοχρ. κ. ψευδοπρ. κ. δω-

λοι επι τῳ ον. αυτου παρελευσονται και πολλους πλανησουσιν (p. 225. αναστησονται π. ψευδοχρ. κ. ψευδοαποστολοι κ. πολλ. των πιστων πλαν.)	σουσι σημεια μεγαλα κ. τερατα ὥστε πλανησαι ει δυνατον, και τους εκλεκτους.	

Dial. c. Tryph. p. 334. ταφοι κεκον. — νεκρων, το ἡδ. αποδεκ. και διυλιζοντες τον κανωπα, την δε καμηλον καταπινοντες τυφλοι ὁδηγοι.	Matth. 23, 27. (παρομοιαζετε) ταφοις κεκον. οἵτινες etc. v. 23. αποδεκ. το ἡδ. v. 24. ὁδηγοι τυφλοι! οἱ διυλιζοντες τ. κ. τ. δ. κ. κατ.	
Apol. II. p. 62. ει δανειζετε παρ' ὧν ελπιζετε λαβειν, τι καινον ποιειτε; τουτο και οἱ τελωναι ποιουσι.	Luc. 6, 34. και εαν δανειζητε παρ' ὧν ελπιζετε απολαβειν, ποια ὑμιν χαρις εστι; και γαρ οἱ ἁμαρτωλοι etc.	
ibid. p. 64. ὃς γαρ ακουει μου και ποιει ἃ λεγω, ακουει του αποστειλαντος με. cf. etiam p. 95.	Luc. 10, 16. ὁ ακουων ὑμων, εμου ακουει· και ὁ αθετων ὑμας, εμε αθετει, ὁ δε εμε αθετων αθετει τον αποστειλαντα με.	
ibid. p. 64. ᾧ πλεον εδωκεν ὁ θεος, πλεον και απαιτηθησεται παρ' αυτου.	Luc. 12, 48. παντι, ᾧ εδοθη πολυ, πολυ ζητηθησεται παρ' αυτου και ᾧ παρεθεντο πολυ, περισσοτερον αιτησουσιν αυτον.	
Apol. II. p. 62. εγω δε ὑμιν λεγω, ευχεσθε ὑπερ των εχθρων ὑμων και αγαπατε τους μισουντας ὑμας και ευλογειτε τους καταρωμενους ὑμιν και ευχεσθε ὑπερ των επηρεαζοντων ὑμας.	Luc. 6, 27. ὑμιν λεγω: αγαπατε τους εχθρ. ὑμ. καλως ποιειτε τοις μισουσιν ὑμας, ευλογ. τους καταρ. ὑμιν, προσευχ. ὑπερ τ. επηρ. ὑμας.	Matth. 5, 44. εγω δε λεγ. ὑμ. αγ. τ. εχθρ. ὑμ. ευλ. τους καταρ. ὑμ. καλως ποιειτε τοις μισ. ὑμ. και προσευχ. ὑπερ τ. επηρ. ὑμας και διωκοντων ὑμας.

Apol. II. p. 94. αν μη αναγεννηθητε, ου μη εισελθητε εις την βασιλ. των ουρ.	Joa. 3, 3. εαν μη τις γεννηθη ανωθεν ου δυναται ιδειν την βασιλ. του θεου.
Dial. c. Tryph. p. 316. εβοα (Ιωαννες) ουκ ειμι ὁ χριστος αλλα φωνη βοωντος· ἥξει γαρ ὁ ισχυροτερος μου, οὗ ουκ ειμι ἱκανος τα ὑποδηματα βαστασαι.	Joa. 1, 23. εγω φωνη βοωντος εν τῃ ερημ. Matth. 3, 11. ὁ δε οπισω μου ερχομενος ισχυροτερος μου εστιν, οὗ ουκ ειμι ἱκ. τ. ὑποδ. βαστ.

2. Atque sic omnes, quotquot in Justino leguntur, Christi sententias, comparatione cum evangeliorum nostrorum locis παραλληλοις instituta ad genera sua revocasse nobis videmur. Sequitur, ut, unde Justinus sua hauserit, circumspiciamus. Haec autem disputatio et ipsa bipartita erit; primum enim, quid ipse Justinus de fonte suo passim dixerit, demonstrandum, deinde, quid e locorum indole, quam nunc satis perspectam exploratamque habemus, probabiliter colligi possit, anquirendum est.

Et Justinus quidem ipse, ubi orationem suam Christi sententiis distinguit atque illustrat universis plerumque utitur formulis his: Χριστος (s. ὁ εμος κυριος) ειπεν, ut p. 61. 62. 64. 96. 253. 334. 350. cf. etiam p. 63. 64. — εφη p. 62. 63. 339. — ειρηκει p. 269. εβοα p. 235. 302. εδιδαξεν p. 52. 301. — παρεκελευσατο p. 63. — Χριστον εγνωμεν ειποντα p. 56 [11]. — interdum tamen in proferendis potissimum iis, quae ad vitam Christi pertinent, απομνημονευματα των αποστολων commemorat atque inde illa sese didicisse profitetur. Ita

---

11) Simili ratione utuntur etiam Patres Apostolici ut Barnabas Ep. 7. c. Polycarp. c. 2. Clem. Rom. ep. 1. c. 12. 46. ep. 2. c. 3. 4. 5. 6. 8. 9. Ad librum scriptum diserte provocant Clem. Rom. ep. 2. c. 2. (και ἑτερα γραφη λεγει) et Barnab. ep. c. 4. cf. Giesseler l. c. p. 155.

p. 333. *εκ των απομν. τ. α. τουτο εμαθον*; ibid. *εν τοις απομν. τ. απ. δηλουται γενομενον*; p. 328. 331. 332. 333. 334. *εν τοις απομν. τ. απ. αυτου γεγραπται*; p. 329. *εν τοις απ. τ. απ. αυτου δεδηλωται*; p. 333. *τουτο ειρηκεναι εν τοις απ. γεγραπται*; Apol. II. p. 98. *οἱ αποστολοι εν τοις γενομενοις απ' αυτου απομνημονευμασι.* Adde p. 327. Eodem spectat Dial. c. Tryph. p. 315. *εγραψαν οἱ αποστ. αυτου του Χριστου ἡμων* et Apol. II. p. 75. *ὡς οἱ απομνημονευσαντες παντα τα περι του σωτηρος ἡμων* I. *Χρ. εδιδαξαν.* — Ex hac tamen sola libri appellatione, qualis iste fuerit, non satis patet. In universum enim concedere debemus, ut evangelia nostra canonica, quae ab Apostolis et viris Apostolicis scripta esse constat, ita alium quoque commentarium ex eorum genere, quos multos tulit prima rerum christianarum aetas, Hebraeorum maxime evangelium (*ευαγγελιον καθ' Ἑβραιους*), quod XII. etiam Apostolorum vocarunt [12]), hoc nomine potuisse significari. At ne multum dubitemus, utrum ad veritatem propius accedat, alii ipsius Iustini loci efficiunt, quippe qui ita comparati sint, ut *απομν.* ista *των απ.* non solum plures numero sed ipsos adeo canonicos, quibus nunc utimur, commentarios fuisse, satis appareat. Et primum quidem Apol. II. p. 98. [13]), ubi ad *απομν. τ. απ.* provocat noster, statim subiicit: *ἁ καλειται ευαγγελια*, quae (vulgo, minus graece) evangelia vocantur; deinde Dial. c. Tryph. p. 331. hos commentarios dicit *συντεταχθαι ὑπο των αποστ. αυτου* (*Ιησου Χριστ.*) *και των εκεινοις παρακαλουθησαντων*, id quod egregie cadit in

12) Hieron. adv. Pelag. III. 1. Evangelium iuxta Hebraeos — secundum Apostolos — sive ut plerique autumant, iuxta Matthaeum v. Kleuker üb. d. Apocryph. d. N. T. p. 80 sq. Schulz Diss. I. p. 21.

13) Eadem leguntur in libro de Monarchia p. 98.

evang. nostra, utpote quorum duo ab Apostolis, duo ab Apostolorum comitibus et sociis (Marcum et Lucam dico) scripta esse constet. Accedit, quod, quae Apol. II. p. 98. leguntur: και τῃ του ἡλιου λεγομενῃ ἡμερᾳ παντων κατα πολεις η αγρους μενοντων επι το αυτο συνελευσις, γινεται και τα απομν. τ. απ. η τα συγγραμματα των προφητων αναγινωσκεται μεχρις εγχωρει non commode nisi de evangeliis canonicis intelligi possunt, ut bene demonstravit Schuizius [14]). Denique nec hoc praetermittendum est, Iustinum, quae Dial. c. Tryph. p. 327. e τοις των απ. απομν. attulisset, eadem alibi p. 333. ad απομν. Πετρου referre. Videntur itaque haec απομν. του Πετρ. pars fuisse istorum απομν. τ. αποστ. Id autem si quid aliud, mirifice quadrat in evangelia nostra. Scilicet Marci commentarios vetus ecclesia passim etiam Petri dixit [15]); iam quae p. 327. leguntur, in solo Marci evangelio c. 3, 17. obvia sunt; patet igitur, cur Iustinus, quae alibi universe magis ex evangeliis (απομν. τ. απ.) sumta dixisset, ea hoc in loco ad sola Πετρου απομν. retulerit [16]).

Fuerunt tamen et superiore et hac nostra memoria, qui vel reiectis vel praetermissis his argumentis secus statuerent. Atque illi sic fere disputant: primum numero plural. ευαγγελια non voluisse Iustinum plures libros inter se diversos significare sed ευαγγελια esse pro eo, quod alibi (Dial. c. Tryph. p. 227.) dicatur, το λεγομενον ευαγγελιον [17]). At quidni possit vicissim dici,

---

14) Diss. II. p. 16 sq.

15) cf. Tertull. adv. Marcion. IV. 5. Euseb. H. E. VI. 25.

16) v. Hug. l. c. II. p. 47 sq.

17) v. Hug l. c. I. p. 221 sq. et Schuizium Diss. II. p. 5. qui ex (Pseudoorigenis) Dial. c Marcion. p. 9. ed. Wetsten. hunc locum laudant: ευαγγελισται οἱ μεν τεσσαρες, ευαγγελιον δε ἑν etc. Adde Iren. adv. Haer. III. 2. Ignat. ad Phi-

hoc singul. το ευαγγελιον esse pro plur. positum? Vetus enim ecclesia το ευαγγελιον (sc. του χριστου) proprie dixit totum rerum a Christo gestarum complexum (unde singuli commentarii, qui in his rebus exponendis versantur, inscripti sunt ευαγγελιον κατα Ματθαιον, Μαρκον, Ιωαννην, καθ' Ἑβραιους non: Ματθαιου, Μαρκου etc.) [18]) cf. Theophil. ad Autol. III. p. 126. ita ut ex mente illorum hominum non plura sed unum tantummodo fuerit ευαγγελιον. Recte igitur Trypho: εν τῳ λεγ. ευαγγελιῳ ut nos: in der evangelischen Geschichte. Paullatim tamen invaluit, in vulgari certe sermone unumquemque istorum librorum, qui caussam Iesu tamquam Messiae illustrarent, ευαγγελιον (non το ευαγγ.) appellari, unde illud est: ἁ καλειται (i. e. vulgo) ευαγγελια. Nec fore arbitror, qui pluralem ευαγγελια priori isti vocabulo απομνημονευματα accommodatum esse dicat; licuit enim Iustino recte etiam et rationibus grammaticis convenienter scribere: ὁ καλειται το ευαγγελιον, si de singulari voluisset intelligi. — Deinde mirum esse dicunt, Iustinum si evangeliis canonicis usus fuerit, ubique fere απομν. τ. αποστ. laudare, cum libris nostris hunc aliquando indicem fuisse doceri nequeat. Sed recte iam monuit Schuizius [19]), Iustinum, qui in his libris, de quibus quaeritur, cum Iudaeis et Ethnicis ageret, melius abstinuisse ab ista των ευαγγελιων s. του ευαγγελιου appellatione, quod his hominibus usus loquendi Christianis solemnis non satis cognitus fuerit. Accedit, Iustinum in iis rerum christianarum

---

Iad. §. 6. Origen. Comment. in Joan. Tom. II p. 91. ed. Huet. και το αληθως διατεσσαρων ὁ εστι ευαγγελιον. — De variis voc. ευαγγελιου significationibus uberius exponit Suicer. in Thes. eccles. Tom. I. p. 1222.

18) v. Bertholdt Einl. T. IV. p. 1095.

19) Diss. II. p. 6 sq.

scriptoribus esse, qui orationi bene graecae maximopere studeant, id quod neminem, opinor, fugere potest, qui vel paucas tantummodo plagulas in eius commentariis legendo percucurrerit. Ἀπομνημονευματα vero eiusmodi libros, qualia evangelia nostra sunt, a Graecis dici, satis constat. — Denique magnam etiam inde dubitationem nasci contendunt, quod nusquam evangelistarum nomina addita reperiantur, quemadmodum a Iustino factum esse appareat in laudandis et Vet. Testam. locis et ipsa Joannis Apostoli apocalypsi [20]). At licet hoc veritatis aliquam speciem prae se ferat; habemus tamen quod respondeamus. Primum enim noster aliorum etiam scriptorum, unde sententias hausit, nomina passim tacet. Ita in Apol. I. p. 33. quae Platonis sunt (de rep. lib. V.) αν μη οἱ αρχ. φιλ.--- ευδαιμονησαι non ad hunc auctorem retulit sed dicit generatim: εφη που και τις των παλαιων. Et in Cohort. ad Gentt. p. 19. in Apol. II. p. 90. duo Iesaiae (44, 6.) et Ieremiae (Thren. 4, 20.) effata laudat, nec unde sumta sint, profitetur [21]). Adde Apol. II. p. 86. coll. Psalm. 24, 7 sq. Dial. c. Tryph. p. 237. coll. Ezech. 20, 20. p. 257. coll. 1. Reg. 19, 14. p. 271. coll. Gen. 49. p. 295. coll. Ps. 19, 5. et Ies. 35, 2 sqq., p. 315. coll. Ioel. 3, 28., p. 351. Ps. 2, 8. Deinde vero idoneae fingi possunt caussae, quibus ductus Noster nomina scriptorum evangelicorum praetermiserit; in his principatum facile tenet illa, quae a singulari evangeliorum indole proficiscitur. Etenim quae narrantur ab Evangelistis, tum pleraque (si rei summam spectas) omnibus communia esse reperiuntur ita, ut cuncti pro uno rerum christianarum scriptore possint haberi, tum vero non ab his ipsis tanquam auctoribus profecta sunt;

20) v. Eichhorn Einl. I. p. 79. not. i.

21) v. Schulz. Diss. II. p. 4 sq.

eorum autem qui res tantummodo perscripserant nomina, quid opus fuit singulis locis adiicere, cum de historiae evangelicae veritate omnibus ista aetate persuasum fuerit, ut apostolorum tanquam testium locupletissimorum nominibus non debuerit ei fides demum conciliari? Secus se habuit in V. T. oraculis. Haec enim et diversa inter se fuerunt diversisque libris comprehensa, et, licet a summo numine profecta crederentur, eorum tamen hominum, quorum nomina prae se ferrent, propria, ut sponte Iustinus in istum vaticinia nominatim singula laudandi morem delabi debuerit. Ac simili ratione si epistolarum apostolicarum mentionem voluisset iniicere, haud dubito, eum, quae inde desumta essent, ad singulorum auctorum nomina relaturum fuisse, quemadmodum apocalypsin nonnisi adiecto Ioannis nomine commemorat.

His ita disputatis restat, ut locorum, de quibus quaeritur, indole accuratius considerata, an ex evangeliis canonicis sumtae esse possint, quas Justinus attulit sive narrationes sive sententiae circumspiciamus. Iam cum haud pauca ad libros nostros tam prope accedant (v. supra p. 225 sq.), ut singula sibi verba respondeant, facile possimus adduci, ut omnem hanc quaestionem satis expeditam esse rati, Iustinum non alio fonte, nisi evangeliis canonicis usum fuisse statuamus. Verum enim vero, ne temere aliquid sumsisse videamur, id largiri debemus adversariis, potuisse has tam breves Christi sententias vel ore propagatas esse ad Justini usque tempora [22]) vel haustas ex alio quodam evangelio, quae multa antiquitus in usu fuisse et cum libris canonicis, quod vel singula verba spectaret,

22) Antiquissimam ecclesiam christianam sola in rebus Jesu traditione usam fuisse nuper admodum contendit Gieseler v. libr. eius laud. p. 149 sqq.

miram necessitudinem habuisse constat [23]). Id tamen vicissim dabunt adversarii, si caetera pleraque, in quibus discrepantiam aliquam deprehendimus, ex evangeliis nostris sumta esse, probabiliter demonstratum fuerit, ex illis etiam locis, de quibus modo dictum est, peti commode posse, quod ad caussam nostram tuendam faciat. Illud autem superius demonstraturis nobis hanc ineundam esse rationem intelligimus, ut primum discrepantiae, quam diximus, caussam positam magna ex parte fuisse in varia et fluctuante quasi codicum graecorum lectione ostendamus, deinde vero, quae reliqua sunt in oratione dissidia, bene explicari posse e Patrum ecclesiasticorum et ipsius adeo Iustini, litteras s. excerpendi ratione [24]) declaremus. Haec igitur deinceps exponenda sunt.

Seculo iam secundo orationis N. T. graecae variam aliquam exisitisse singulorum hominum studiis indolem ac conformationem (κοινὴν ἔκδοσιν appellant) superiore inprimis aetate ita docuerunt Griesbachius, Hugius all. [25]) ut dubitationi locus relictus fuerit nullus. Facilis inde coniectura est, nonnulla, quae in Iustino diversa a nostris libris leguntur, non ab ipsius arbitrio sed a codicum, quibus usus fuisset, discrepantia fluxisse. Ita certe iure statuendum esse intelliges, ubi, quam in Iustino deprehendas, lectionis diversitatem, eandem ex aliis antiquioris aevi monumentis notatam esse videris, cum a probabilitate prorsus abhorreat, duos in eandem textus mutandi rationem sponte ana delapsos esse. Eiusmodi autem exempla plura suppetunt, ut ex hac patet tabula, in qua signa codicum,

---

23) Id cadit potissimum in nobile istud Evangelium secundum Hebraeos v. Eichhorn. Einleit. p. 20 sqq.

24) cf. Thirlby Anglum ad Apol. I. p. 92. no. 6. p. 206. no. 23. p. 203. no. 16. p. 327. no. 18.

25) cf. Hug l. c. I. p. 110 sq.

versionum et Patrum a Griesbachio adhibita brevitatis caussa retinuimus [26]).

Matth. 5, 37. verbis ου, ου praefixum legitur και in L. 225. Mt. d. Syr. Ar. Armen. veron. verc. clar. Tertull. semel it. Clem. Chrysost.

— — 42. απο σου ante δαν. omittunt D. [27]) cant. Clem. Cypr.

— — 44. extr. και διωχ. ὑμ. omittunt Goth. Theoph. Ant. Origin. bis.

— 6, 25. τι πιητε omittunt 1, 22. Aeth. Arm. Pers. μ. ar. rom. Sax. Vulg. verc. veron. corb. for. Clem. (ut videtur) Basil. Epiphan. Chrysost. Euthal. Hilar. Opus imp. Aug. Hier.

— — 33. πρωτον deest in Aeth. Ar. Pers. veron. Chrys. in Mt. 5. Codd. Opus imp. etiam Mt. 6. Codd. et verba και την δικ. αυτ. omittuntur in 119. Mt. Clem. semel Chrys. in Mt. 6. Codd.

---

26) Exemplum eiusmodi collationis praeivit ill. Eichhornius (l. c. p. 515 sq.) adde Hug. I. p. 111 sq. Ille tamen non satis accurate hac in re versatus est. Primum enim omisit, quae notanda erant ad Mt. 3, 17. (vel potius ad Luc. 3, 22. ibi enim Griesbach. lectionis diversitatem enarrat) ad Luc. 10, 16; 12, 48; 13, 17., deinde cum non vidisset Justinum interdum quae duobus in locis scripta essent in unum iunxisse, ad Matthaeum retulit, quae Lucae sunt et vicissim. Ita illud εξηλθεν ὁ σπειρ. του σπειρ. τον σπορ. e Luca sumtum est: non igitur opus fuit apponi, quae e Griesbach. ad Mt. 13, 3. notata sunt.

27) Hic est Cod. Cantabrig. qui ad sec. usque 7. assurgit et vetustam illam textus graeci κοινην εκδοσιν sistit (cf. Hug. l. c. 114 sqq.) v. Cod. Theod. Bzae Cantabrig... codicis historiam praefixit notasque adiecit Th. Kipling, Cantabr. 793. fol. adde Bertholdt l. c. p. 504.

Matth. 6, 33. pro του θεου exhibent των ουρ. Clem. bis Chrysost.

— 10, 28. εις γεενναν (pro εν γεεννη) exhibent D. It. Vulg. Patr. lat.

— 11, 27. ad Justini αποκαλυψη ὁ υἱος proxime accedit, quod est in Clem. sexies, in Orig. quater, in Iren. semel et in Tertull. ὁ υἱος αποκαλυψη.

— 13, 7. εις τ. ακ. pro επι τ. ακ. est in D. 13, 124. Orig.

— 16, 4. του προφ. omittunt BDL. Vulg. ms. cant. corb. 1. germ. 1. for. harl. emmer. tol.

— 21, 73. πεποιηκατε habent etiam 1. Orig. bis.

— 22, 37. ut in Iustino εξ ὁλ. της ισχυος σου ita in 13. 68. 69. 124. Ev. 26. Syr. Aeth. εν ὁλῃ τῃ ισχυϊ σου legitur.

— 25, 41. το εξωτερον est etiam in 40. — pro το ἡτοιμασμενον legitur ὁ ἡτοιμασεν ὁ πατηρ in D. (St. β.) l. alius It. (exc. brix. germ. 2. foroi.) Clem. Rom. (ap. Iren.) Clem. Alex. Hipp. Orig. interp. aliquoties (sed Orig. gr. bis ut rec.) Tert. (semel ut rec.) Cypr. Iren. Hilar. (semel ut rec.) Auctor de promiss. Gaudent. Rufin. Paulin. Leo Salvian. Aug. semel. Avit. vienn. Iuv.

— 26, 26. τον ante αρτ. deest in BCDL. 1. 17. 24. 102. 118. al. 3. Mt. a. f. i. n. γ. 2. Theophyl. pro ευλογησας exstat ευχαριστησας in A. EFHK. Ms. 1, 11. 13. 17. 61. 69. 72. 106. 108. 115. 118. 124. 127. 131. 142. 209. (cum omnib. Vindob. exc. 125** 235. Ev. 2. 6. 19. 35. 36. al. 66. et Barber. 3. Mt. BHV. c. e. f. i. l. m. n. q. r. x. 10, 17. Ed. Syr. p. Ar. rom. Erp. Basil. Chrys. etiam in Mt. 6. Codd. Tit. bostr. Petr. aut Ethym. Theoph. Scholia vet. ap. Mt.

Luc. 3, 21. verba εγω σημερον γεγεννηκα σε leguntur in Clem. et D. al. 6, 34. pro απολαβειν legitur λαβειν in BL. Mt. d.

— 9, 22. pro εγερθηναι extat αναστηναι in ADF*K. 1, 27, 37. 62. 61. 63. 69. * 72. 116. 118. 131, 137. al. 7. Mt. c. 10. Orig.

— 10, 16. verba ὁ δε εμου ακουων ακουει του αποστειλαντος με leguntur etiam in Hippolyto de charism. 26. et Cod. D. adde Iren. Praef. ad lib. III. adv. Haeres.

Matth. 10, 19. του ante πατειν (κατατ.) omittunt. 1. Orig. quinquies Cyr.

— 11, 52. Iustini εχετε (κλεις) pro ηρατε exprimunt Ambrosiast. Aug. semel, alii. — ibid. και ante αυτου habent etiam D. 69. 24. 157. alius. cant. veron. verc. vindob. colb. Ambr.

— 12, 48. pro περισσοτερον exstat πλεον in D. Clem.

— 13, 27. εργ. της ανομιας est etiam in Clem. rom. et D.

— 23, 46. (cf. Dial. c. Tryph. p. 333.) παρατιθεμαι pro παραθησομαι est in ABCKMPQ. (St. β. γ. ε.) 33, 42. 127. 131. Ev. 18, 19. al. 7. Mt. c. semel. x. 2* Orig. Theodot. Eus. Cyr. hieros.

Apparet igitur, illarum Iustini discrepantiarum haud paucas e codicibus profectas esse, quibus ipse uteretur. Sed vel sic multa reliqua sunt, quae ab evangeliorum nostrorum oratione graeca, qualis nunc est, mire deflectant; ea quomodo exstiterint, commode videtur explicari posse ex peculiari ista Patrum ecclesiasticorum et ipsius adeo Iustini libros sacros (passim etiam profanos) laudandi atque in rem suam convertendi ratione. Solent enim illi non ipsis libris inspectis sed memoriter interponere locos scripturae sacrae, cuius rei exemplum

ipsi Apostoli praeiverant [28]). Ita factum est, quod vix aliter fieri potuit, ut aut singula vocabula paullulum immutata aut, neglectis adeo vocabulis, simplicem sententiam proferrent, aut locos in brevius contraherent pluresque, qui longe disiuncti diversorumque adeo scriptorum essent, in unum conflarent. Haec autem non temere a nobis dici, sciunt omnes, qui cum Patrum ecclesiasticorum libris aliquam familiaritatem contraxerunt, quapropter non opus esse videtur, ut magnam exemplorum copiam e variis variorum temporum scriptoribus colligamus [29]), in Iustino potius nostro subsistamus atque eum ab eadem consuetudine non alienum fuisse, demonstremus.

Ex iis autem V. T. oraculis, quorum in Iustino paullo alia est conformatio, quam in ipsa versione Alexandrina, placet haec tantummodo in exemplis ponere, quibus maior aliquanto inesse deprehenditur discrepantia, ne forte, quae codicum fuerunt leves diversitates, a scriptoris nostri arbitrio repetamus; satis enim constat, quantopere ista iam aetate in miram lectionis varietatem depravata fuerit LXX. contexta oratio [30]). Itaque hunc habeto indicem.

---

28) cf. inpr. Excurs. I. ad ep. ad Rom. ex edit. Kopp. et Ammon. p. 378 sqq.

29) Pauca tamen, quae inter legendum mihi occurrerunt, adiicere placet. Theoph. ad Autol. II. p. 100. (ed. Colon.) cf. Joa. Ev. 1, 2. III. p. 126. cf. Mt. 5, 44 sq. Origen. Dial. c. Marcion. p. 25. ed. Wetsten. cf. Mt. 26, 24. et 28, 6., ib. p. 77. cf. Rom. 6, 19., p. 111. cf. Joa. 20, 27. et Luc. 24, 39. ib. p. 18. cf. Mt. 24, 50. Cyrill. Al. c. Julian. X. p. 328. cf. Rom. 9, 5. Auctor epit. e Theodoti libb. (ad calc. opp. Clem. Alex.) p. 798. ed. Sylb. cf. 1. Cor. 2, 9. et 1. Tim. 6, 16., §. 49. cf. Rom. 8, 20 sqq. §. 43. cf. Phil. 2, 9 sqq. §. 12. cf. Mt. 17, 12. et 1. Petr. 1, 19. al.

30) Iustinum plurimis in locis cum LXX. editione Complutensi

Apol. II. 79. 80. *ᾳσατε τῳ κυριῳ πασα ἡ γη και αναγγειλατε ἡμεραν εξ ἡμερας το σωτηριον. Κυριοι και αινετος σφοδρα, φοβερος ὑπερ παντας τους θεους· ὁτι παντες οἱ θεοι των εθνων ειδωλα δαιμονιων εισι· ὁ δε θεος τους ουρανους εποιησε. δοξα και αινος κατα προσωπον αυτου και ισχυς και καυχημα εν τοπῳ ἁγιασματος αυτου. δοτε τῳ κυριῳ τῳ πατρι των αιωνων δοξαν· λαβετε χαριν και εισελθετε κατα προσωπον αυτου και προσκυνησατε εν αυλαις ἁγιαις αυτου φοβηθητω απο προσωπου αυτου πασα ἡ γη και κατορθωθητω. και μη σαλευθητω. ευφρανθητωσαν εν τοις εθνεσιν· ὁ κυρ. εβασιλευσεν απο του ξυλου.*	**Ps. 96.** *ᾳσατε τῳ κυριῳ ᾳσμα καινον, ασ. τ. κ. π. ἡ. γ. --- ευαγγελιζεσθε ἡμεραν εξ ἡμ. το σωτ. α. --- ὁτι μεγας κυριος και αιν. σφ. φοβ. εστιν επι π. τ. θ. ὁτ. π. ὁ. θ. τ. ε. δαιμονια ὁ. δ. κυριος τ. ο. επ. εξομολογησις και ὡραιοτης ενωπιον αυτου, ἁγιωσυνη και μεγαλοπρεπεια εν τῳ ἁγιασματι αυτου. ενεγκατε τῳ κυρ. --- δοξαν και τιμην· --- αρατε θυσιας και εις πορευεσθε εις τας αυλας αυτου. προσκ. τῳ κυρ. εν αυλῃ ἁγιᾳ αυτου, σαλευθητω απο προσωπου αυτου πασα ἡ γη. ειπατε εν τοις εθνεσιν· ὁ Κυρ. εβασ. και γαρ κατωρθωσε την οικουμενην, ἡτις ου σαλευθησεται --- ευφραινεσθωσαν οἱ ουρ. και αγαλλιασθω ἡ γ.*
Dial. c. Tryph. c. 228. *ιδου ἡμεραι ερχονται — και διαθησομαι τῳ οικῳ ισραηλ και τῳ οικῳ Ιουδα διαθηκην καινην ουχ ἡν διεθημην τοις πατρασιν αυτων εν ἡμερᾳ ἡ επελαβομεν της χειρος αυτων εξαγαγειν αυτους εκ γης Αιγ.*	**Ierem. 31, 31 sq.** *ιδ. ἡμ. ε. — κ δ. τ. ο. ι. κ. τ. ο. ι. διαθ. κ. ου κατα την διαθ. ἡν διεθ. τ. π. α. εν ἡμ. επιλαβομενου μου της χειρος αυτων εξαγ. τ. ε. γ. Α.*

---

consentire, idonea exemplorum copia demonstravit GOETZIUS l. c. p. 177.) secus existimaverat L. BOSIUS in Prol. ad V. T. graec.

Apol. II. p. 86. αρατε πυλας ουρανων, ανοιχθητε, ἱνα εισελθῃ ὁ βασιλευς της δοξης· τις εστιν οὑτος ὁ βας. τ. δοξ.; κυριος κραταιος και κυρ. δυνατος.	Ps. 24, 7. αρατε πυλας οἱ αρχοντες ὑμων και επαρθητε πυλαι αιωνιοι και εισελευσεται ὁ βας. της δοξ. τις εστ. ὁ. β. τ. δ.; κυριος κραταιος και δυν.
ibid. p. 73. δεσμευων προς αμπελον τον πωλον αυτου, πλυνων εν αἱματι σταφυλης την στολην αυτου (περιβολην Dial. c. Tryph. p. 273.)	Gen. 49, 11. δ. πρ. α. τ. π. α.--- πλυνει--- εν αἱματι στ. την περιβολην αυτ.
ibid. p. 175 sq. παιδιον εγεννηθη ἡμιν και νεανισκος ἡμιν απεδοθη οὑ ἡ αρχη επι των ωμων.	Ies. 9, 6. παιδ. εγ. ἡμιν, υἱος και εδοθη ἡμ. οὑ ἡ αρχ. επι του ωμου αυτ.
Ibid. p. 77. τας νουμηνιας ὑμων και τα σαββατα μισει ἡ ψυχη μου και μεγαλην ἡμεραν νηστειας και αργιαν ουκ ανεχεμαι· ουδ᾽ αν ερχησθε οφθηναι μοι, εισακουσομαι ὑμων· πληρεις αἱματος αι χειρες ὑμων καν φερητε σεμιδαλιν θυμιαμα, βδελυγμα μοι εστι· στεαρ αρνων και αἱμα ταυρων ου βουλομαι. τις γαρ εξεζητησε ταυτα εκ των χειρων ὑμων;	Ies. 1, 12 sq. στεαρ αρν. κ. ά. τ.-- ου βουλ., ουδ᾽ αν ερχ. οφθ. μ. τις γαρ εξ. τ. ε. τ. χ. ὑμ. — εαν φερ. σ. ματαιον θυμ. βδελ. μ. ε. τας νευμ. κ. τ. σ. κ. ἡμ. μεγ. ουκ ανεχομαι νηστειαν κ. αργιαν. κ. τας νουμ. ὑμων κ. τ. ἑορτ. ὑμ. μισ. ἡ ψ. μ.-- ὁταν εκτεινητε τ. χειρας--- ουκ εισακουσομαι ὑμων· αἱ γαρ χειρ. ὑμ. αἱμ. πληρεις.
ibid. 76. εγω εξεπετασα τας χειρας μου επι λαον απειθουντα και αντιλεγοντα επι τους πορευομενους εν ὁδῳ ου καλῃ· αιτουσι με νυν κρισιν και εγγιζειν θεῳ τολμωσιν.	Ies. 65, 2. εξ. τ. χ. μ. --- προς λ. απ. κ. αντ. τοις παρ. ὁδῳ ου καλ.--- 58, 2. -- αιτουσι με νυν κρισιν δικαιαν και εγγιζειν θεῳ επιθυμουσι.

Adde his Apol. II. p. 76. coll. Ps. 22, 17. ibid. al. loc. coll. Zach. 9, 9. p. 81. coll. Ies. 1, 16 sq. p. 86. coll. Dan. 7, 13. p. 87. coll. Ezech. 37. et Ies. 45., 23. (haec enim in unum iuncta sunt) Dial. c. Tryph. p. 214. coll. Mich. 4, 10 sq. p. 239. coll. Ies. 55, 3. p. 273. coll. Zach. 13, 7. — Ad Apol. II. p. 87. v. Sylburg pag. 9.

Itaque ex his, quae deinceps persecuti sumus, exemplis satis patere arbitror, quam temere nuper a nonnullis negatum fuerit [31]), in Vet. Test. locis negligenter Nostrum versari; concidit igitur, quod inde ductum est, adversariorum argumentum nec, cum translationis LXX. capita memoriter laudaverit Iustinus [32]), quidquam obstare videtur, quo minus id ipsum in N. etiam Test. ab eo factum esse statuamus, indeque omnem, quae deprehenditur passim, orationis discrepantiam probabiliter explicemus. Nec vereor equidem, ne quis sententiae nostrae dubitationem aliquam moveat hinc, quod pro tanto oraculorum V. T. a Iustino interpositorum numero pauca admodum sint, quae ab oratione LXX. graeca aliquantulum discedant. Hoc enim, opinor, neminem mirum habebit, qui longiora plerumque V. T., Psalmorum inprimis et Jesaiae capita [33]), quae memoriter tota recitare vix quisquam potuit, a Iustino laudari secum reputaverit. Manet igitur, quod diximus, ex evangeliis canonicis petita esse posse omnia, quorum Iustinus mentionem facit, Iesu effata, atque hoc magis, quod eaedem sententiae diversis in locis diver-

---

31) v. Eichhorn Einl. I. 96.

32) Id patet etiam inde, quod I. prophetarum nomina passim posuit alia quam eorum, e quibus ducta sunt oracula cf. p. 76. 86. 88.

33) cf. inprimis Apol. II. p. 62. 79. 85. Dial. c. Tryph. p. 232. 238. 242. 247. 251. 256. al.

sa ratione conformatae esse reperiuntur, unde, Nostrum non scripto aliquo libro, in quo ista lectionis discrepantia inesset, usum fuisse sed memoriter omnia intexuisse luculenter efficitur. En tibi brevem tabulam:

Dial. c. Tryph. p. 253. *αναστησονται πολλοι ψευδοχριστοι και ψευδοαποστολοι και πολλους των πιστων πλανησουσι.*	ibid. p. 308. *ψευδοπροφηται κ. ψευδοχρ. πολλοι επι τῳ ονοματι μου παρελευσονται και πολλους πλανησουσι.*
Apol. II. p. 64. *πολλοι ερουσι μοι, κυριε, κυριε, ου τῳ σῳ ονοματι εφαγομεν και επιομεν και δυναμεις εποιησαμεν. και τοτε ερω αυτοις αποχωρειτε απ' εμου εργαται της ανομιας.*	ib. p. 301. *κ. πολλ. ερ. μ. κ. κ. εν τῳ σ. ον. εφ. κ. επ. κ. προφητευσαμεν και δαιμονια εξεβαλομεν και ερω αυτ. απ. απ' εμ.*
Apol. II. p. 62. *και τον ἡλιον αυτου ανατελλει επι ἁμαρτωλους και δικαιους και πονηρους.*	Dial. c. Tryph. p. 314. *θεον τον ἡλιον αυτου ανατελλοντα επι αχαριστους και δικαιους και βρεχοντα επι δσιους κ. πονηρους.*
Apol. II. p. 63. *ειποντος διδασκαλε αγαθε, απεκρινατο λεγων· ουδεις αγαθος ει μη μονος ὁ θεος ὁ ποιησας τα παντα.*	Dial. c. Tryph. p. 328. *λεγοντος αυτῳ τινος διδ. αγ. απ. τι με λεγεις αγαθον, εἱς εστιν αγ. ὁ πατ. μου ὁ εν τοις ουρανοις.*
Dial. c. Tryph. p. 205. *ουαι ὑμιν γραμματεις* etc. *ὁτι αποδεκατουτε το ἡδυοσμον και το πηγανον, την δε αγαπην του θεου και την κρισιν ου κατανοειτε. ταφοι κεκον. εξωθεν φαινομενοι ὡραιοι, εσωθεν δε γεμοντες οστεων νεκρων — — ὁδηγοι τυφλοι.*	ibid. p. 339. *ταφοι κεκ. εξ. φαιν. ὡρ. κ. εσ. γεμ. οστ. ν. το ηδιοσμ. αποδεκατουντες την δε καμηλον καταπινοντες, τυφλ. ὁδηγ.*

Quae cum ita sint, non potest idonea caussa fingi, cur, istos etiam locos historicos (p. 225.) qui, si verba spectes, a nostris evangeliis deflectunt, si rem, consentiunt, e canonicis commentariis depromtos esse dubites. Negligentius in his laudandis versatum esse Iustinum non est quod mireris; in re enim, non in verbis omnis vis inerat, nec nostratium aliquis, si de rebus Christi exponit, ipsa Evangelistarum oratione uti solet. Inde vero quod passim de Iesu originibus et rebus gestis in Iustino narrantur, quae ab evangeliis canonicis plane absunt, non potest repeti, quod sententiam nostram infringat, haec enim hausta esse ex απομν. των αποστ. nusquam [34] dicit auctor. Ita (Dial. c. Tryph. p. 326.), quae leguntur: τεκτονικα εργα εργαζεται (Ιησους) εν ανθρωποις ων, αροτρα και ζυγα, retulit ad τας γραφας; quod vocabulum, quam late pateat, satis intelligitur. Omnia itaque, quae ex hoc genere sunt, vel e traditione historica [35] vel ex aliis quibusdam libris apocryphis, quorum tum promiscuus adhuc usus esset [36]), sumta videntur.

Atque sic effecisse nobis videmur, quod in libelli nostri indice scriptum est: Iustinum Mart. evangeliis

---

34) De loco Dial. c. Tryph. p. 315. cf. GRABII Spicil. Tom. I. p. 19. SCHUIZ. Diss. I. p. 12. Potuit facile fieri, ut Iustinus memoria lapsus ea, quae alibi legisset, hic connecteret, quae e canonicis evangeliis depromta essent. — Ad alium locum, qui est Dial. c. Tryph. p. 333. v. Luc. 24, 44 sq.

35) v. SCHUIZ. l. c. 12.

36) Ita SCHUIZIUS statuit, quae p. 316. Dial. c. Tryph. narrantur, hausta esse ex evangelio infantiae Christi v. ej. Diss. l. c. p. 13. Iustinum autem libris apocryphis usum fuisse patet inde, quod p. 76. Apol. II. ad τα επι Ποντιου Πιλατου γενομενα αυτα provocet cf. de his Pilati actis SCHMIDT. Einleit. ins N. T. p. 250.

canonicis usum fuisse. Caeterum non opus esse videtur ut, quae in contrariam partem prolatae sunt, sententias (p. 222 sq.) copiose refutemus; in has enim viri docti nonnisi eo delapsi esse reperiuntur, quod, quae apud Iustinum leguntur, ex evangeliis canonicis sumta esse posse dubitarent. Ea autem coniectura, quae fuit de Evangelio Hebraeorum, quam vana sit et temere suscepta, docte explicatum scimus a Paulo et Munschero, quorum argumenta, ne acta agere videar, repetere nolo.

Observationes quaedam *de Lucae Evangelii analysi critica, ab Venerabili Schleiermachero proposita.*

Scripsit

Henr. Planck, Theolog. Prof. Gotting. *).

Quod primum Schleiermacherus **), Vir Venerabilis, sibi negotium tractandum sumsit, eo tendit, ut trilogiae Evangeliorum origines accuratius, quam hucusque factum est, illustrarentur, propriamque ad veritatem, nondum expositam, revocarentur. Acriter ab eo via reprehenditur, quam in huius quaestionis exploratione ingressi sunt interpretes, eaque accusatur, quod totius historiae Christianae, in litteris traditae, initium verum, primaque eius specimina tristissima in obscuritate retinuisset. Respicit id fontem duplicem, e quo solo adhuc priorum trium Evangeliorum genesis deducenda putabatur, vel unum, eundemque textum antiquiorem, quem auctores ex diversis tantum voluminibus secuti sunt, vel mutuum, communemque usum, quo prior

*) Edidit hasce observationes auctor doctissimus ad indicenda Solemnia Resurrectionis Dom. a. 1819.

**) *Ueber die Schriften des Lukas. Ein kritischer Versuch. Erster Theil. Berlin.* 1817.

tempore a seriori trahi in suum usum potuit. Utrumque ab antiquioris aetatis consuetudine, ab interna Evangeliorum inter se ratione, et a subsidiorum, quorum usus solus faciendus erat, apparatu haud parum alienum iudicatur.

Quae in sequentibus argumenta proponuntur ad veritatem huius iudicii firmandam, unam tantum sententiam de fonte communi spectant, altera de usu mutuo haud amplius memorata, haud dubie quod ultima haec explicandi ratio, ut aliis criticis interpretibus, sic et Viro Venerabili minore probabilitate suffulta videtur. Unde de priore sola proposita considerare licebit. Quam enim ipsi de Evangeliorum inter se cognatione mutua opinionem hactenus habuimus, in iis impugnatam videmus, ideoque e veritatis officio auctori hoc debere arbitramur, ut, quod nobis in argumentatione praesenti incertum dubiumque apparuit, haud taceamus. Ex uno fonte Evangelia Canonis, uti iam habentur, plurimam partem esse depromta, non tam rei historiaeque, quam verborum atque ordinis unitas aperte satis docet, ita ut omnis de alia origine ac genesi coniectura nimium nobis audax esse videatur. Fons *antiquior*, haud *primarius*, omnibus communis fuerit, nec ne, haec quaestio in critica disquisitione recentioris temporis de Evangeliis sacris omnium ex iudicio fundamentalis ac gravissima vocata est; nec quicunque internam eorum harmoniam pariter atque dissensum accurate cognoscere, veraque ab origine educere studet, ab alio umquam initio egredi poterit. Eandem viam Vir doctissimus ingressus est, atque ad hanc quaestionem impugnandam plura attulit, quae ab aliis nondum cognita, huic usui inservire ex eius iudicio videntur. Sed haec mittamus; quod si enim, quae recentius hac de quaestione agitata sunt, diligenter examinentur, auctoris iudicium de primo initio rei litterariae in ecclesia Christiana nequaquam ad omnia no-

vum, anteaque nondum auditum reperietur. Aliud contra, idque gravius omisit, quo argumentatio proposita nullo modo carere poterit, dum scilicet caussae ipsius, cuius veritas impugnanda erat, nulla fere mentio facta est. Fontis communis existentia an concedi possit, id ex interna comparatione Evangeliorum, aliaque eorum harmoniae atque dissensus interpretatione data solum probandum fuit, jam vero quae argumenta a Viro doct. contra unitatem fontis communis proponuntur, non singularem eum fontem, quem internus trium Evangeliorum consensus indicat, sed fontes primarios rei litterariae Christianae in universum impugnat. Istam quidem pro multiplici argumento, quod tractabat, pro diversa auctorum conditione, qui initium in scribendo fecerant, eorumque, quorum in usum huic negotio operam dederant, pro variis denique monumentis, in antiquitatis testimoniis adhuc residuis, unico e fonte producere potuisse, recte negatur. De Christo rebusque eius gestis plures uno eodemque tempore commentarios condere coepisse, eosque haud de vita universa, sed de singulis tantum eius partibus composuisse, probabilius multo arbitrandum est, quam antiquissimum aliquem, omnibusque serioribus fontis in usum abeuntem typum quasi supponere, quo universa servatoris historia contenta fuerit.

Quantumvis vero in isto argumento non pauca ex historicis indiciis accurate definiri, et per viam coniecturae praeclare poni posse videntur, id tamen, quod Vir doct. impugnare in animo habuit, vix ac ne vix quidem attingunt. Aliud est, prima initia scribendi in ecclesia Christiana perscrutari, aliud iterum, trium Evangelistarum, quorum nomina in Canone nostro habentur, apparatum atque subsidia e praesentis laboris comparatione et analogia mutua cognoscere. Prius quod attinet, nemo profecto est, qui dubitet, primos et antiquissimos rei Christianae historiographos non in suos tantum, sed

aliorum potius in usum scribendi consilium coepisse. Erant enim multi, quibus Christum ipsum videre, vivamque eius vocem experiri haud licuit, ideoque historiam eius et doctrinam scriptam ante oculos habere in votis fuit. Hoc modo uno tempore plures esse potuerunt, qui Evangelium descripserunt, nec minus qui pro legentium desiderio certos titulos, certaque argumenta e sacra historia tractarunt, vel ad externam Christi vitam, vel ad doctrinam eius solam spectantia. Neque vero ex hoc concludi posse nobis videtur, trium quoque Evangeliorum auctores plurium e fragmentis atque narrationibus singulis sua depromere debuisse.

Utrumque enim inter se plurimum distat, aliumque prorsus ad finem, aliaque via tractetur necesse est. Cum plures de Christi historia ac doctrina uno eodemque temporis initio commentarii et longiores et breviores essent editi, facile fieri potuit, ut eorum, qui seriore tempore in pari negotio sequebantur, plures unum fontem exscriberent, eumque novis additamentis cum per alios tum manu propria amplificatum ederent. Idque ut revera factum esse videatur, communis orationis ordinisque ratio, in tribus Evangeliis obvia, satis declarat, quae difficillime aliam consensus mutui interpretationem admittit. Tacemus alia, quae argumentationem propositam de Lucae Evangelio, eiusque analysi acriter impugnant, quaeque unius eiusdemque auctoris vestigia in oratione, contextu, temporis ordine, aliisque partibus indubitata relinquunt. In Protevangelio solo subsistere placet, quod prioribus duobus capitibus continetur.

Quae in istis quidem ambigua vel incerta nobis videntur, eiusmodi sunt, ut nobis certe non possint non novam hypothesin dubiam atque ambiguam relinquere. Audiamus, quam multa nomina Vir doctiss. haud recusavit, quibus diversas Protevangelii partes attribueret. Vestigia certissima deprehendere sibi visus est, e quibus

ante Lucae descriptionem quatuor fragmenta perspicue cognoscere liceat, eaque sic distinguenda existimat. Primum ad caput prius refertur, idque totum uni scriptori vindicatur: sunt primordia Joannis Baptistae ante Messiae adventum. Altero in capite tria argumenta exstant, quae auctori ab initio secreta, diversisque a scriptoribus enarrata videntur: primum, de natalibus Christi, eorumque memorabili eventu V. 1-20. alterum, de deductione eius in Hierosolymas, matrisque lustratione V. 22-40. tertium denique, de insigni itinere paschali, quod Messias anno aetatis duodecimo cum parentibus Hierosolymas fecerat V. 41-52. Considerabimus primo, quae contra unum eundemque scriptorem in his capitibus a Viro doct. sunt allata, ac deinde, quae pro defendenda scriptoris unitate afferri possunt adiiciemus.

Duo sunt argumenta, ex quibus caput prius ab altero in Lucae Evangelio seiunctum statuitur. Primum ad versum octogesimum sese refert, in quo ex auctoris iudicio conclusionis formula legitur, quae scriptorem a continuandi voluntate fuisse remotum, idque proprio quasi testimonio affirmasse clare doceat. Verba sunt: *Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι· καὶ ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις, ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ.* Sed haud pauca sunt, quae nobis certe hanc interpretationem dubiam relinquunt. Est initium alterius capitis: Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις cet. quod aliud iam ab eodem scriptore praemissum declarat, eoque iubet, ut, quae in fine praecuntis narrationis leguntur, haud pro conclusione, qua lectores dimitti quasi videntur, sed pro observatione tantum accipiantur, qua, ut transitus formula ad aliud argumentum, ea breviter comprehenduntur, quae singula enarrare haud licuit. Illud ἐκείναις haud sine caussa consilioque additum est: mentionem renovat iuvenilis aetatis Baptistae, de qua modo testimonium datum erat, cuiusque

a primordiis ad Messiae ipsius natales transitus paratur. Unde apparet, ultimo versu capitis prioris neminem facile finem posuisse narrationi de Joanne singulari, eaque, quae proxime sequuntur de primis diebus Messiae, ab alio diversoque auctore composita esse debere. E contrario prima tantum Baptistae initia deserit idem auctor, a quo deinde, qua propheta, cumque Messia seriore tempore coniunctus, iterum inducitur (3, 2.). Saepius quidem in sequenti Christi historia similia fragmenta discernuntur, parem exitum paremque transeundi formam habentia, eaque haud minus ad diversos scriptores reducenda existimantur. Sed quod ante omnia silentio praeterire non fas est, habitus proprii ac consuetudinis Orientalis historiographi, qualis in praesenti aliisque innumeris testimoniis apparet, prorsus immemor fuisse videtur Vir doctissimus. Is enim rarissime arte studioque satis exercitatus reperitur, ut in referendo perpetuam fidem ante oculos habuerit, et quoad temporis seriem, qua singula sese excipiunt, et quoad ordinem atque connexum, quo unum alterum sequitur. Pertinet potius ad proprium eius habitum atque ingenium, ut multo minus internam eventuum cognationem, h. e. historiam totam, eoque superiorem legentes edocere, quam externam eorum speciem imaginemque describere vellet. Unde frequentius eiusmodi parentheses audiuntur, quibus scriptor sui ipsius in auxilium usus est, aut ad rei, quam hactenus tractavit, finem imponendum, transitumque sibi parandum ad aliud argumentum, aut ut excusationem quasi daret pro praesenti abitu a materia, quam copiosius forte elaboratam exspectaverant. Simile est, quod de nostro loco iudicium statuere debemus. Haud pro conclusione sumi potest, qua scriptor legentes valere iubeat, neque certe sequentis narrationis testem inducere sese voluisset, sed tantum simplicis parentheseos locum implet, qua Joannis historiam deserturus, et ad Messiae nata-

les transitum facturus; ea brevibus collegit, quae futurum tempus in prioris vita memorabilia habuit.

Pervenimus ad alterum argumentum, quo Vir doctissimus unum eundemque Protevangelii auctorem impugnari posse arbitratur (p. 22.). Priore illud nil praeclarius habet, igiturque et in critico examine aliam sortem experiri haud potuit. Haud pauca inveniri ait, quae, uno eodemque auctore posito, hoc altero in capite alio modo aliaque ratione dicta esse deberent. Audiamus singula, clarumque fiet, quam parum ista ad extorquendum consensum valeant. Primum, quod affert, ipse per se nonnisi dubium atque ambiguum censet, sed, altero addito, propriam eius probandi vim ac veritatem maxime idoneam contemplatur. Refert sese ad *accuratam* temporis notitiam, quae initio capitis (2, 1.) de Christi natalibus praemissa est, quamque eundem auctorem, qui supra iam (1, 5. 26.) eventus huius chronologiam indicandi occasionem haud praeterierat, non facile hoc loco iterum allaturum, sed supra potius certioris huius temporis notitiae, si in mente habuisset, usum atque memoriam haud contemturum fuisse statuitur. *Paullo ante censum factum*, seu aliud simile, quod certius audiebatur, incertiori formulae: ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου additurum fuisse scriptorem, haud negare posse sibi videtur Vir Ven. Ut facile apparet, pro hoc tantum vim probandi retinet haec argumentatio, ut aliud, quam factum est, fieri potuisse, haud debuisse indicet, ideoque haud necessariam, sed probabilem tantum aliam eventus formam edoceat. Hoc ultimum vero nulla peritior Critica historiae attribuet. Ea scilicet temporis notitiam, initio capitis positam, haud natalibus Messiae indicandis, sed alii consilio tribuat oportet, quod scriptor impetrare in mente habuerit, ut caussam nimirum claram redderet, quapropter Messias haud in solito parentium domicilio, quod Nazarethi fuit, sed in itinere, Bethlehemi, primum vitae lumen aspex-

erit, quo loco iam prophetae Veteris Foederis Messiae genesin celebratum iri vaticinati fuerant. Ergo nulla chronologiae cura scriptori fuit, sed tantum domicilii mutati, quod parentes Messiae ingressi inveniuntur, rationem reddere aggreditur. Ideoque prorsus a vero abest, quod Vir Ven. affirmat, scriptorem eundem supra (1, 5.), si habuerit, distinctiorem temporis notitiam haud fuisse omissurum.

Sed alterum sequitur, quod supra omne dubium ei esse videtur ad duplicem scriptorem cognoscendum, cuius usus certe atque inductio ab uno eodemque haud exspectari potuisset. Quaeritur in duplicis argumenti memoratione denuo facta, cuius pari modo ante iam (1, 26. 27.) mentio obviam venit: Christi scilicet parentes Nazarethi domicilium habuisse, eiusque patrem, Josephum, e gente Davidica originem deduxisse (2, 4.). Utrumque vero nequaquam pro eo habeatur oportet, quod Vir. Ven. iudicavit, ut, sin unus scriptor fuisset, inscius quasi semel dicta iterum narrasse appareret. Aliud potius est, quod supra, aliud, quod infra notitiam duplicem haud refugere debuit. Primo in loco Josephus ἐξ οἴκου Δαβίδ inducitur, qua futurus Messiae pater, qui modo ex angeli oraculo Mariae, matri futurae, filius promissus narrari debuit. Eodem nexu alterum auditur, Nazarethi, Galilaeae urbis, memoratio, quem in locum angelum ad Mariam descendisse indicandum fuit. Utrumque infra alio e fonte ad alium finem habetur. Josephus ad Davidem patrem reducitur, quia sola haec descensio cum praesenti in censu Bethlehemum iter ingredi iussit. Nazarethi mentionem haud audimus ad discendum, quonam loco angeli visio Mariae data sit, sed tantum quia parentes Christi sedem solitam ibi habebant, e qua iam in Judaeam profecturi erant. Ergo nulla, ut dicitur, insana, nullumque in finem data repetitio obviam venit, nec eiusdem scriptoris persona in suspicionem deduci potest.

Haec sunt, quae duplicis capitis in Protevangelio nexum atque cognationem primariam Viro Ven. dissuadent. Restant alia nonnulla quibus recta via veritatem eius probare nobis sumemus. Primo simplex Nazarethi nomen, quod 2, 4. haud alio addito, positum apparet, haud dubie ad primi capitis v. 26. respicere iubet, ubi haec interpretatio haud omissa est. Deinde quae 2, 21. inveniuntur, non solum quoad sensum ac significationem dictorum, verum etiam quoad verba ipsa eundem scriptorem arguunt, qui supra 1, 31. seferebat. Idem denique iudicium praebet comparatio eius, quod 2, 38. legitur, προσδεχόμενοι λύτρωσιν cum eo, quod 1, 68. de Deo ipso celebratum auditur, ἐποίησε λύτρωσιν, similiaque alia, quae diligentiorem criticam haud effugient. Sed mittamus haec; audiamus potius, quod interpres doctissimus ipse de Protevangelii historia primaque origine per coniecturam statuendum putaverit. Pertinet ad utrumque caput; nos de priore solo novam, quae data est, opinionem examinandi veniam rogabimus.

Cernitur praecipue hoc novum interpretandi genus in recte definienda mente atque consilio, e quo scriptor libellum elaborare solum potuisset. Id iam poëseos magis: quam historiae in gratiam fecisse statuitur, idque argumentis probatur, quae nobis quidem, ut supra iam diximus, subindicare videntur, interpretem neque Orientalis historiographi indolem, naturam atque consuetudinem perpetuam, neque singulare praesentis narrationis argumentum, quod ad religionem potius, quam ad historiam sese refert, ante oculos semper habuisse. Utrumque illud pro vero sensu ac significatu inquirere si velis, facile cognoscitur, alia e mente, aliumque in finem, quam qui poetae proprius esset iudicandus, scriptorem nostrum narrationem suam composuisse. Historiam scilicet scribendi ars atque usus, qualem in Oriente floruisse monumenta satis idonea edocent, hoc praecipue in habitu proprium habuisse videtur, ut

omissa simplicis, vitaeque solitam ad veritatem respicientis sermonis forma, saepius multo ad poëseos signa atque imagines recurrat, earumque subsidium haud spernat, si vel rebus, vel personis, quarum mentio fit, eximium quoddam studium conciliare sibi proposuit. Nostro iam in capite quin hoc defuisse videatur, nullus dubito. Haud enim communes sortis humanae eventus atque facta, sed historiam sanctissimam tractare videmus auctorem, in eaque exponenda verius profecto religiosae mentis sensum, quam studii historici amorem fuisse occupatum, ex ipsius testimonio (1, 1-4.) clare cognoscimus. Ipsa haec sanctissima fides, qua totus habebatur, saepius forte in coelestis argumenti expositione ei inscio poëseos sacrae laudes, cantusque attulit, etsi nunquam ipse aliud consilium habuisse putandus est, quam ut personae, *cui religiosum* cultum deberi ille persuasum habuit, historiam atque facta summa diligentia exponeret. Haud ut poëta, e poëseos lumine tractasse rem sibi propositam nobis videri potest: nam historia fuit, eaque sanctissima, quam narraret, natales Messiae, filii Dei, per prophetas maioribus indicati, iamque de coelo vero demissi. Aliud iudicium ipse non habuit, quod ei veniam dedisset, alio e consilio, quam historico rem sanctissimam describere. Singularis eius temporis ratio, haud multo distans a divini doctoris usu proprio et contemplatione, in caussa fuit haud ambigua, ut hanc, nec aliam de eo, quod ad sanctissimum referebat, opinionem statuere deberet. Certissimum est, etiamsi a pluribus neglectum videmus, non menti, quae vel ipsam, vel non longe remotam divini imaginem ante oculos habet, sed ei, quae gravissima propioris huius contemplationis vi atque effectu caret, poëticam quandam rei sanctissimae tractationem placere posse. Haec vero temporis distantia quaeri non potest, quam diu e summi doctoris aetate ipsa scriptores audimus: idque legem hermeneuticam parit, quae fide sum-

ma in interpretando digna vocatur, ut in fragmentis periodi Apostolicae haud poëseos fructum, qui a libera voluntate et consilio profectus sit, sed poëticum tantum linguae ac descriptionis habitum quaeramus, qualem religiosa mentis indoles, fervorque animi divinis scriptoribus vel insciis adduxit. Eandem iam regulam habemus in interpretando hymnos sanctissimos, qui Mariae eiusque sorori Elisabethae, nec minus Zachariae, patri, tribuuntur, omnibusque caeteris narrationis nostrae locis, ubi quieti narratoris personam deseruisse, et ad poëseos magis dictionem atque imaginem abreptus videtur auctor.

Transeamus ad argumenta, quibus a Viro doctissimo historica veritas eorum, quae primo capite leguntur, impugnatur. De altero capite, vel de Christi natalibus primaque historia alio tempore scribere fas erit. Parum tantum ponderis priora illa ex nostro sensu habuisse profiteri oportet. Quod primum est, nimia multa ex eius iudicio inveniuntur (p. 23.), quae ad rem et eventum, ut vere fuerit, haud pertinuisse iudicanda sunt: referuntur illa ad angeli Gabrielis orationem, qua Messiae adventum indicaverit, quaeque plurimam partem e Veteris Testamenti oraculis, aliisque religionis Judaeorum sacris formulis composita appareat; ad Mariae eiusque sororis cantus mutuos; ad hymnum denique Zachariae patris, qui eodem temporis momento, quo linguae renovatae donum acceperit, primum eius usum in summi numinis celebrationem adhibuerit. Hoc quidem dubii omnis expers reperitur, haud historiam perpetuam in hoc capite legi, sed scriptorem plura mentis ipsius poëticae fragmenta addidisse. Ultimum hoc quod attinet, prorsus cum interprete nostro consentimus, dum eadem poëseos vestigia haud negamus; sed alia profecto quaestio nobis videtur, eaque subtilissime distinguenda, cuinam consilio hi poëtici colores debeantur, an, qua poëta, poëseos ad artem regulasque

quieto historicae orationis ordini eos inseruerit scriptor, ea voluntate, ut maiestatem dignitatis divinae cantico celebraret; an potius religiosae mentis naturali impetu abreptus, historiographi officium ac voluntatem in iis haud quidem deseruisse, sed tamen poëtae saepius linguam verbaque, vel inscius, sequi debuisse censendus sit. Posterius hoc solum de auctore iudicare licebit, qui et initio narrationis datae, et indole eius in sequenti clarissime historiam scribendi, nec carmen componendi voluntatem professus est. Idem praeterea probat interna poëseos illius vis atque argumentum, quod totum religionem spirat sanctaque Veteris Testamenti oracula ac hymnos reddidit. Accedit denique, quod oblivisci haud fas est, ut angeli loquentis inductio, quae poësis vocatur, certe haud unica ab auctore nostro in usum adhibita putanda sit. Eiusmodi, ut constat in Orientalium historiographorum voluminibus et expositione saepissime occurrunt, nec de vera dictionis huius dramaticae origine diu quaerendum est. Pertinet ad antiquissimorum fontium propriam naturam atque indolem, quae ea fuit, ut vitae, cuius historiam exponebant, haud solum internam vim, argumentumque externum, verum etiam formam praesentem, speciemque externam, qua induta fuit, ante oculos sistere susceperint. Unde ortum est, humanas actiones saepius ad accuratam vitae imaginem cum colloquiis, in iis gestis, esse relatas, eoque etiam angelorum visiones, quae omnino seriori potius contemplationi ad reminiscendum, quam praesenti menti ad intuendum datae videntur, ad humanam similitudinem atque habitum viva voce esse inductas. Quocirca nemo auctorem nostrum nec propter rem ipsam, h. angeli inductionem, quae ei sanctissima religio fuit, nec propter singularem orationem, huic angelo tributam, contra historici officium atque fidem cum consilio peccasse, sibi persuadere poterit.

Sequitur alterum, cuius usum Vir doct. in argumentatione sua haud recusavit, cuique acrius, quam praecedenti, contradicendum habemus. Illud orationem stylumque poëticum scriptoris accusavit; hoc argumentum ipsum, historiamque expositam respicit, cuius interna veritas atque fides haud raro desiderari dicitur (p. 23.). Quod ultimum a nemine in dubium vocabitur, qui a nostro scriptore accuratissimam, veraeque vitae ad imitationem datam rerum descriptionem exspectandam fuisse censet; longe minus severiorem, summaque fide tentatam ei contemplari licebit, qui religionis sensum internum, in ea contentum, eiusque vim necessariam, inter scribendum haud emortuam, perpetuo ante oculos habet. Unde claram originem reperient ea, quorum in descriptione eventus historicus haud rei, qualis revera facta fuit, e testimonio, sed religionis internae potius ex oraculis atque edictis, eorumque quasi sanctissima adumbratione inductus fuisse apparet. Interpretis ergo, qui haud rem, sed rei narrationem interpretari aggreditur, sanctissimum negotium censeatur oportet, ut una fide, parique studio et eventum, qualis fuerit, et testimonium de eo, a narratore datum, quibusnam e fontibus ortum, quanam mente receptum sit, examinare sibi proponat.

Jam tria sunt, quae a Viro doct. in nostra narratione ab eventus veritate aliena, ideoque haud historico testi tribuenda iudicantur: sed paucis ad ea refutanda opus habere arbitramur. Primum chronologiam spectat propositam, cuius fontem haud in vera historia, sed in singulari quodam rerum connexu, a scriptore tentato, inveniendum esse sibi videtur. Quam multis enim temporis notitia addita est, ea omnia statuitur una eademque a certitudine pendere, quam legentibus persuadere studuisset scriptor, quaeque ea fuit, ut testis sacri verba afferamus (1, 41.): ὡς ἤκουσεν ἡ Ἐλισάβετ τὸν ἀσπασμὸν τῆς Μαρίας, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν τῇ κοι-

λία αὐτῆς. Quocirca angelum haud ante sextum mensem τῆς καλουμένης στειρῆς (1, 26.) Mariam adiisse, eique ipsi honorem decretum, qua matri Messiae, indicasse adornavit. Inde Mariam ad Elisabetham cognatam profectam, ac tres sequentes per menses in hospitio eius commoratam fuisse refert, id quod propter instantem desponsatae deductionem vix credendum, eoque tantum interpretandum putat Vir. doct. quod statim post abitum virginis natalitia indicerentur Ioannis, prophetae, nec ullum temporis spatium in descriptione vacuum, historiaeque expers appareret. Hactenus critici nostri argumentatio. An maioris auctoritatis esse deberet, quam reliqua, recte profecto dubitamus. Nam si hanc in narratione praesenti chronologiae adornationem ponere liceret, ut auctori sanctissimum fuisset, ingrediente Messiana virgine, foetus gestientis in utero matris commotionem legentibus aperire, certissime diutius aliquid in eius enarratione substitisse, nec paucis adeo verbis rem sanctissimam deseruisse probabile fieret. Nobis nequaquam haec temporis, quo Maria cognatam adiisse narratur, notitia data a vera historia aliena iudicanda videtur, propterea quod cum alio temporis vestigio accuratissime convenit. Sunt ii tres menses, per quos Maria in hospitio Elisabethae commorationem habuisse, quibusque elapsis, illi pariendi tempus adfuisse refertur. Quare haec duo haud pro vero sumenda? Quod a Viro doct. affertur, quin ipso in pariendi momento cognatam deseruisse Mariam vix credibile appareat, nihilominus historica via explicare licebit, si ad instantem deductionem respicere haud recusamus. Hoc e vera historia reliquum esse sapientis Critici iudicium non reiicit caeteraeque temporis notitiae ab eo pendentes, nostro ab auctore, an priore iam traditione positae essent, in medio relinquitur.

Eiusmodi est, quod altero in loco a veritate historica alienum dicitur, quoque pertinent, quae de Zacha-

ria sacerdote enarrantur (p. 24.): hunc scilicet, quia fide caruisset, linguae facultate esse destitutum eadem numinis divini vi, quae Mariae, angeli vaticinia plena spe audienti, gratas laudes, hymnosque in Deum suppeditasset. Ac deinde, etsi fide diu recuperata, tamen iacturam rei amissae haud prius ei esse restitutam, quam eo tempore, quo nominis, a matre propositi, probatione, angeli testimonium de filii proprii destinatione divina tota mente audientibus professus sit. Jam quod Viri doct. de his eventibus iudicium auditur, ad dimidium tantum veritatem habere potest, si ad litteram quasi narrationem datam cum re ipsa convenientem arbitraris, haud si verae Critices ad regulas, propriam eius ad eventum rationem, indeque proditurarn originem e fontibus pluribus cognoscere studes. Quod ad prius illud attinet, nemini negabitur iudicium propositum: adsunt potius, praeter allata argumenta, alia haud dubie graviora, e quibus vera quaestionis indoles facile colligitur. Sed mittimus haec, solumque interpretis nostri iudicio respondemus. Haud ab omni veritate, ut revera factum est, res proposita nobis aliena videri potest: perpetuo quoddam veritatis vestigium residuum erit in ea relatione, cuius auctor iis, quorum in usum scripsit, de rebus factis commentarium historicum in ea tradere voluit, cuiusque argumentum haud ad tempus dudum praeteritum, sed ad praesentem rerum statum ac memoriam sese refert. Hoc ultimum est, quod vetat, ne umquam in eiusmodi narrationibus notitias datas, aliorumque in persuasionem inductas statuere liceat, quae a re ipsa, haud diu absente, essent remotae. Quis enim est, qui veram historiam sui temporis editurus, verum eius apparatum vel in poësi quadam, vel in religiosae mentis interpretatione quaerendum sibi pro licito haberet. Testes haud dubie innumeri, a quibus fraus detegi poterat, erant timendi: hoeque a timore, ne fraudis apertio sanctissimae poësi vel interpretationi

periculum crearet, quemnam liberum censeamus? Unde duplex rei verae vestigium in hoc de Joanne Evangelio retineri iubetur: unum, Joannem, filium, parentibus aetate provectioribus demum esse natum; alterum, Zachariam, patrem, haud diu ante natalitia filii mutum factum fuisse, posteroque deinde circumcisionis tempore loquendi facultatem recuperasse. Utrumque, vel poesi, vel historia supposita, a scriptoro adversus temporis praesentis testimonium haud fingi potuit. Nimis enim insignis, memoriaeque eorum, qui viderant, praesentes eiusmodi eventus esse debuerunt, quam ut contra veritatem in medium produci potuissent. Ultimum eorum, quomodo Zacharias linguam amisisset, iterumque deinde restitutus esset, haud in vera narratione traditur, sed sine dubio ad religiosam interpretationem reducendum erit, cuius vel ab auctore nostro, vel ab antiquiore quodam originem deducere licet. Quaenam vera huius eventus indoles et origo esse potuisset, a ratione physica, an a voto, ad peccati abolitionem facto, an denique aliis e caussis repetenda, quarum vis certe hoc in casu cogitari potest, id an nemine, qui religionem humanam revereretur, historiaeque inveniendae fontes licitos cognoscit, quaeretur. Eum haud fugit, narrationem praesentem ad duas tantum historicas notitias adornatam apparere, praeter quas aliud nihil a facto ipso desumtum videatur, ideoque facti ipsius nulla accuratior cognitio aperiri possit. Quod Zacharias linguae iacturam, qua poenam, propter fidem absentem, expertus cogitatur, Maria contra, grato animo plurimum plena, laudes hymnosque in Dei gloriam emisisse narratur, duplex haec religiosa interpretatio a nemine profecto sibi opposita dici potest, qui scriptoris nostri iudicium de utraque persona, quatenus summa probabilitate divinandum, recte cognovit. Zacharias, quod primum est, filii adventu ornatus, qua senex, et mutus factus haud diu prae illius natalibus audiebatur: quonam

modo hoc facilius explicari potuisset, quam commisso peccato, cuius poena mulctatus fuerit; huiusque peccati in loco quid magis idoneum apparebat, quam fidei absentia in primo indicio de filio prodituro. Quando patris deinde restitutio brevi post adventum filii ex historiae testimonio referebatur, ipsa haec per hanc periodum et linguae amissio, et recuperatio optime ad Zachariae statum religiosum singularem revocari potuit. Jam vero altera ex parte de Maria, quae sine pari Evangelio, per angelum facto, haud cogitanda erat, quidnam aliud menti religiosae statuere licuit, quam quod summa laetitia, gratoque sensu quam plurimum plena, Dei optimi liberalitatem praesenti in distinctione tota mente celebrare aggressa sit.

Tertium denique, de quo veritas historica negatur, in compositione totius facti a Viro doct. inventum est. Ultima haec ita ponitur (p. 24.): Angelus Dei adiit Zachariam, in templo sacra facientem, eique adventum ultimi prophetae Veteris Foederis indixit. Idem deinde ad Mariam virginem ingressus, eam filii divini, e Nazaretho prodituri, matrem salutavit. Tum Maria ad Elisabetham cognatam iter ingressa est, ac postremum Zachariae muti restitutio, eiusque hymni Deo consecrati adornationi totius fragmenti finem imposuerunt. Unde grata admodum artis compositio exorta dicitur ad formam et imaginem poëseos Judaicae, in libris apocryphis obviae, et ab auctore forte adornata, qui e Judaeo-Christianis excultioribus esse potuisset. Aramaeo etsi sermone sub initium edita videatur, significatus eius poëticus eo demum tempore e memoria excidere potuit, quo cum sequentis Evangelii argumento coniuncta fuit. Hactenus iudicium Viri doct. Unum tantum quaerere liceat, an idonea e caussa *posterior* demum *religiosa interpretatio historiae* cernatur in eo, quod, nostra sententia, a quocunque artis poëticae exhibenda consilio remotum, ab auctore traditum est ut *factum*, *pia*

mente divinatum. In ipso hoc divinandi negotio praeclarum subsidium praebuisse videntur, quae historicae notitiae in memoria residuae fuerunt, ut, aetas parentum provectior, linguae amissae, iterumque restitutae in patre historia, certaminis de nomine, filio tribuendo inter cognatos exorti, cessatio, a patre facta. Quod ultimum haud minus historico testimonio traditum cogitari potest, quam quae praecedunt: sed ut in caeteris, sic quoque hac in traditione plena et accurata eventus historia non exspectanda. Restant potius haud pauca, quae quoad originem, melius ad religiosam scriptoris mentem, quam ad rem ipsam revocare fas est, quaeque ergo ipsi historicae veritati similia esse debuerunt. De nomine filii an a Deo decretum sit, profecto non dubitavit, quando a coelo promissum parentibus, et ad prophetae munus vocatum eum audierat. Quis iam fuisset, qui magis idoneum ad hoc consilium divinum declarandum sese exhibuisset, quam Zacharias pater, haud diu post filium natum linguae dono iterum ornatus?

His omnibus bene consideratis, aliud iudicium de quaestione proposita haud habemus, quam quod supra professi sumus, scriptorem scilicet haud poëtam sese legentibus inducere voluisse, qui ad artis leges, et ad exemplum aliorum, in Apocryphis obviorum, eventum religiosum describere in animo habuerit; sed potius quae poëseos ad formam, internumque principium legantur, ea menti tantum religiosae, eiusque expositioni de quibusdam eventibus historicis debere, quam ad imaginem testimonii, e fontibus desumti, legentibus proponere voluisset. Hoc perpetuo tenendum erit in iudicio de eiusmodi religiosa expositione: ea menti nonnisi propria est, in qua religionis sensus genuinus a phantasia nondum seiunctus habetur, cuique sacra quaecunque res ad imaginem inspirationis quasi poëticae induci potest. Poëseos studium, ut aliis populis sic et

Judaeis, praeclare in usum cuiuscunque, quod sanctum fuit, adhibebatur, et ad cognoscendum religionis argumentum, et ad vitae humanae, eiusque historiae rationem declarandam. Quocirca haud poësi, ut a Viro doct. factum est, sed sensui tantum religioso attribuere licet, si eventum quendam narrasse auctorem videmus, quem ad notitias certas, de eo traditas, in mente excoluit; cuiusque connexum internum sacro studio divinare ingressus est.

De ratione, dicta factaque Jesu et Apostolorum commemorandi, qua Lucas in utroque commentario usus est, dissertatio.

Scripsit

Sm. Glo. Frisch, Theol. Dr. et August. Sax. Regis Concionator Aulic. [1]).

Decet Christianos, qui omnem in rebus ad fidem pertinentibus humanam auctoritatem protestando repudiant, et scripturam sacram tantummodo regulam fidei agnoscunt, huic summum acerrimumque studium navare, ut, qui placita et praecepta religionis, consolationem atque spem, viresque ad recte et sapienter agendum e libris sacris potissimum hauriunt, certiores de his libris fiant. Iique, qui christianae religionis, quam profitentur, veritatem non a iudicio de singulis libris, qui catalogo librorum sacrorum adscripti sunt, pendere putant, par est, ut suam sententiam de qualibet parte scripturae sacrae, si vel maxime a receptis opinionibus abhorreat, palam ferant et argumentis, quibus inniti putant, stabiliant. Quod potissimum fieri debet, ubi data est sententiam viris doctis, iisque iudicibus idoneis subiiciendi

1) Oblata est haecce dissertatio ab auctore doctissimo S. Ven. Ordini Theologg. Lips. pro summis in theologia honoribus consequendis, editaque Fribergae Sax. 1817.

occasio. Cum eiusmodi occasio et mihi oblata esset, nullus dubitavi, Virorum doctorum examini meum qualecunque *de Lucae scriptis iudicium* proponere. Quod tantum abest, ut vel authentiam, vel integritatem, vel auctoritatem illorum scriptorum, vel eorum, quae ad fidem pertinent, veritatem impugnet, ut Lucae potius omnia, quae eius nomine ad nos venerunt, vindicet eique partes collectoris veracis, fide digni sapientisque memorabilium Iesu et Apostolorum tribuat, quae vero partim nova forma induerit, quorum partim pro certo consilio delectum habuerit et ordinem disposuerit. Quae quidem sententia Lucae ipsius de se testimonio: Ἐπειδήπερ πολλοὶ — — — Ἔδοξε κἀμοὶ, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε; maxime convenit. Videtur autem mihi Lucas non in eo acquiescere, ut Theophilo suo quaecunque, de quibus ἄνωθεν παρηκολουθηκώς certior factus est, referat, nec ut omnia, quae non iam litteris consignata invenerat, sed tantum a testibus oculatis audiverat, eodem modo, quo relata erant, repetat, sed eum memorabilia illa de Iesu et Apostolis, partim arte quadam, partim delectu facto ad certum quoddam consilium narrare.

Ratio igitur dicta factaque Iesu et Apostolorum commemorandi duplex est. Prima in eo ponenda videtur, *quod in narrando arte*, sive potius *artificio quodam usus fuerit;* secunda, *quod ad constabiliendum certum propositum loca elegerit.*

Artificium vero quoddam in narrando Lucam adhibuisse dico tribus de caussis. *Primum quoniam plures homines, vel locis remotis habitantes, vel nullo hucusque necessitudinis vinculo coniunctos, una divinitus monitos narrat, ut alterius caussa aliquid agant, perficiant, credant. Deinde quoniam personas vel orationes habentes vel hymnos proferentes introducit. Denique quoniam angelorum officio evenisse narrat, quae*

alibi nexui rerum, qualis esse solet, vel diserte tribuuntur, vel pro meliori, quam nacti sumus, cognitione, tribuenda sunt. De his deinceps videamus.

Primo igitur Lucas plures homines, vel locis longe remotis habitantes, vel nullo hucusque necessitudinis vinculo coniunctos, vel viso aliquo vel nuntio consociat, ut abhinc in agendo, perficiendo, sperando se invicem respiciant. Quicunque in historia Tobiae patris et filii, Tobiam patrem, coecum factum, ab uxore ludibrio habitum, Deum enixis precibus orantem legit, et narrationem ita continuatam invenit: accidisse, ut eodem die Sara, Raguelis filia, etiam derisa, aut liberationem ab eiusmodi ludibriis, aut mortem a Deo precaretur, ut preces simul fusae, simul exaudirentur, et hae personae sibi invicem prorsus ignotae coniungerentur; is statim fictionem sentit, et si rem ipsam nullo modo negare cupit, narrandi tamen modum fabulosum iudicat. Tobias et Sara uno temporis momento et eadem de caussa animo affecti sunt, eodem die precantur, amborum preces Deo ab angelo referuntur, ambobus auxilium mittitur per eundem angelum et quae sunt huius generis alia [2]).

Invenimus vero in scriptis Lucae plures hoc modo delineatas narratiunculas. Initium faciamus a narratione, quae est in Actis Apostolorum cap. X. Cornelius quidam, centurio e cohorte italica, Caesareae versans, qui dicitur homo pius, Deum colens, multa populo iudaico beneficia erogans, precibus assidue vacans, per visum distincte conspicit hora tertia pomeridiana angelum ad se ingredientem seque compellantem: Corneli! Hic cum metu repletus interroget, quid velit? respon-

2) Vid. quae prolixius exposuerunt Eichhornius in introductione in libb. apocryphos V. T. Ilgenius in commentario exegetico et critico super historia Tobiae (Jenae 1805.).

det angelus, pietatem eius probitatemque Deo esse cognitam, Deumque hanc remuneraturum esse summo beneficio, hoc nimirum, ut de Christi doctrina edoceatur; iubetque Cornelium per nuntios Joppen, qui locus plura milliaria a Caesarea remotus est, missos Petrum arcessere. Cui mandato ille statim obsequium praestat. Cum hi legati sequenti die oppido appropinquarent, Petrus circa horam prandii, postquam precandi caussa in supremam aedis partem ascenderat, ibi deliquium animi patitur, in quo visum habet, quod ei tandem hoc persuadet: Deum neminem, neque Judaeum, neque paganum coetu Christiano excludi velle, utrumque posse recipi in ecclesiam. De quo certior factus Petrus, qui hactenus omne consortium cum paganis fugerat, et fugere debere opinatus erat, die sequenti legatos, quos ad se invitatos hospitio exceperat, Caesaream sequitur et Cornelium eiusque cognatos et necessitudine coniunctos de doctrina Christiana edocet. Quis dubitare potest, quin etiam hic multum arti tribuendum sit? Hoc quidem loco neque apparitionem neque dicta angeli curamus, sed hoc tantum: quod duo homines locis multa milliaria a se invicem remotis habitantes, quorum alter alterum nunquam novit, visa dicuntur habere, quibus divinitus monentur, ut, quod unius officio, alterius commodo convenit, agant perficiantque. Videmus scriptorem narrationem consulto ita instituentem. Equidem mihi persuadere non possum cum Eichhornio, qui tamen caeterum in tota hac pericopa plurima opinionibus iudaicis accommodate dicta putat, in consociatione duorum visorum Cornelii et Petri, et praesertim in consociatione visionis Petrinae et appropinquationis legatorum ad oppidum Joppen vestigia summae providentiae deprehendi 3). Negari quidem non potest, pro-

3) In bibliotheca univ. litterar. P. III. p. 423.

videntiam divinam haec ita dirigere potuisse, sed desunt apud scriptores sacros, excepto Luca et libri Tobiae auctore, exempla de eiusmodi ratione Dei plures homines a se invicem remotos una monendi, ut alter eo lubentius faciat vel audiat, quod alter cupit aut docet, imo ut fere cogatur aures et manus benevolas praebere. Quicunque secundum alios scripturae sacrae libros mandata divina accipit, illa exsequitur coram hominibus, quorum iudicium nullo modo captum est. Sic Petrus fortasse Cornelium, quem discendi cupidum invenit, opinione de fugiendo cum paganis consortio, quam adhuc contra mandatum Christi (Matth. 28, 19.) foverat, monitu divino devicta edocuit; vel Cornelius Petrum divino iussu adiit, est hic illum re bene considerata in societatem Christianorum recepit. Sed qualiacunque tandem fuerint, quae evenerunt, ea Lucas non sine ornatu quodam, enarrat.

Habemus aliud exemplum visionis uno tempore duobus hominibus oblatae, qua hi ambo in societatem veniunt. Videamus primam partem cap. IX. Act. Apostolor., ubi de Pauli conversione agitur. Paulum, cum parum abest a Damasco, subito lux coelitus delapsa circumfulget. Quo facto in terram prostratus vocem audit se alloquentem: Saule, quare me insectaris? Quaerenti vero: quis es, domine! dominus respondet: Sum Jesus, quem tu insectaris. Surge, intra urbem, et dicetur tibi, quid te facere oporteat. — Per visum igitur Paulus monetur. Eodem modo Ananias. Pergit enim Lucas versu decimo: Erat autem Damasci discipulus quidam (Christi), nomine Ananias, quem dominus per visionem allocutus est: Anania! cui ille: Ecce adsum, domine! Dominus porro dixit: Surge et egredere in plateam, quae recta dicitur, et quaere in domo Judae Saulum Tarsensem; scito enim, eum precantem vidisse per visum virum aliquem, nomine Ananiam, ingredientem ad se, et sibi manum imponentem, ut ocu-

lorum usum reciperet. Uterque visionem habet, alter, ut ab Anania edoceri se patiatur, alter, ut Saulum edoceat. Utrique Iesus ipse per visum apparet, et colloquium cum utroque habet, quo animis timorem expellit et fiduciam mutuam iniicit. Cui non patet Lucae studium, quae evenerunt, ita narrandi, ut magis placeant et admirationem excitent! Si rem ipsam spectamus, apparet, unum Pauli visum suffecisse, ut hic, amplioris institutionis cupidus factus iuberetur Ananiam adire aut arcessere. Ananias autem, ubi e comitibus ea, quae in itinere evenissent, cognoverat, haesitare non potuit, quin Paulum viseret et pauca illa, quae cum illo communicanda erant, edoceret. Nec vero inaudita, neque Ananiae hactenus incognita erant, quae Paulo tradere debebat. Ita magis efficitur, esse in narratione nostri auctoris prima de Pauli conversione aliquid ficti, ubi Paulum ipsum, primo coram Iudaicis, deinde coram Agrippa verba facientem audivimus: „Cum visu carerem, inquit ille cap. XXII. prae luminis istius fulgore [4]) a comitibus meis ductus Damas-

---

4) Commentatores hoc eventum mirabilius reddunt, quam secundum Lucae verba fuit. Lumen coelitus delapsum de fulgure, coelo sereno cadente, φωνὴν de tonitru intelligunt. (Vid. Ammonium in commentat.: De repentina Sauli ad relig. Christ. conversione in opp. theolog. pag. 20. Eichhornium in biblioth. litt. bib. Vol. VI. pag. 1.) Sed mea quidem sententia lumen illud de splendore intelligendum est, qui personas coelestes hominibus apparentes, et Schechinam, cuius descriptione scriptorum iudaicorum libri referti sunt, circumdare solet. Obvia sunt exempla in libris V. T. et Apocryphis. Prae omnibus commemorandum est, quod Num. cap. III. vers. 2 sqq. narratur. Vox vero audita est Christi, quem Paulus in ἐκστάσει videbat. Qui aut vere Paulo apparuit, aut phantasiae eius oblatus est, idem locutus est aut vere, aut homini ἐκστατικῷ loqui visus.

cum veni. Ananias vero quidam, homo leges religiose observans, omnibus Iudaicis Damascum habitantibus probatus, venit ad me, imposuit mihi manus, meque allocutus est his verbis: Saule dilecte, recupera visum." In his ne verbum quidem de visione Ananiae legitur, sed simpliciter narratur, Ananiam ad Paulum venisse. In oratione vero coram Agrippa Paulus se excitatum, sibique munus doctoris inter gentiles iniunctum esse profitetur a Domino apparente ipso, quod Ananias cap. XXII tantum innuit. Dicat fortasse aliquis, Lucam apud lectores posuisse priori oratione notitiam eorum, quae evenissent; cui respondendum est, Paulum in oratione sua hanc notitiam non ponere potuisse, et mirum esse, quod aliquid taceat, quod magnum apud Judaeos momentum habere debuit. Quibus si quis opponere velit, quod non Pauli ipsius verba laudentur, sed orationes a Luca compositae vel exornatae, hic illa obiectione aliud nobis argumentum, cur eius narrationem artificiosam dicamus, suppeditaturus sit, quod ipsum postea adhibituri sumus. Nunc quidem tertium exemplum proferendum est, quo Lucas repetita visione vel potius apparitione angeli homines procul a se commorantes consociat. Hoc exemplum e cap. I. Evangelii depromtum est. Zacharias, sacerdos, qui et ipse consenuit, et cuius uxor, Elisabetha, aetate provectior fuit, liberis carent, quorum vero desiderio tenentur. Accidit aliquando, sic narrat Lucas, ut pro muneris ratione thuris adolendi partes in templo sortitus sanctum ingrediatur. Ibi legatus coelestis ei apparet, eumque metu perculsum alloquitur: Ne metuas, inquit, Zacharia! exauditae sunt preces tuae; Elisabetha uxor filium tibi pariet, cui nomen Ioannis impones. Iam multis verbis exponit angelus, qualis hic puer futurus sit, quale eius in posterum officium et vitae genus. Cum autem Zacharias verbis angeli non paratissimam fidem habere videatur, hic illi testimonium veritatis, in quo

simul est quaedam castigatio, perhibet. Post sex fere menses idem ille legatus divinus Mariae, virgini in oppido Nazareth habitanti, viro cuidam nomine Ioseplii, e Davidis gente oriundo, desponsatae apparet, eamque divino beneficio ornatam mulieremque felicissimam salutat. Maria animo perturbata secum cogitat, quid sibi velit eiusmodi salutatio. Tum legatus: ne metuas, inquit, favorem quippe divinum nacta es. Scito, te concepturam esse et parituram filium, cui nomen Iesu impones. Iam et de hoc puero, qualis futurus sit, plura addit. Mariae autem, ex angelo quaerenti, quo modo hoc fieri possit, quum ipsa nondum rem cum viro habuerit, angelus respondet, fore, ut pariat filium Spiritu Sancto interveniente, eique ut persuadeat, graviditatem Elisabethae, cognatae suae, aetate provectae, testimonii loco adhibet. In quo nihil est vituperii, quoniam res non potuit Mariae virgini non videri dubia.

Ad Zachariam igitur et Mariam idem legatus missus, eadem animorum affectio, similis eventus illis adnunciatus, simile de nuntii veritate testimonium! Sic inter Zachariam, Elisabetham et Mariam arctius vinculum nectitur, et futura inter Ioannem et Iesum necessitudo significatur. Talia qui apud quemlibet alium scriptorem narrata inveniat, illa contra historicam probabilitatem relata iudicaturus sit. Apud scriptorem sacrum, qui res et factat radit solito rerum nexui per se omnino non consentanea, eiusmodi narrationem, fictae formae speciem prae se ferentem, vix miram esse existimes. Quod et ipse statuerem, nisi Lucae narrandi ratio, aliunde cognita, alia suaderet, nec in relatione nostra inessent, quae sine dubio, ut magis placeant, admixta sunt. De quibus deinde locuturi sumus. Cum autem Lucae stilus, sicuti vidimus, arte quadam non careat, in narrationibus etiam de nativitate Ioannis et Iesu nonnulla ornatus caussa adesse videntur. Quae sententia

pluribus argumentis firmatur, si comparationem illius narrationis cum narratione Matthaei et Ioannis de primordiis vitae Jesu comparamus. Ioannes nihil plane de consanguinitate Mariae et Elisabethae, nihil de pueris gignendis, iisque divinitus annunciatis, habet, neo prius, si eum audiamus, ipsi innotuit, Iesum esse Messiam [5]), quam postquam viderat, „spiritum columbae instar coelitus delabentem eique insidentem," quod indicii loco habere iussus erat. Videmus haec conciliari non posse cum Lucae narratione. Nam si vel maxime hoc demus, ea, quae Ioannes praeteriit, apud Lucam deleri non debere, narrationi tamen Lucae aperte repugnat, quod Ioannes, Iesum Messiam esse, usque ad baptismi tempus ignorasse dicitur. Apud Lucam angelus disertis verbis Mariae praedicit, filium, quem vi divina singulari conceptura et partura sit, maximum fore et Dei filium vocatum iri, Deumque illi regnum Davidis in perpetuum concessurum esse. Zacharias quoque Iesum, cuius antecessorem nuntiumque Joannem filium agnoscit, tanquam Messiam celebrat. Quomodo igitur fieri potuit, ut Ioannes baptista illum Messiam esse ignoraret, quem pater talem fore, priusquam natus esset, praedicaverat. Consentiunt Ioannes et Lucas in hoc tantum, quod Dei filius homo factus et Iesu nomine insignitus sit. Quem enim Ioannes *λόγον* nominat, eundem quoque *μονογενῆ υἱόν*; de eoque dicit: *σὰρξ ἐγένετο.* In hoc Ioannes et Lucas Matthaeum habent consentientem, qui dicit cap. 1. vers. 18. *Μαρία εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου* et paullo post vers. 20. *τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου.* Sed

---

5) Concedendum puto, verba Ioannis: *κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν*, hoc sensu sumi debere. Si magis ea urgere vellemus, Ioannes negaret, se vidisse et novisse Iesum. Cfr. TITTMANNI V. S. R. Meletemata sacra in Evang. Ioannis ad I, 30. p. 85.

neque hic de consanguinitate Mariae et Elisabethae, aut de eodem legato Zachariae et Mariae apparente, neque de itinere Mariae ad Elisabetham statim post acceptum nuntium facto aliquid narrat. Videntur potius nonnulla apud Matthaeum et Lucam sibi repugnare. Lucas non solum nihil refert de dubitatione Iosephi, num Mariam gravidam uxorem ducat, an repudiet, sed Mariam de graviditate tam inaudita ne dubiam quidem facit et per aliquod tempus certa illius indicia exspectantem, ut virum, cui desponsata erat, certiorem de re inopinata redderet, et ex eo, quae facturus esset, audiret. Sed festinanter oppidum Hebronem, aut, ut alii putant, Iuttam, ubi Zacharias et Elisabetha habitabant, petit, et tertio mense graviditatis fere praeterlapso, demum Nazarethum redit. Secundum Matthaei narrationem parentes Iesu Bethlehemi incolae fuisse videntur, qui tandem post reditum ex Aegypto, accepto mandato divino, in urbe Nazarethi fixerunt sedem. Secundum Lucam hoc oppidum perpetuum Mariae et Iosephi domicilium erat, census tantummodo caussa in urbem Bethlehemum proficiscuntur, et postquam Iesum infantem, hebdomadibus puerperae finitis, Hierosolymam deduxerunt, ut illum secundum legis praescriptum Deo sisterent, Nazarethum redeunt, ibique habitant. Si haec vera sunt, tunc doceas, quaeso, quomodo per sex illas hebdomades evenire potuerint, quae Matthaeus de Magis, de salutatione eorum, de infanticidio Herodis, de fuga parentum Iesu in Aegyptum et de mandato post Herodis obitum accepto, ne Bethlehemum redirent, sed in tractu Galilaeae domicilium facerent, nobis narrat.

His tribus commentatoribus de primordiis vitae Iesu et Ioannis inter se comparatis, de hoc nobis firmissime persuadere possumus, Iesum a Maria, more non solito, sed κατὰ πνεῦμα natum esse et illius filium eundem Dei filium fuisse. His tanquam verisimilia addamus, quod Zachariae aeque ac Mariae ante filios natos indicio quo-

dam divino significatum est [6]), filios tales futuros esse, quales certo erant. Reliqua vero formae narrandi Lucae consuetae tribuenda sunt. Idem et Schleiermachero placet, qui, quae in tribus illis de natalibus Iesu et Ioannis narrationibus inter se conveniunt, et quae sibi repugnant, uberius exposuit libro cui titulus: *Krit. Versuch über die Schriften des Lucas*, inde a pag. 41. Quum vero eidem illa sententia magis arrideat, caput Lucae primum breve poëma esse, idque integrum, quod Lucas iam invenerit, et cum sequentibus coniunxerit, in his Viro doctissimo assentire non possum. Mihi quidem videtur narratio illa, quam et ipse pro poëtica habeo, a Luca composita, cum eiusdem sit formae, cuius aliae ex Actis Apostolorum laudatae. Neque argumenta sufficere puto, quibus ille se demonstrasse censet, duobus prioribus capitibus plures pericopas contineri a pluribus auctoribus litteris consignatas, Lucam vero eas collegisse et in unum redegisse. Caput scil. primum integrum, deinde a cap. II. versu primo usque ad vigesimum, porro a vers. vigesimo secundo usque ad quadragesimum; denique a versu sequenti usque ad finem [7]).

---

6) Verisimilitudo aliqua ex parte αὐθεντίᾳ priorum duorum capp. Matthaei nititur. Si haec duo capita primitivo Matthaei commentario sive graecus interpres, sive is, qui seriore tempore illum in ordinem redegit, addiderit, tum et haec ex traditione tantum sunt composita. Multum de authentia horum capitum est disputatum. Breviter sed sufficienter Ammonius V. S. in Novis opusc. theologg. commentatione II. p. 31 sq. ostendit, cur pro additamentis sint habenda. Plura videbis apud Eichhornium in introductione in N. T. Paulus in Comment. in N. T. contrariam sententiam probare studet. Cfr. Kuinoel. comment. in N. T. ad h. l.

7) Huic dissertationi praeivit eruditissimum Gersdorfii opus, tempore, quo auctor scripsit, illi incognitum: *Beiträge zur Sprach-Charakteristik der Schriftsteller des N. T. Lpz.*

Sunt autem argumenta, quae ipse pro gravioribus habet, A) Verba extrema Cap. I. eiusmodi esse, quae narrationem integram et absolutam declarent. De puero enim Ioanne recens nato praedicari incrementa animi et vitae genus sequentis aetatis. Sic narratiunculam eadem ratione finitam esse, qua quamcunque aliam historiolam de amantibus auctores finirent, allatis nimirum fatis aut rebus gestis posteriorum dierum. B) Cap. II. vers. 4. repeti Iosephi et Mariae domicilium in urbe Nazaretho et originem illius e gente Davidica, ac si de utroque nondum mentio facta esset. — Quod ad primum attinet, ideo ex illa formula extrema nihil mihi sequi videtur, quo viri doctissimi sententia commendetur, quoniam ter in duobus illis capitibus iisdem fere verbis repetita est, quo certe hoc probatur, illas pericopas non diversis auctoribus tribuendas esse. Plures enim eandem sententiam eodem modo exprimere non solent. Videtur potius haec formula Lucae solemnis indicare, quae porro allaturus sit, longo temporis spatio distare a narratis. Addit formulam illam hymno Zachariae, qui idem spem patris de puero recens nato continet, quoniam de Ioannis infantia et iuventute nihil amplius memoria tradere potest, quam in universum hoc, quod insignia animi incrementa ceperit. Quae

---

1816. Gersdorfius singula duorum priorum capp. evang. Lucae commata in censum vocat et ostendit, in illis duobus quoque capitibus inveniri, quaecunque Lucae per utrumque commentarium sunt peculiaria: verba, phrases, usus et structura verborum. Censor huius et Schleiermacheri operis supra l. in Anall. theologg. 1812. plures observationes, Gersdorfii sententiam fulcientas, addidit. Uterque his observationibus validissimum αὐθεντίας pro duobus priorr. capp. Evangelii argumentum exhibuit. Vid. apud Gersdorfium inde a pag. 160. usque ad pag. 272. et *Theologg. Annalen, Jahrgang* 1817. *Heft II.*

Addit. auctoris.

cap. III. refert, ad tempora provectioris aetatis pertinent. Utitur eadem formula cap. II. vers. 40. de Iesu, postquam Simeon et Anna infantem futurum liberatorem Israelis salutaverant; quoniam nihil memorabile abhinc usque ad annum duodecimum aetatis Iesu habet, quod referat. Qua eadem de caussa cum illis verbis vers. 52. finem facit historiae de pueritia Iesu. Repetitionis autem domicilii et gentis caussa sufficiens in loco ipso c. II. v. 4. adest. Indicandum erat, cur incolae Nazarethi e gente Davidica Bethlehemum iter facere debuerint. Quibus argumentis cum Schleiermacherus in tractanda ultima pericopa a vers. 41. usque ad finem capitis tertium addat: hanc pericopam auctorem habere graecae linguae et numeri magis gnarum, et iure ipsi Lucae tribui posse, quippe qui in introitu libri sui graecae linguae peritum se praebuerit; mira sane videtur haec sententia apud Schleiermacherum, qui primam sectionem, quod alio quam introitus stilo scripta sit, certe hac de caussa Lucae non abiudicandam esse contendit. Nullo igitur modo mihi persuadetur, Lucam narrationem prioris capitis de primordiis vitae Iesu et Ioannis iam litteris consignatam reperisse, eamque operi suo praeposuisse. Convenit enim quam maxime rationi ab eo usurpari solitae. His tribus exemplis huiusmodi tractationis addere liceat quartum, in quo illa minus in oculos incurrit.

Narrationem puto de Anania et Sapphira, quae legitur in Act. Apost. cap. V. vers. 1—11. Non opus est, ut historiolam ipsam repetam. Hoc tantum in memoriam revoco: Petrus et Ananiam, et post intervallum circiter trium horarum, Sapphiram eodem modo alloquitur, iisque significat, scelus (si hoc nomine factum eorum appellare velimus) quod ignotum putavarint, bene sibi cognitum esse. Ambo terrore perculsi illico ad pedes apostoli prolabuntur et morte repentina corripiuntur. Iuniores in coetu Christiano statim efferunt

mortuos et sepeliunt. Narratio vix probabilis. Potest quidem homo, terrore inopinato perculsus, vita privari, sed num verisimile est, duos coniuges eodem die propter eandem detectam fraudem aequali morte repentina corripi? Fortasse solo pecuniae amore ducti inconsiderate egerunt. Fortasse de fraude cogitaverant. Sed sive vera fraus illa fuerit, sive hos coniuges eo animo fuisse sumamus, ut sibi aliquid de pretio agri detrahere, et tamen speciem summae liberalitatis prae se ferre vellent; sive eo, ut, pretio agri publico aerario ex parte tantum tradito, alimenta tamen ex illo poscerent, ac si nihil sibi reservassent, num haec qualiscunque fraus tam atrox fuit, ut Apostolus eam morte mulctare deberet? Quodsi vel maxime ponamus, Ananiam et Sapphiram scientes et volentes, nullo periculo aut metu urgente, peccasse, imo hoc pessimo consilio egisse, ut Apostolos ludibrio exponerent, quasi non essent divinitus edocti, non participes τοῦ πνεύματος ἁγίου facti [8]); res tamen Christianorum consistere potuerunt, etiamsi eiusmodi peccatores non vita privarentur. An suffecisse negabis, si coetu Christiano illico excluderentur? Sed dicat aliquis, non Petrum tam severe puniisse (quod tamen concedi nequit, cum Petrus uxori mortem repentinam praedicit), sed Deo sic dirigente obiurgationem et metum tantam in illos homines vim exercuisse, ut exspirarent. Hunc bene reputare volumus, quod secundum Christi doctrinam calamitates et mortem adeo repentinam, si vel maxime peccata sequantur, pro poenis divinis non habere debeamus. Hessius [9]) facinus Ananiae coniugisque cum facinore Iudae comparat. Quali vero ratione Iesus Iudam puniit? Verbis illis: Iuda, prodisne osculo filium hominis!

---

8) Vid. Rosenmüllerum in Scholiis ad h. l. et Morum in Version. et Explic. Actorum App. edit. a Dindorfio.

9) Vid. Historiam et opera Apost. Vol. I. p. 89.

Alia insuper huic narrationi inest difficultas, quae commentatores fugisse videtur, quam equidem, quomodo tollam, nescio. Notissimum quidem est, Iudaeos brevi tempore postqnam exspirassent, mortuos sepeliisse; sed quis exemplum afferre potest, quod hoc ipsa mortis hora factum esse doceat? Cuinam persuaseris, non pervulgatum esse rumorem de hoc eventu, non innotuisse mortem violentam magistratui; neminem non inquisivisse in Apostolum et in coetum hominum, qui Iudaeis tanto odio erant? Omnes hae difficultates sublatae sunt, si narrationem Lucae secundum eius relata referendi rationem diiudicas. Ad hanc rationem pertinet, quod cum duo homines simul idem faciant, sentiant, experiantur, eidem fato subiiciantur, res hoc modo in maiorem admirationem rapiat. Vix dubitari potest ad certum quoddam consilium, de quo infra disputabimus, Lucam et hanc potissimum historiam e traditione (καθὼς παρέδοσαν cap. I. evang. v. 2.) elegisse.

Alterum, in quo forma poëtica deprehenditur, hoc est, *quod Lucas plures homines, de quibus narrat, verba facientes introducit.* Ubicunque scriptor historicus regi, magistratui, duci orationes, quas omnino non, aut non iisdem verbis habuerunt, quae leguntur, tribuit, ut nobis ante oculos ponat, quomodo illi multitudinem excitaverint, moverint, vicerint, abripuerint, tum poësis ad historiam accedit. Quodsi demonstrari potest, sermones, quos Apostoli vel alii homines habuisse dicuntur, a Luca ipso compositos illisque affictos fuisse, tum nobis persuadebimus, eum non simplici stilo historiae uti, sed quaerere quasdam vel variationis vel vigoris illecebras, quibus lectorum animos vehementius vel percellat vel mulceat. Sed tantum abest, ut omnes sermones, quos apud Lucam legimus, fictos esse existimem, ut excipi velim primo omnes, quos a Iesu habitos refert. Et hic locus erit dicendi, in quibus sectionibus librorum eius forma poëtica inprimis deprehen-

datur. In iis nimirum, in quibus neque documenta litteris consignata, neque narrationes secundum certum typum certis verbis ab uno ad alterum propagatas, sed traditiones tantum ab aliis aliter prolatas sequitur. In priore igitur libro, qui evangelium dicitur, poëseos ope tantum ab initio et in fine utitur. In reliquo libro partim illa scripta ante oculos habebat, quae Eichhornius evangelium primitivum nominat [10]), aut, ut alii [11]) volunt, eiusmodi narrationes, quae paucis mutatis millies repetitae erant, et apud Matthaeum et Marcum quoque inveniuntur, partim seriem aliarum narrationum, quae peculiari libro contentae fuisse videntur [12]). In Actis autem Apostolorum, in quibus describendis nulla documentorum auctoritate tenebatur [13]), sed solummodo secundum traditionem, et quae viderat audiveratque, refert, plurima sic narrat, ut nunc sui animi commotione elatus poëticam quandam probabilitatem

10) In introductione in librr. N. T. vol. I. et in biblioth. litt. bibl. tom. V.

11) Vid. Eckermann. in praefat. versionis germanicae N. T. et Schleiermacher. in h. l.

12) Eichhorn. l. l. Schleiermacher. l. l. et alii.

13) Quod Luc. act. app. non composuerit e documentis litteris consignatis, sat gravibus argumentis contendit Eichhornius. Königsmannius vero in prolusione de fontibus commentarr. S. S. qui Lucae nomen praeferunt, Altonae 1798. Boltenius in praefat. ad vers. germ., quibus Zieglerus in neuest. theolog. Journal. vol. VII. part. II. Heinrichsius in Prolus. in Act. App. p. 19 sqq. Bertholdtus in introduct. in librr. V. et N. T. Vol. III. 1332. assentiunt, pro vero habent, Lucam scripta quaedam secutum esse, et nonnulla ad verbum inseruisse. Posterioris generis e. g. est decretum illud apostolorum cap. XV. ecclesiae Antiochenae missum. Si vel maxime Lucas κήρυγμα et πράξεις τοῦ Πέτρου ante oculos habuit, haec scripta ipsa e traditione erant litteris mandata, iisque Lucas sine dubio liberius i. e. ita usus est, ut suam narrandi rationem teneret.

sequatur, nunc, prouti affici velit lectorum animos, multa exornet, nec dubitet praetermittere, quae vulgaris rerum ordo postulat, vel addere, quidquid percellere possit mentem et admirationis ope illud maxime persuadere, cuius caussa omnis narratio suscepta sit.

In omnibus igitur praeceptis, sermonibus, fatis Iesu, quae Lucas nobis tradidit, nihil, vel parum reperitur, quod ipsi proprium sit. Fide dignissima sunt, si vel eorum sententiae assensum iure denegemus, qui evangelium Lucae Paulo probatum fuisse et pro suo agnitum (Rom. 2, 16.) statuunt. Etenim potuit Lucas diligentius perscrutari vitam, sermones et res gestas Iesu, quippe qui certe cum Paulo per aliquod tempus in Palaestina commoraretur, si non iam antea ibi commoratus fuerat. Ut autem certorum testium fidem sequeretur, propositum ei fuisse ex ipso evangelii initio elucet. Consentiunt autem pleraque, quae Lucas tradit, cum Matthaeo, qui αὐτοπτης erat et singulari Dei auxilio fruebatur. Quae vero solus narrat de Iesu praeceptis, parabolis, sermonibus, divino doctore dignissima sunt, et optimis adnumeranda, quae nobis de Iesu doctrina docendique ratione tradita sunt [14]). Habes gnomas, parabolas, sermones, quorum forma ab illa, quae Lucae in Actis Apostolorum et in initio Evangelii placuit, longe diversa est.

Hanc igitur in illis orationibus, sermonibus et hymnis, quos tanquam ab aliis prolatos laudat, diligentius spectemus. Sed et hi inter se differunt. Concedi debet, Apostolos, Petrum, Iacobum et Paulum eiusmodi orationes, quales in Actis invenimus, habuisse. Data iis erat occasio verba faciendi coram populo et coram iudicibus. Concedendum est, Lucam, qui Pauli comes

---

14) Videantur Eichhornius h. l. et Kuinoelius in comment. in N. T. Vol. II.

erat, in itinere a Troade per Macedoniam, Hierosolymis et inde Romam usque, sermones Pauli coram populo (Act. c. XXII.), Athenis (cap. XVII.) coram Felice et Festo, et coram Agrippa (capp. XXIV. et XXV.) auscultare potuisse, neque inficias ibimus, Lucam e Paulo comperisse, quae ipse Antiochia, urbe Pisidiae (cap. XIII.), quae Stephanus (cap. VII.) locutus fuerit. Imo quis neget, Paulum adesse potuisse, cum Petrus verba ad populum faceret, et Lucam socium edocuisse, quae ille dixisset. Aut, cum Lucas ipse Hierosolymis longius commoratus sit, ibi et de Petri, Iacobi et Gamalielis sermonibus certior fieri potuit [15]). Nullo autem modo mihi persuadere queo, ullum horum sermonum aut prius, quam haberetur, aut postea ab auctoribus litteris fuisse consignatum. Meditati loqui vix poterant; subito verba facienda erant occasione oblata. Postquam autem locuti fuerant proximis diebus, neque tempus scribendi iis concessum erat, neque tam propensos ad scribendum illos fuisse, quam nostrates, probabile est. Neque verba fecerunt, ut ab hominibus serioris aetatis legerentur, sed ut praesentes vel iudices audirent et intelligerent. Quibus autem argumentis contendere licuerit, fuisse aliquem audientium, qui eiusmodi orationes calamo exceperit? Haec litteris quaevis consignandi cura non est istius aetatis neque istorum hominum. Ex mea igitur sententia Lucas de omnibus illis sermonibus, quos refert, omnia aut suis auribus percepta, aut ex aliis comperta habuit. Haec vero sua ratione in ordinem redegit, amplificavit, per-

15) E. Ziegleri sententia l. l. Lucas in iis, quae de Petri dictis rebusque gestis refert, libellos, quorum alter κήρυγμα τοῦ Πέτρου, alter πράξεις τοῦ Πέτρου inscribitur, sequitur. Assertit Bertholdt. in introd. in libb. V. et N. T. Vol. III. aliique.

oravit. Diligentior orationum indagatio hanc sententiam satis probabit.

Initium faciamus a duabus illis, in quibus Paulus visionis suae prope Damascum mentionem facit, quibus Lucas ipse verisimiliter interfuit (Act. cap. XXII. et XXVI.). Si ipsa Pauli verba legi statuimus, Paulus ipse sibi contradicit. Priori enim loco verba eius sic sonant: Ἀνανίας δέ τις, ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον--- ἐλθὼν πρός με καὶ ἐπιστὰς εἶπέ μοι. Σαοὺλ ἀδελφὲ, ἀνάβλεψον· κἀγὼ αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἀνέβλεψα εἰς αὐτόν. Ὁ δὲ εἶπεν. Ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν προεχειρίσατό σε γνῶναι τὸ θέλημα αὐτοῦ, καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον, καὶ ἀκοῦσαι φωνὴν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· Ὅτι ἔσῃ μάρτυς αὐτῷ πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὧν ἑώρακας καὶ ἤκουσας. In altera oratione ita loquentem audimus: Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς, ὃν σὺ διώκεις· Ἀλλὰ ἀνάστηθι, καὶ στῆθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου· εἰς τοῦτο γὰρ ὤφθην σοι, προχειρίσασθαί σε ὑπηρέτην καὶ μάρτυρα, ὧν τε εἶδες, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι. Ἐξαιρούμενός σε ἐκ τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἐθνῶν, εἰς οὓς νῦν σε ἀποστέλλω. Sic igitur Paulus uno loco idem se ex Anania audivisse dicit, quod altero loco Jesus locutus est. Num Paulus eandem rem, maximi sane momenti, diversimodo narrare potuit? Hoc sane largiri non possumus. Comparemus porro priorem locum cum narratione, quae est cap. IX. Hic iterum sibi repugnantia invenimus iam supra commemorata. In narratione enim de Pauli conversione et Paulus et Ananias per visa monentur et coniunguntur; in oratione Paulina eiusmodi visionis duplicis ne vestigium quidem reperitur. In illa insuper narratione legimus: Οἱ δὲ ἄνδρες, οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ, εἱστήκεισαν ἐννεοὶ, ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες. In oratione vero: Οἱ δὲ σὺν ἐμοὶ ὄντες τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο — τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι. Tertio loco cap. XXVI. καταπεσόντων ἡμῶν εἰς τὴν γῆν. Primo igitur loco comites aliquid audivisse, sed nihil vidisse, secun-

do loco aliquid vidisse, sed nihil audivisse, tertio denique terrae prostrati omnes fuisse dicuntur, nulla mentione facta, num quid vel audiverint, vel viderint. Sed cum in his locis Paulo Paulus contradicat et Paulo Lucas, fortasse aliquis ex his difficultatibus ita se expedire posse arbitratur, ut dicat, exinde Lucae historicam fidem elucere, quod a Paulo sibi ipsi non omnino constanti diversimode prolata, cum summa tamen ἀκρίβεια narraverit. Ita sane Lucae subveniremus, sed non Paulo. Huius autem verba accuratius sunt respicienda, iisque diutius est inhaerendum. Quapropter etiam Lucam errasse concedamus, ubi nobis cap. IX. narrat, Paulum a Damasco Hierosolymam diebus multis post profectum esse. Nam Paulus in epistola ad Galatas diserte dicit 1, 17. se, postquam a Deo vocatus fuisset et doctrinam christianam cognitam habuisset, in Arabiam abiisse, deinde Damascum reversum esse, triennio autem post Hierosolymam. Ad illud vero quam maxime attendendum est, quod in hoc ipso loco Paulus simpliciter dicit: εὐδόκησεν ὁ Θεὸς ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί. Pari modo 1. Cor. 15, 8. ἔσχατον δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι ὤφθη κἀμοί scil. ὁ ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν. De his omnibus igitur mirabilibus, quae Lucas suo nomine narrat, et in orationibus duabus Paulo tribuit, Paulus ipse, ubi vere loquitur, nihil dicit, neque ad ea in his locis neque ullo alio in loco provocat.

His omnibus ponderatis, quis non videt, nos neque veras Pauli orationes apud Lucam legere, neque hunc ipsum fictionis suspicionem magnopere curasse et evitasse. Aetati suae scripsit, eiusmodi historiographiam amanti, nec narrata ad unguem, uti nostra, resecanti. Cum ἔκστασιν illam, in qua Paulo Dominus apparuit, ratione sua exornasset, non potuit non ea, quae ornatus caussa addiderat in sermonibus quoque, quos Paulo

supposuit, respicere. Sed summum consensum inter ea, quae hic illic proferret, non anxie quaesivit [16]).

In orationibus, quas Paulus Athenis, deinde coram Synedrio et coram Felice habuisse dicitur, Lucas mihi verba ipsa Apostoli diligentius servasse videtur. Hierosolymae et Caesareae habitis interfuit, eaeque ita sunt comparatae, ut memoriae facile mandentur. Athenas quidem Lucas Paulum non comitatus erat, sed quae ibi apostolus disputaverat magis quam peroraverat, talia erant, ut, cum sentiret, quam prudenter et graviter dixisset, lubenter eum sua verba cum discipulo et socio communicasse probabile sit. In his orationibus est aliquid illi viro, qualem e scriptis suis et ex aliis a Luca narratis cognoscimus, proprium. Verba faciens vir est impavidus, sui compos, versatus, qui undique petitus, instante violentiae et mortis periculo, ita loqui callet, ut consilia adversariorum irrita reddantur, graves errores refutentur, sensus veri excitetur, stimulus, qui inhaereat, animis admoveatur. Quam accommodate Paulus in Areopago ad sententias Stoicorum et Epicuraeorum, quibuscum antea sermones miscuerat, et ad opiniones plebis locutus sit, quam scite illos philosophiam profitentes et hos superstitiosos simul et nova-

---

16) Ammonius in comm. de repentina Pauli conversione supra laudata, Eichhornius in hist. convers. Pauli ad christianam doctrinam in bibl. litt. bibl. Vol. VI. Hezelius in commeot. ad Act. 9, 8. omnes affirmant, Lucam multum ornatui dedisse, et in eo laborant, ut Pauli conversionem psychologice, ut hoc verbo utar, explicent. Miror, nullum ex his tribus locum e posteriore epist. ad Corinth. cap. XII. in auxilium vocasse. Nam etsi Paulus hoc loco illam visionem, quae conversioni occasionem praebuit, non descripserit, sed aliam quandam ἔκστασιν, inde tamen apparet, eum ad eiusmodi ἐκστάσεις fuisse procliviorem. Act. 22. 17. de tertia ἐκστάσει dicitur, in qua Paulus Hierosolymis fuerit.

rum rerum cupidos allexerit et simul correxerit, commentarii exponunt [17]). Itidem salutatio Tertulli, qui interpretis personam et patronum caussae coram Procuratore egit, eiusmodi homini quam maxime convenit, ut dubitari vix possit, Lucam pauca illa, quae protulit Tertullus, excepisse et memoriae fideliter mandavisse. Verba, quae in concilio illo Hierosolymitano Act. XV. Petro et Jacobo tribuuntur, vix genuina apostolorum putaverim. Jacobus enim gravissimum pro sua sententia argumentum e loco Amosi, prophetae, petit secundum Versionem Alexandrinam, quae quidem Lucae, sed non Jacobo bene cognita erat.

Quam maxime ingenia interpretum exercuit oratio Stephani. Longior est reliquis. Dubii sunt interpretes, utrum spiritus divinus illam Lucae, qui eam non auscultaverat, inter scribendum suppeditaverit, an, cum Lucas de singulari, quod ipsi contigerit, auxilio τοῦ πνεύματος ἁγίου nihil dicat, Paulo eam in memoriam accuratius revocaverit et hic illam Lucae tradiderit? Posterius nostra aetate Papius contendit [18]). Prior sententia eorum est, qui Lucae inspirationem defendunt. Sed oratio Stephani plena est errorum historicorum et in qualibet fere periodo pugnat cum libris Veteris Testamenti. Hoc vidit Lutherus, ex cuius sententia Stephanus divino spiritu non afflatus fuit. Et recentiores verba πλήρης τοῦ πνεύματος ἁγίου, quae de Stephano usurpantur, sic intelligunt, ut eum putent animo commoto, fiducia plenum, metu expertem locutum esse. Veteres sudarunt potius in eo, ut reconciliarent Stephani dicta cum V. T. effatis [19]). Opera, quae tamen aliis

---

17) Videatur in Comment. Mori in Act. App. a Dindorfio edito illius et huius annotata.

18) Vid. *Bremisches und Verdisches Magazin* de anno 1795.

19) Videantur Ioannis, et Ioann. Ernesti Gerhardi annotatt. in Act. App., quae anno 1674. Ienae prodierunt.

utilissimis quaestionibus ansam praebuit; ad illud reconciliandi consilium assequendum perdita! Debebant interpretes Lutheri iudicium respicere: Is mihi, inquit, magister erit, qui talia sibi repugnantia poterit conciliare. Qui cum Luthero concedebant, multa reconciliari non posse, sed Stephanum memoria lapsum fuisse suspicabantur, cum tamen divinam quandam inspirationem denegare nollent, difficultates ita effugere studuerunt, ut docerent: scriptores sacros in doctrinae quidem capitibus exponendis Sp. S. esse gubernatos, ne quid falsi traderent, sed in rebus historicis et chronologicis aut traditionibus eos esse suo sensu usos et secutos usitatas gentis suae opiniones [20]). Quodsi Stephanus orationem habuit erroribus plenam, ex qua eius consilium distincte colligi nullo modo potest (magnaque est in hoc definiendo diversitas), quam saepius turbarunt tumultus plebis, quam denique gravissimis contumeliis petitus, vellet, nollet, sistere debuit, num eam Lucae a Spiritu S. repetitam, num Paulo in memoriam revocatam dicamus, ut hic discipulo illam traderet? Hoc displicuit aliis, iisque potius sic visum est: hanc orationem servatam esse ab aliquo, qui cum eam audivisset, vel inter dicendum calamo eam excepisset, vel cum hoc ob multitudinis turbas fieri vix posset, memoriae mandatam litteris consignasset; sed esse tantum potiora orationis capita ab auditore illo arrepta, et pro eius ingenio, dum consignaret eam, proposita atque instructa, passimque nonnulla addita. Hic si fuerit homo iudaica et Rabbinica eruditione admodum imbutus: posse inde coniici, ea, quae rabbinicas fabulas et commenta redoleant, non Stephano, sed illi homini, vitio

---

20) Vid. ROSENMUELLERUS in Scholiis ad h. l. edit. quart. praeeunte MORO in Epit. theol. christ. p. 33 sqq.

esse danda [21]). Certo hoc nec affirmari nec negari potest. Mihi quidem videtur longe verisimilius esse, Lucam totam hanc orationem suo ingenio composuisse, nisi fortasse dixeris, eum quaedam a Paulo, sive ab alio quodam, tum cum Hierosolymis commoraretur, accepisse. Lucas, Judaeus Hellenista, vir eruditione iudaica imbutus, qualem se per totum librum suum praebuit, Versioni Alexandrina e indea puero adsuetus, historiam V. T. liberius tractavit, uti iam plures scriptores sacri V. T. seriores fecerant, e. g. Pss. 78. 105. 106., Ezech. cap. 20., Nehem. 9, 6 sqq., quemadmodum secuti erant auctores librorum Judith cap. V. et Siracidis passim, inprimis inde a cap. XLIV. et Sapientiae cap. X. sqq. et sicuti Lucas fere aequales habuit Josephum et Philonem innumeris in locis, e. g. Joseph. Antiq. lib. I. c. 2. §. 2. 3., c. 4. §. 3., o. 7. §. 1., lib. II. c. 2., Philo in vita Mosis. Praeterea haec oratio Stephano supposita eandem habet dispositionem, ut oratio apologetica Pauli cap. XIII. In hac pariter, ac in illa, oratores post multas ambages et historicam quasi deductionem ad defensionem progressuri sunt, de qua vero Stephanus exortu tumultu deturbatur [22]). Qua pari orationum institutione probatur, utramque unum habere auctorem, nimirum Lucam. In defensione ipsa, qua Paulus utitur, rursus cum Petro, qui primum die Pentecostes verba ad confluentem populum facit, mirum in modum convenit. Uterque enim eadem ratione Psalmum decimum sextum laudat, de resurrectione Jesu Christi explicat, resurrectionem tanquam luculentum

21) Haec est sententia I. Chr. H. Krausii in comment. in historiam atque orationem Stephani, cui adsensum praebuit Dindorfius, qui epitomen illius commentationis fecit et comment. Mori adiecit.

22) Vid. Eichhorn. in introductione in N. V. Vol. III. p. 39.

dignitatis Jesu, filii Dei et Messiae, argumentum asserit, et suam Psalmi explicandi rationem contra eos, qui eum de Davide intelligere velint, defendit. Sic neque Petri oratio genuina ipsius verba continere videtur, sed vel maxime ea, quae Petro, qui illo tempore populum allocutus erat, secundum traditionem [23]) tributa, Lucas sua ratione elaboraverit. Quod insuper Petri sermonem ad commendandam novi Apostoli electionem 1, 16 sqq. et Gamalielis orationem 5, 34—39. attinet, illum additamentum de agro sanguinis, hanc mentio de Theudae seditione tanquam fictitias arguit, quod ipsum exposuit Eichhornius [24]). Sermones, quos Petrus cap. X. cum Cornelio miscuit, cum ingenio Apostoli eiusque cogitandi et sentiendi ratione ita conveniunt, ut eos maximam partem genuinos censeam, et Lucas Hierosolymis vel a Petro ipso vel ab alio, qui praesens fuerit, eos comperire vel ex supra laudatis libellis desumere potuit.

Cum autem pro vero habendum sit, Lucam personas, de quibus narrandum erat, loquentes ita introducere, ut paucis, quae de eorum dictis et effatis noverit, sua admisceat, et orationes nobis suo stilo scriptas, sua ratione exornatas tradere [25]), num hymnos illos et sermones, quos in memorabilibus de infantia et pueritia Jesu legimus, genuinos dicamus? Quaerimus primo, unde Lucas illos acceperit. A Spiritus sancti afflatu eos derivare, cum Lucas sibi ipsi singulare divinum auxi-

---

23) Non omnino negaverim, Lucam traditionem scriptam fuisse secutum; quod quidem Ziegler o aliisque placet, conf. supra pag. 287.

24) h. l. pag. 26. 27. conf. tamen Mori annott. ad hos locos et Michaelis introd. in N. T. Vol. I. §. 12. et in notis ad translat. german.

25) Cui sententiae Boltenius quoque annuit in annott. ad vers. suam.

lium nullo modo vindicet, imo potius in verbis καθὼς ἔδοξε omnia ad suam ipsius indagationem et operam referat; cum etiam in scriptura sacra aliud exemplum, quod hominibus sermones, seu hymnos, qui iam olim prolati fuerant, divinitus traditos esse doceat, non occurrat, quis est, cui hoc nostra aetate in mentem venire possit. Paulus igitur (vid. Commeut. in N. T. pag. 9. edit. 2.) sententiam defendit hancce: commentarios quosdam ab aliquo Joannis Baptistae aut Jesu cognato consignatos, in Joannis familia fuisse reservatos, hos autem Lucam accepisse et historiae de Jesu Christi dictis et factis praemisisse. Passim quoque in notis adspergit, parum a vero abesse, qui putet, Mariam, quae plures Psalmos memoria tenuisset, hymnum suum e locis Psalmorum compositum, vere protulisse, et Zachariam, quae ipse elato animo locutus fuerit et quae ex Maria audiverit, litteris consignasse. Utrumque non omnino negari potest. Fortasse quaedam inter cognatos Joannis et Jesu litteris mandata reservata sunt; fortasse Maria et Zacharias verbis illis e V. T. repetitis laudes Dei spemque suam praedicarunt. Num vero angelus quoque? Quis huius, quis Mariae statim verba excepit? Cum affirmari nequeat, hoc ab ullo factum esse, verisimilius sane videtur, totam historiolam do primordiis vitae Joannis et Jesu ab ignoto quodam partim ex ore, partim e mente Mariae et Zachariae compositam esse inque familia reservatam. His concessis hoc quoque datur, illos hymnos non ipso temporis momento, quo prolati dicuntur, sed paullo post compositos, ex parte saltem alium habere auctorem, non eos, quibus tribuuntur. Quam opinionem Kuinoelius tueri videtur [26]. Qui cum eo conseutiunt, Lucam illos hymnos una cum narratione memorabilium in fa-

26) Cfr. Comment. in Lucam prolegg. pag. 231.

milia Mariae et Zachariae reperisse et evangelio proposuisse putant. Sed non video, cur, re ita comparata, Lucam ipsum auctorem agnoscere nolimus? Quid nos impedit, quominus concedamus, hunc ipsum e traditionibus in familia Zachariae obviis totam narrationem cum illis hymnis composuisse et litteris mandavisse, cum aliunde cognitum habeamus, eum personas suas loqui iubere? Novi illam obiectionem, quod praefationem, puriori graeco sermone scriptam, statim stilus Hebraismis plenus sequatur, unde colligendum sit, Lucam relationes Judaei Palaestinensis sequi et ad verbum in graecam linguam transferre. Hoc vero accuratius consideratum colligi nequit. Nam qui scite personas loquentes introducit, sermones et hymnos illorum non alia dialecto, quam qua adsueti sunt, componere debet. Et videamus quaeso, qualia sint, quae proferant Maria, Zacharias, Angelus, Simeon? Hymni sunt e phrasibus et formulis V. T. iisque secundum versionem Alexandrinam electis consarcinati. Iis Lucas consulto uti voluit. Habes igitur caussam sufficientem, cur non puriore graeca lingua usus sit. Fac, esse illam narrationem bene graecam, et omnis illusio laesa est. Paulus [27]) alia porro de caussa priora Evangelii capita auctori Zachariae aequali vindicare vult, quoniam auctor serioris aetatis vix cuilibet personae in narratione obviae tam bene convenientes opiniones, exspectationesque tribuisset. In Mariae enim hymno apparere progeniem e gente regia oppressa, restitutionem dignitatis pristinae sperantem; in Zachariae hymno sacerdotem, cuius summa spes sit, fore, ut cultus divinus a Romanis nullo modo impediatur; in eius hymno ostendi Josephum, pium Israëlitam, summa cum fiducia liberationem a peccatis et inde oriunda miseria exspec-

27) Vid. l. l. edit. alt. pag. 11 seq.

tantem; Simeonem in suo incolam metropolis, qui Messiam auctorem lucis speret, ad quem omnes gentiles conventuri sint. Auctorem alienum minus accurate ad res minutas dicturum fuisse. Sed qui supra de Lucae orationibus commemorata reputat, et in universum Lucae artem in componenda narratione respicit, vix viro doctissimo dabit, nos alium quemquam auctorem coniicere debere aequalem. Neque maioris ponderis est caussa, ex qua Schleiermacherus l. l. pag. 29. Lucae illos hymnos abnegat. Statuit nimirum, Lucam, si hymnos non accepisset, sed tantum pro consuetudine sua composuisset, plures allaturum fuisse, cum occasio oblata esset, e. g. cum Jesus natus esset. Sed sane Lucas artis tam rudis non erat, ut hymnos cumularet, et variationis delectationem plane negligeret.

His vero iam dictis aliud insuper argumentum accedit, cur seriori auctori, Lucae, duo priora capita maximam partem vindicanda putemus. Habuit enim, sive res narratas, sive formam narrandi spectes, typum in relationibus de nativitate Isaaci Gen. XVIII. Simonis Judic. cap. XIII. et Samuelis 1. Sam. c. I. II. Qui e lectione horum locorum ad nostram relationem progreditur, negare nequit, in illis non tantum stamina nostrae esse, sed partes iam elaboratas. Conferas, quaeso, rationem, qua Abrahamo et Zachariae senibus, filii promittuntur, conferas officium legatorum coelestium apud uxorem Manoae et apud Mariam; hymnum denique Hannae et Mariae; et videbis archetypa, ad quae Lucas suam relationem composuit. Quod inprimis ad hymnos attinet, habemus quoque similem in libro Tobiae cap. XIII.

Quodsi, ut par erat, demonstravimus, Lucam personis suis orationes et hymnos tribuere, ab iis vere non prolatos, illud mihi quoque largiendum est, quod dixi, eum poëseos adminiculis in narrando uti. Sic autem denique propterea statuo, *quod angelorum offi-*

cio multa evenisse narrat, et eventorum caussas occultas horum interventu illustrat.

Nolo repetere, quae de angelorum existentia, negotiis, ordinibus, nominibus sexcenties dicta sunt. Constat, iam in libris V. T. ante exilium scriptis saepius de angelis sermonem esse. Inter Persas autem Judaei doctrinam de angelis augebant et excolebant. Notissima sunt verba R. Simeonis: „Nomina angelorum ascenderunt in manum Israëlis e Babylone.“ Persae vero opiniones suas de angelis, quae in Zendavesta inveniuntur, tempore inprimis Darii Hystaspis finxerunt secundum morem, qui in aula regis obtinuit [28]). In libro V. T. post exilium scripto primum occurrunt angeli principes, qui regnis praepositi, iidem etiam ex mandato divino in auxilium hominum veniunt. Huius generis sunt angeli, qui Judaeae, Persiae, Graeciae praesunt, quorum, qui populo Judaico prospicit, Michael dicitur, alius nomine Gabriel venit. Dan. 10, 13.; 12, 1.; 8, 16.; 9, 21. Secundum hanc opinionem in versione Alexandrina verba Deuteron. 32, 8. „Deus constituit terminos populorum secundum numerum filiorum Israëlis,“ mutata videntur in verba: „secundum numerum angelorum Dei.“ In libro Tobiae angelus, qui 12, 5. Raphael cognominatur, mandata Dei, quae Tobiam eiusque filium et Saram respiciunt, exsequitur. Hic unus est ex illis septem angelis, qui throno Dei adstant, mandata divina accipiunt, preces et eleemosynas hominum ad Deum referunt et quasi in eius memoriam revocant. Nomina illorum septem an-

---

28) Quod satis solerter et luculenter docuit Eichhornius primum in Bibl. univ. litt. bibl. Vol. II. pag. 428 sqq. et deinde in introductione in libb. Apocryphos V. T. p. 408 sqq. Ilgenius vero in histor. Tobiae prooemio p. LXXXV sqq. ostendit, quomodo Iudaei opinionem Persarum mutaverint et cum suis opinionibus coniunxerint.

gelorum respondebant negotiis, quae iis a Deo mandata dicebantur. Sic angelo, qui Tobiae auxilium tulit, nomen imponebatur a sanando, *Raphael*; angelo autem, qui nuntius documenti potentiae divinae erat, nomen *Gabriel*. His angelis utebantur Judaei in describenda historia, uti Graeci et Romani Deos suos adhibent maxime in epicis poëmatibus [29]), tanquam personis, quarum interventu res humanae diriguntur, consilia peragenda vel accelerantur vel impediuntur, homines ipsi vel solatio eriguntur vel doloribus afficiuntur. Ita vero rerum factarum narratio apud Judaeos epicam prae se fert speciem, abitque prosaicus historiae sermo in poëtici generis similitudinem.

Hunc autem historiae describendae modum Lucas quoque sequitur. Angelus ille, cuius iam Dan. 8, 16. et 9, 21. mentio fit, Zachariae et Mariae apparet, Evang. 1, 19. 26. et se ipsum παρεστηκότα ἐνώπιον τοῦ ϑεοῦ nominat. Act. 10, 4. Cornelius per visionem distincte videt angelum, qui non expressis quidem verbis se dicit preces et eleemosynas Cornelii Deo obtulisse, attamen hoc innuit: Preces Cornelii et beneficia adscendisse in Dei memoriam, a quo missus sit ad mandata eius exsequenda. In pluribus aliis locis in Act. Apost. angeli apparent, qui auxilium ferant miseris, qui puniant Deo refragrantes, et in evangel. 22, 43. angelus Jesum ipsum in summo angore corroborat. Angelus Dei Mosi in deserto apparuit; ab eodem angelo Moses in monte Sinai legem accepit. Act. 7, 35. 38. De quo angeli negotio Matthaeus et Joannes ne verbum quidem habent. Interventus horum angelorum ex ca-

29) Sed etiam in historia describanda, uti Herodotus, nec non Xenophon, cfr. Beckii Progr. de iudicio artis historicae classicorum (Lips. 1803.) et Boettigeri Prol. 1. (Vimar. 1792.) de Herodoti historia ad carminis epici indolem propius accedeute.

dem illâ historiam scribendi ratione est diiudicandus. Eichhornius summa cautione et sollertia periculum fecit[30]), omnes illos locos, ubi in Actis angelorum mentio fit, e nexu rerum, qualis esse solet, explicandi. Act. 8, 26—40. 10, 1—8. 12, 3—11. 21—23. 17, 23. 24. Gablerus vero[31]) commentationem historico-criticam, philosophico-dogmaticam super Evang. 22, 43. exhibuit, ad cuius calcem multis ostendit, unde traditio de angelo Jesum confirmante originem ducere potuerit.

Parum hac explicandi ratione lucramur. Nil nisi hoc efficitur: ita esse, evenire potuisse. Ubi vero alius auctor historicus easdem res gestas eademque eventa memoriae tradidit, quae ab auctore biblico accepimus, tunc sane comparatio horum locorum instituenda est, et quaerendum, utrum quae mirabiliora sunt, secundum naturae leges explicanda putemus, an certas notiones, quibus uterque auctor biblicus aeque ac profanus in narrando ducitur, reperiamus. Huius generis narratio est, quae legitur Act. 12, 21—23. „Stato autem die," ita Lucas narrat, „Herodes veste regia indutus sedens in edito loco ad illos (Tyrios et Sidonios legatos) pro concione verba fecit. Ei vero populus acclamavit: En Dei vocem, non hominis! Sed illico angelus domini eum percussit, ideo quod Deo honorem non tribuerat; atque ille vermibus corrosus exspiravit." Conferenda est Josephi narratio Antiqq. lib. XIX. cap. 8. „Cum Herodes iam tertium annum rex esset universae Judaeae venissetque Caesaream, celebrabat ibi spectacula in honorem Caesaris, pro eius salute dies festos agens. His festis diebus convenerant proceres Palaestinae. Secundo die (hic est Lucae ἡμέρᾳ τακτῇ) Herodes indue-

30) Vid. bibl. litt. Vol. III. p. 380 sqq.

31) Vid. *Neuestes theolog. Journal.* Vol. I. pag. 2 et 3.

rat vestem totam argento obtectam, ut mirabilis plane esset eius textura. Cum in theatrum venisset, vestis illa radiorum solarium repercussione ita affulsit, ut divina propemodum et veneranda species Herodis videretur. (Apud Lucam *ἐνδυσάμενος ἐσθῆτα βασιλικήν.*) Statim autem alii aliter exclamabant, quod ei bene cedere non potuit, Deum appellantes et, propitius nobis esto! inquientes. Hucusque te tanquam hominem reveriti sumus, in posterum te natura mortali superiorem venerabimur. Hos adulatores rex non reprehendit, neque illam inpudentem adulationem amolitus est a se (apud Lucam: *οὐκ ἔδωκε τήν δόξαν τῷ θεῷ*). Paullo sursum spectans Herodes super capite suo sedentem vidit in funiculo quodam noctuam. Animadvertebat autem hunc esse angelum e numero maiorum daemonum, qui et ipse quondam inter bonos fuerat [32]), et sentiebat acerrimum dolorem. Secuta sunt ventris tormina statim ab initio vehementia. Conversis oculis ad amicos: „Et ego, inquit, Deus vester, quem paullo ante Deum dixistis, mori cogor, et fatum illico refutat falsas istas voces vestras" etc. Haec cum diceret, vehementi dolore macerabatur. Festinanter ergo domum deportatus est et rumor sparsus, eum esse morti vicinum. Cum ergo omnes essent in luctu et lamentatione, et ipse rex per quinque dies doloribus intestinis conficeretur, die tandem quinto obiit (apud Lucam: *καὶ γενόμενος σκωληκό-*

---

32) Ita vertenda puto verba graeca. Morus vertit: qui et ipsi quondam boni fuerant. Sed est singularis τὸν γενόμενον τῶν ἀγαθῶν. Eichhornius l. l. habet: *Er sah über seinem Haupte einen Todtenvogel und betrachtete ihn sogleich als einen Unglücksboten, da er ihm ehedem ein Glücksbote gewesen war.* Sic verba vix per se transferri possunt; nam Iosephus non habet ἄγγελον κακῶν sed ἄγγελον τῶν κακῶν. Praeterea nunquam in mythologia Iudaeorum bubo nuntius fortunae secundae creditus est.

βρωτος ἐξέψυξεν i. e. vel *φθειρίασει*, vel torminibus alvi a vermibus profectis exspiravit). Lucas non dicit: Herodem eodem die, quo angelus eum percussit, mortuum esse, sed simpliciter narrat, eum morbo, quo angelus eum adflixerit, obisse. Diligentissimi fuerunt interpretes, ut quaecunque in his duabus relationibus minus convenire videbantur, conciliarent [33]). Equidem velim animadvertamus utrumque auctorem morbum divinitus immissum indicare velle. Alter morbum dicit inflictum per angelum, qui bonus fuerit, an malus, non additur; alter bubonem facit nuntium malum, quoniam eius forma Judaei daemonem adventare putant [34]). Uterque igitur non simpliciter narrat, quae evenerunt, sed nobis explicare studet, quo Dei consilio, et quibus ministris auxiliantibus evenerint. Haec est Judaeorum narrandi ratio pragmatica, quae ex hac opinionis ipsorum significatione cum rerum vere factarum narratione confusa poëticae fictionis refert speciem.

Jam si de triplici illo artificio: quo Lucam in historia narranda usum vidimus, cogitamus, nullum ei similem inter scriptores N. T. invenimus. In hoc solo cum illo conveniunt, ut angelis i. e. bonis geniis multa tribuant. De malis geniis eadem loquendi ratio apud Lucam et alios Evangelistas obtinet [35]), et haec erat huius aetatis communis sentiendi ratio. Cum nostro nihil sit proprium, ea, quae de Satana et daemonibus occurrunt, praetermitto. Ubi vero Lucas de angelorum

---

33) Conf. Eichhornius l. l. pag. 401 sqq. Morus in Comment. edit. a Dindorfio ad h. l., ubi plures commentationes laudatae sunt. Michaelis in annott. ad vers. vernaculam.

34) Annott. Mori h. l. ad h. l.

35) Vid. Winzeri comment. de Daemonologia in sacris N. T. libris proposita.

bonorum officiis loquitur [36]), propius accedit ad ingenium scriptorum iudaicorum, qui post exilium fuerunt, quam ad scriptores N. T., qui neque de nominibus angelorum, neque de peculiaribus eorum officiis loquuntur, sed eos in universum Dei ministros appellant atque tanquam tales commemorant. Inter scriptoros Apocryphos habemus anctorem libri Tobiae, qui historiam eadem ratione artificiosa narrat. Hic, sicuti iam passim indicavi, homines remotis locis habitantes per eundem nuntium divinum, eodemque tempore monet, et quodam vinculo coniungit; idem personas suas preces et hymnos proferentes introducit, et quae eveniunt, angelorum interventu illustrat. Si quis eorum, quos fortasse primo intuitu male habeant, quae de forma poëtica commentariorum Lucae protuli, auctorem apocryphum perlegat, is facilius sentiet, narrationem habere poëticam indolem et artificiosae tractationis indicia.

E similitudine, quae inter formam libri Tobiae et inter Lucae scripta intercedit, iure colligi nequit, Lucam illius libri auctorem imitatum esse. Neque de aetate libri Tobiae constat. Incerta manent argumenta sententiae eorum, qui censent, adfuisse graecum libri exemplar aetate scriptorum sacrorum N. T. [37]). Fortasse Lucae liber Tobiae nulla ex parte innotuit, neque huius libelli auctori Lucae opus. Singula illa historiae tractandae artificia apud alios illius aetatis scriptores obvia erant. Placuit utrique auctori, simili ingenio instructo, illis in narrando coniunctim uti. Forma con-

---

36) Judaeis usitatum fuisse, ab angelorum officiis repetere ea, quae e viribus naturae explicari debent, etiam Tittmannus, V. S. R. concedit. Nam ad Joannis V. 4. ubi de angelo aquas balnei turbante sermo est, addit: Joannes videtur tribuisse aliquid ingenio Judaeorum.

37) Conf. Eichhornii et Ilgenii introduct.

veniens erat poetico ingenio, cuius alia quoque apud Lucam vestigia deprehendimus. Videsis sublimiores eius descriptiones ascensus Christi in coelum et eorum, quae die Pentecostes evenerunt. Tum in parvis mutationibus et additamentis narrationum, quas e collectionibus depromsit, studium eius, res magis adspectabiles, narrationemque vividiorem reddendi, observare licet. Lucas solus dicit, Spiritum sanctum descendisse super Jesum σωματικῷ εἴδει. Lucas e documento scripto sermonum, quos Joannes Baptista cum auditoribus miscuit, maiorem partem attulit, quam Matthaeus et Marcus. Idem ordinem tentationum, quibus Jesus a Satana exploratus dicitur, ita mutat, uti naturae locorum conveniat. Sub imagine quidem convivii beneficia hominibus per Christum conferenda etiam ab aliis Evangelistis adumbrantur, sed Lucas solus excusationes vocatorum a re domestica petitas affert. Lucas solus introducit dominum iubentem convivas undique a viis publicis, claustris, campestribus convocari. Luc. 14, 16—20.

Nostro auctori non hac tantum de caussa artificiosam tractationem tribuimus, sed etiam *propter delectum, quem in memorabilibus Jesu et Apostolorum pro certo consilio fecit.* Jam ad hanc alteram commentationis partem veniamus.

Plura apud Lucam non inveniuntur, quae exspectaveris. Dubii haerent commentatores, quo potissimum consilio Lucas δεύτερον suum λόγον Theophilo scripserit. Michaelis, Paulus, Zieglerus, Boltenius, Thiessius, Eckermannus, Eichhornius, Heinrichsius, Bertholdtus, Anonymus [38]), quisque aliter Lucae consilium definiunt. Sunt, qui negent, Lucam omnino cer-

38) In libro, qui inscribitur: *Geschichte des Urchristenthums im Zusammenhange mit der natürl. Geschichte des grossen Propheten von Nazareth.*

tum habuisse scopum, atque ex ore beati Mori, praeceptoris nunquam non summe venerandi, saepius audivi, Lucam litteris tantum, quae cognita habuisset, consignasse. Cui quidem sententiae ut assentiam, tantum abest, ut contendam, eum in commentario suo de rebus gestis Apostolorum plura, quae novisse potuit et sine dubio cognita habuit, omisisse. A quolibet interprete observatum est, Lucam pauca tantum narrationibus suis de Petro et Paulo adspersisse de reliquis apostolis. Haec *Zieglerus* collegit [39]), qui quidem contendit, Lucam vix plura dare potuisse, cum nulla ei cum reliquis Apostolis necessitudo intercessisset. Cui Gablerus in nota subiecta assentit, quippe qui monet, nullum apostolum cum aliis de institutis suis et rebus gestis communicasse, sed quemlibet pro suo consilio, nullo alius respectu habito, egisse. Haec quidem concedimus, sed ex his non sequitur, Lucam Hierosolymis non de pluribus certiorem fieri potuisse neque, ut equidem existimo, non factum esse. Nam cum Hierosolymam Paulum comitatus veniret cap. XXI., Jacobus et plures prisci discipuli, uti dicuntur, adfuerunt. Sed neque de Paulo, cum quo captivo Caesareae et Romae longo otio fruitus est, omnia memoratu digna, et sine dubio ipsi cognita refert. Nihil habet de itinere Pauli in Arabiam Gal. 1, 17., nihil de commoratione apud Petrum per quindecim dies 1, 18., cui a Luca 9, 16. narrata magis repugnare videntur. Nihil de eo, quod Paulum inter et Jacobum, Petrum, Joannemque compositum erat Gal. 2, 9., nihil habet de controversia, quae Paulo Antiochiae cum Petro fuit. Pauca tantum de periculis, infortuniis et improbis laboribus, de quibus Paulus ipse in posteriore ad Corinth. epist. longior est, memoriae tradidit. Nihil de ἐκστάσει, cuius Paulus in eadem

39) Vid. Journ. der theol. Litt. Vol. I. part. II.

epistola. 12, 2 sqq. mentionem facit, nihil de conditis coetibus apud Philippenses, Thessalonicenses etc. Qua de caussa Am-Ende [40]) in Christeide sua recte dicit, Lucam non integram Apostolorum historiam, sed quasi specimen historiae Apostolicae edere voluisse. Sed non in commentario tantum de Apostolorum rebus gestis multa sibi cognita omisit, sed etiam in commentario de dictis et factis Jesu, quae apud Matthaeum et Marcum inveniuntur, et quae ad collectionem narrationum sive scriptarum sive ore traditarum pertinuisse videntur. Ex his ea tantummodo afferro, quae eiusdem consilii gratia praetermissa sunt, pro quo alia recepit, quae neque apud Matthaeum neque apud Marcum reperimus. Praeceptum illud, quo Jesus quondam Matth. 10, 5. apostolos suos ab adeundis Samaritanis coercuit, Lucas e serie praeceptorum eiecit. Dictum Matth. 15, 24., quo Jesus se non nisi ad gregem Israelis perditum missum esse affirmat, apud Lucam non invenimus. Quid? quod totam narrationem de muliere Cananaea desideramus, cui Jesus aliquamdiu nullam praebuit aurem, quia esset genti Judaicae aliena, ideoque non particeps beneficiorum huic genti destinatorum Matth. 15, 21 — 28., Marc. 7, 25 — 30.

Jam videamus, quae Lucas in Evangelio solus refert, neque cum Matthaeo, neque cum Marco, neque cum Joanne communia habet, quae vero apud Matthaeum et Joannem exspectantur. Huc referenda est narratio de natalibus Joannis Baptistae et Jesu Christi, quae alia est, ac Matthaei historia infantiae Jesu. Relatio porro de ascensu Jesu Christi in coelum, quam Marcus tantum verbo attigit. De angelo Jesum corroborante iam antea dixi. Mirum sane videtur, quod ne-

40) Christëis h. l. Acta App. e lingua originali in latinam translata et carmine heroico expressa, p. 2.

que Matthaeus neque Joannes mirandae illius largitionis donorum Spiritus sancti ullam mentionem fecerint, cum ex parte dignitas eorum apostolica inde penderet. Lucas solus nobis tradidit, quae die Pentecostes evenerunt. Neque in illis capitibus Evangelii solum (inde a 9, 51. usque ad cap. 18.), quae peculiari volumine comprehensa fuisse videntur, plurima Lucae sunt propria, sed etiam in sectionibus antecedentibus. Nolo omnia, quae Lucas solus habet, recensere, siquidem mihi non de omnibus, quae habet et quae praetermisit, liquet, quam consulto delegerit alia, alia repudiaverit. Plura fortasse dedit vel reticuit pro indole fontium, unde hausit. Sed attendamus ad ea, quae tanquam Lucae propria allaturus sum. Huc pertinent exempla, quae Jesus 4, 25 — 27. apud Nazarethanos laudat prophetarum aestumatissimorum, qui non tam populo suo, quam hominibus externis profuerint; de Elia, qui mulieri Sidoniae; de Elisaeo, qui Naëmano Syro opem tulerit, uterque divinitus iussus. Solus Lucas beneficium commemorat, quod Samaritanus quidam, sacerdote et Levitico benignior, Judaeo a latronibus petito vulneratoque praestiterit, 10, 30 sqq. Nullus praeter Lucam de illo Samaritano, qui inter decem leprosos unus gratias Jesu pro restituta valetudine debitas egerit, nobis refert, 17, 11 sqq. Hic unus fervorem animi, quo apostoli quondam in Samaritanos exarserint, a Jesu Christo vituperatum testatur, 9, 34 — 36. De muliere porro, quae Jesum unxerit, Lucas 7, 36 — 50. plane aliter ac reliqui evangelistae, narrat. Solus habet parabolam de Pharisaeo et portitore, Deum in templo colentibus 18, 9 — 14., de perdita ove, quam pastor pluris quam reliquum gregem, de amisso denario, quem mulier, cuius erat, pluris quam reliquos suos denarios aestimaverit; de filio prodigo, qui ad frugem rediens patri acceptior esse videbatur, quam filius, qui honeste vixerat. Lucas solus

habet preces Jesu pro inimicis, Evang. 23, 34. cfr. Act. 7, 60. Nullus, Luca excepto, verbis, quibus Christus sacram coenam instituit, haec addit: τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν; in quibus tamen cum Paulo apostolo consentit, 1. Cor, 11, 25. [41]).

---

41) Magnum Lucam inter et Paulum consensum inveniet; sive quis verba et formulas loquendi, sive notiones et sententias spectat. Quod ad *verba* eorumque *usum* et *formulas loquendi* attinet, consensum illum summa cum diligentia ostenderunt Gersdorfius l. l., Censor huius op. in Annall. theoll. ao. 1817 .vol. undec. et David Schulze *in dem Versuche über die Parabel von dem Verwalter*, Luc. XVI. sqq. (Bresl. 1821.), denique Censor commentarii in librr. hist. N. T. a Kuenoelio editi *in der Hallischen Litterat. Zeit. Erg. Bll. Jahrg.* 1821. p. 745 *sqq.* et 802 *sqq.* Spicilegium *notionum* et *sententiarum*, Lucae et Paulo communium, repetita commentariorum Lucae lectione, auctor ipse fecit, quod sine dubio augeri potest. Deus per Christum liberaturus est Judaeos ab hostium potestate, ut eum pie sancteque colant, et Christus se morti tradidit volente Deo, ut homines illius seculi vitiositati eriperet Luc. evang. 1, 74. coll. c. Gal. 1, 4. Tit. 2, 12. 14. — Christus edocere et felices reddere debet Judaeos aeque ac paganos nullius nationis respectu habito. Luc. evang. 2, 32. Act. 26, 23; 10, 34. coll. c. Rom. 2, 9. 11; 9, 24. — Christus morte perpessa Dei potentia evectus. Act. 2, 33; 5, 31. coll. Philipp. 2, 9. Ebr. 2, 9. — Jesus iudex totius orbis terrarum, mortuorum aeque ac viventium Act. 10, 42; 17, 31. coll. c. Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10. 2. Thess. 1, 7. 8. 2. Tim. 4, 1. — Nomine Jesu, e mortuis revocati, emendandi officium iniungi et venia peccatorum promitti debet Evang. 24, 47. Act. 10, 43; 13, 38. coll. c. Rom. 3, 24. Eph. 1, 7; 2, 8. — Εἰρήνη διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Act. 10, 36. Rom. 5, 1. Eph. 2, 14. — Χάριτί ἐσμεν σεσωσμένοι. Act. 15, 11. Eph. 2, 4. 8. coll. c. Gal. 2, 16. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 5. — Hierosolymitani prophetas persequuntur et interficiunt, poenamque daturi sunt. Evang. 13, in fin. 1. Thess. 2, 15. 16. — Judaei per ignorantiam Jesum interfecerunt, Act. 3, 17; 10, 27. coll. c. 1. Cor. 2, 8. — Lo-

Iis vero; quae Lucas inter evangelistas solus refert, haec addamus, quae nobis potissimum in commentario secundo narrat, de consuetudine, quae Christo per quadraginta dies fuit cum apostolis, de mandato,

---

eus Geneseos 12, 3. „per posteros tuos populi felices evadent" laudatur Act. 3, 25. et Galat. 3, 19. — Locus Joel. 2, 31. 32. laudatur eodem consilio. Act. 2, 21. et Rom. 10, 13. — Qui erga doctores peccat, peccat erga Deum. Act. 5, 4. coll. c. Galat. 6, 6. 7. — Νόμος ἐν χειρὶ μεσίτου. Act. 7, 35. 38. et Galat. 3, 19. — Discipuli Jesu cives regni divini propter superatas cum Jesu calamitates. Act. 14, 22. coll. c. Evang. 22, 28. et Rom. 8, 27 sqq. 2. Tim. 2, 12; 3, 12. — Non dona, miracula patrandi, sed maiora sunt quaerenda. Evang. Luc. 10, 20. 1. Cor. 13, 1. 2. — Jesu discipulis edere licet, quae a paganis apponuntur: τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν. Evang. 10, 8. 1. Cor. 10, 27. — Quae Judaei spernunt, ea paganis offeruntur. Evang. 14, 16 sqq. et Rom. capp. 10. 11. — Doctrina Pauli, neminem ideo praemiis ornari, quod imperato praestiterit, illustratur Evang. 17, 7—10. Sententia Pauli de periculis divitiarum, et admonitio divitiis recte utendi, illustratur parabolis Evang. Luc. 12, 18 sqq. 16, 19. — Conferas Evang. 21, 24. c. Rom. 11, 25. Evang. 21, 28. c. Rom. 8, 21. 23. Evang. 21, 34. 35. c. Rom. 13, 13. Eph. 5, 18. 1. Thess. 5, 1 sqq. — Paganis quoque facultas Deum cognoscendi et honestati studendi data est. Act 14, 15—17; 17. 24—30. coll. c. Rom. 1. 19; 2, 14 sqq.

Plura, priori Lucae commentario propria, collecta sunt a Hessio in historiae Apostolorum parte secunda, quam illo tempore, quo hanc dissertationem auctor primum edidit, non evolverat. Maxima eorum, quae Hessius peculiaria reperiit, sententiam auctoris stabiliunt. Quae Lucas de divitiis, earum usu et abusu, periculis et contemtu, de beneficentia exercenda et avaritia vitanda plura et alia, quam reliqui evangelistae habet, quae consulto omisit, haec accuratissime notavit Dav. Schulze lib. s. l. Pag. 22—35.

Addit. Auct.

ut testes eius fierent Hierosolymis, tum per omnem Judaeam et Samariam atque adeo usque ad ultimas terrarum oras, de ascensu Christi in coelum, de sonitu die Pentecostes subito de coelo exorto, de linguis igneis capitibus congregatorum discipulorum insidentibus, et de facultate linguis exteris loquendi; de iis, quae Petrus ad condendam ecclesiam Hierosolymitanam, deinde ad confirmandam et augendam ecclesiam Samaritanam a Philippo conditam, et denique ad salutem a Christo partam ad paganos transferendam egit atque perpessus est, de electione porro diaconorum; de rebus a Petro ad stabiliendam auctoritatem Apostolicam gestis: de Paulo denique, de munere illi concredito eiusque dictis factisque. *Neque nos fugiat comparatio, quam Lucas Petrum inter et Paulum diligenter instituit.* Omnia σημεῖα et τέρατα, quibus Petrus se ostenderit apostolum, in Paulo quoque conspici demonstrat Lucas, eaque in Paulo vel maiora et clariora: Petrum condidisse coetum Hierosolymitanum, a Paulo autem plures coetus extraneos esse conditos. Claudo cuidam restitutam fuisse eundi facultatem a Petro, sed non minus a Paulo; cfr. 3, 2 — 8.; 16, 8 — 10. utrumque claudum, et quem Petrus et quem Paulus sanaverit, ab utero matris vi incedendi caruisse. A Petro mortuam mulierem in vitam esse revocatam; a Paulo autem mortuum iuvenem (cfr. 9, 38 — 41.; 20, 9. 10.). Petrum aliis dotem divinam, indolem propheticam impertiisse manibus impositis, sed idem fecisse et Paulum (cfr. 8, 17.; 19, 17.). A Petro quendam praestigiatorem coercitum fuisse, nec minus a Paulo (cfr. 8, 18 — 24.; 13, 3 — 11.). Petrum miraculoso modo liberatum esse e carcere; Paulum vero e carceris, quo continebatur, liminibus quondam eductum esse modo saltem non minus miraculoso, sed eum copia clam discedendi noluisse uti, qua re vitam custodi carceris servatam, eique salutem per Jesum Christum tributam

fuisse (cfr. 12, 7—10.; 16, 24 sqq.). Caeterum ipsos daemones, uti Jesum tanquam Messiam, sic Paulum tanquam Messiae apostolum agnovisse, 16, 16. 17.; 19, 15. eumque non minori reverentia prosequutos esse homines, quam Petrum (cfr. 19, 11. 12.; 5, 15.). Tolerantia autem malorum Christi caussa perferendorum Petrum longe superari a Paulo, sicut etiam vi persuadendi Christique caussam agendi, id quod a cap. XIII. per totum reliquum librum evincere studet.

Quid vero ex his omnibus colligendum putemus? Quo consilio Lucam haec narrasse, illa reticuisse arbitremur? Antequam, quae pro sententia mea inde sequantur, proponam, addendam puto brevissimis verbis comparationem eorum, quae de Mosis natalibus, virtutibus, discessu e vita, legislatione in monte Sinai, vi divina ad miracula patranda, et quae sunt reliqua, inter Judaeos narrabantur, cum iis, quae Lucas de Jesu natalibus, virtutibus, ascensu in coelum, de solemni religionis Christianae die Pentecostes inauguratione, de vi Apostolorum miracula patrandi memoriae tradidit.

Josephus Antiquitt. lib. II. c. 5. ab init. edit. Colon. de anno 1691. pag. 54. de iis, quae Mosis nativitatem antecederint et sequuta fuerint, ita refert. Amramo (patri Mosis) tum propter publicum periculum sollicito, tum domestica cura perturbato, cum praegnantem uxorem videret et mandatum regium[42]) de necandis pueris timeret, adstitit Deus per somnum, iussitque bene sperare de futuro, huiusque spei caussas ex historia populi Israelitici protulit. Iam addit: Ὁ παῖς γὰρ

42) Caussa huius mandati paullo ante affertur haec: Ἱερογραμματέα quendam regi praenunciasse, nasciturum per illud tempus puerum, res Aegyptiorum olim graviter afflicturum, Israëlitas contra evecturum.

οὗτος, οὗ τὴν γένησιν οἱ Αἰγύπτιοι δεδιότες κατέκριναν ἀπολλύναι τὰ ἐξ Ἰσραηλιτῶν τικτόμενα, σὸς ἔσται καὶ λήσεται μὲν τοὺς ἐπ᾽ ὀλέθρῳ παραφυλάσσοντας τραφεὶς δὲ παραδόξως τὸ μὲν Ἑβραίον γένος τῆς παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἀνάγκης ἀπολύσει, μνήμης δὲ ἐφ᾽ ὅσον μένει χρόνον τὰ σύμπαντα τεύξεται παρὰ ἀνθρώποις. Post haec Josephus eodem fere modo, quo Exodi cap. II. legitur, narrat, qua ratione puer natus servatus sit. Denique vero addit: *Σύνεσις δὲ οὐ κατὰ τὴν ἡλικίαν ἐφύετο αὐτῷ τοῦ δὲ ταύτης μέτρου πολὺ κρείττω καὶ πρεσβυτέραν διεδείκνυε ταύτης τὴν περιουσίαν ἐν ταῖς παιδείαις καὶ μειζόνων τῶν ὑπ᾽ ἀνδρὸς γενησομένων ἐπαγγελίαν εἶχε τὰ τότε πραττόμενα, καὶ τριετῆ μὲν αὐτὸν γεγεννημένον, θαυμαστὸν ὁ θεὸς τὸ τῆς ἡλικίας ἐξῆρε ἀνάστημα. Πρὸς δὲ κάλλος οὐδεὶς ἀφιλοτίμητος ἦν οὕτως, ὡς Μωυσῆν θεασάμενος μὴ ἐκπλαγῆναι τῆς εὐμορφίας κ. τ. λ. Καὶ γὰρ ἡ χάρις ἡ παιδικὴ πολλὴ καὶ ἄκρατος περὶ αὐτὸν οὖσα κατείχετο τοὺς ὁρῶντας.* Philo autem de vita Mosis lib. I. (edit. Hoeschel. p. 605.) puerum describit *εὐγενῆ καὶ ἀστεῖον ὀφθῆναι, τελειότερον δὲ τῆς ἡλικίας.* Tum prolixior Philo est in delineanda *σοφίᾳ* Aegyptiorum, qua Moses *ἀστεῖος τῷ θεῷ* i. e. venustissimus (cfr. Act. Apost. 7, 22. Ebr. 11, 23.) excultus dicitur.

Quodsi haec a Josepho et Philone de natalibus indoleque Mosis narrata cum iis, quae de primordiis vitae Jesu a Luca et a Matthaeo relata sunt, comparamus, cui non patet, in his relationibus plurima esse similia? Rex Aegyptiorum sicuti rex Judaeorum oraculum timent de pueris, qui suo imperio aliquando periculosiores futuri sint. Ille pueros in aquam mergi, hic illos alio modo interfici iubet. Uterque puer, Moses et Iesus, parentibus divinitus praenuntiati servantur, et servatio rursus per somnium significatur. Moses infans pulchritudine et sapientia antecellit aequalibus; eadem eximia sunt in Iesu. Utriusque puerculi admiratione

homines capiuntur [43]). Uterque aetate provectior populum suum liberaturus est, alter a potestate Aegyptiorum, alter a Romanorum potestate. Collatis enim locis Matth. 1, 21. et Lucae 1, 32. verba: *σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν* vix alium sensum habere possunt, quam: liberabit gentem suam ab iis, quae peccata secuta sunt, i. e. a servitute, in qua a Romanis tenebantur [44]).

De discessu autem Mosis e vita Iosephus narrat Antiquitt. libro IV. circa finem. *Ὡς δὲ ἐπὶ τῷ ὄρει τῷ Ἀβαρεὶ καλουμένῳ ἐγένετο, τοῦτο δ' ὑψηλὸν Ἱεριχοῦντος ἄντικρυς κεῖται, γῆν ἀρίστην τῶν Χαναναίων καὶ πλείστην παρέχων τοῖς ἐπ' αὐτοῦ κατοπτεύειν, ἀπέπεμπε τὴν γερουσίαν, ἀσπαζομένου δὲ καὶ τὸν Ἐλεάζαρον αὐτοῦ καὶ Ἰησοῦν, καὶ προσομιλοῦντος αὐτοῖς ἔτι νέφους ἀφνίδιον ὑπὲρ αὐτοῦ στάντος, ἀφανίζεται κατά τινος φάραγγος.* Ne pigeat cum his conferre, quae Lucas Act. 1, 9. 12. de Iesu discessu e terra narrat [45]). *Καὶ ταῦτα εἰπών, βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη· Καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ*

---

43) Siracides Mosen nominat *ἠγαπημένον ὑπὸ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων.* 45, 1.

44) Lucas plura non habat, quae apud Matthaeum de natalibus Iesu narrantur. Hoc pro eorum sententia argumentum est, qui Lucam Matthaei et Marci commentarios legisse negant. Videmus autem e narrationibus coniunctim spectis, quae de Jesu natalibus tradita fuerint.

45) Non opus est, ut de narrationibus Lucae, quae ad natalia Jesu eiusque in coelum ascensum pertinent, plura afferam, et quale de iis iudicium formandum sit, prolixius exponam. Hoc otium mihi fecit duabus commentationibus, in opp. theologg. Vol. I. recusis Ammonius V. S. R. Cum his conferendus est Excursus I. Nov. Test. perpet. annot. illustr. ab Heinrichsio adiectus, qui ex parte Ammonii sententiam impugnat, et Kuinoelii comment. ad Marc. 16. 19. edit. sec.

τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν — — Τότε ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου ἐλαιῶνος. Historici Mosen et Iesum in monte cum amicis verba facientes, his valedicentes, nubibus obvolutos, illorum oculis subductos, nobis describunt.

Videamus porro, quo modo Josephus Exodi locum, ubi de iis agitur, quae in monte Sinai evenerunt, cum Deus leges suas promulgaturus esset, amplificaverit. Exodi 19, 18. 19. ita legitur secundum τοὺς ο: τὸ ὄρος τὸ Σινὰ ἐκαπνίζετο ὅλον διὰ τὸ καταβεβηκέναι ἐπ' αὐτὸ τὸν θεὸν ἐν πυρί — — Ἐγένοντο δὲ αἱ φωναὶ τῆς σάλπιγγος προβαίνουσαι ἰσχυρότεραι σφόδρα. Μωυσῆς ἐλάλησεν, ὁ δὲ θεὸς ἀπεκρίνατο αὐτῷ φωνῇ. Iosephus vero ita habet: Antiq. lib. III. cap. IV. ab init. Τῇ τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ πρινὴ τὸν ἥλιον ἀνασχεῖν νεφέλη τε ὑπερίζανε τοῦ παντὸς στρατοπέδου τῶν ἑβραίων οὐ πρότερον τοῦτο ἰδόντων γενόμενον, καὶ τὸ χωρίον οὗ τὰς σκήνας ἦσαν πεπονημένοι περιέγραφεν καὶ τοῦ λοιποῦ παντὲς ἐν αἰθρίᾳ τυγχάνοντες, ἄνεμοί τε σφοδροὶ λάβρον κινοῦντες ὑέτον κατήγιζον, ἀστραπαί τε ἦσαν φοβεραὶ τοῖς ὁρῶσιν, καὶ κεραυνοὶ κατενεχθέντες ἐδήλουν τὴν παρουσίαν τοῦ θεοῦ. Lucas autem res, quae die Pentecostes evenerunt, his verbis describit: Act. 2, 2 sqq. Καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον, οὗ ἦσαν καθήμενοι. Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός. Ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. Καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου. Cui similitudo non in oculos incurrit, quae in his descriptionibus obtinet? Eadem fere sunt phaenomena, inter quae lex et evangelium, religio Mosis et Iesu Christi promulgantur et sanciuntur. Eodem die, quo memoria legislationis Mosaicae Hierosolymis recolitur, doctrina Christiana eodem fere modo coelitus confirmatur. In hoc tamen discrimen animadvertamus, quod, cum illa mirabilia in mon-

te Sinai evenirent, Moses divina auctoritate apud populum iam polluit, apostoli vero hanc auctoritatem nunc primum hoc σημείῳ acceperant. Ita Lucas ignem illum coelestem capitibus apostolorum considentem describit tanquam indicium spiritus, quo imbuendi fuerint, nec non in describenda hac inauguratione illam Iesu ipsius Evang. 3, 22. respicere videtur: κατέβη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει ἐπ' αὐτόν.

Sunt insuper alia quaedam similia in historia de primordiis religionis Mosaicae et Christianae non plane negligenda, e. g. per quadraginta dies Moses in monte commoratus; per quadraginta dies Christus apud discipulos post resurrectionem e mortuis; ad quod eo magis attendendum est, cum Lucas aliter in fine evangelii, aliter ab initio Actorum narraverit. Quid? quod retractat priorem narrationem, secundum quam Christus illo ipso die, quo resurrexerit, in coelum ascendit. Deinde comparari possunt, quae de vi divina Mosi et Apostolis impertita ad miracula patranda traduntur. Huius facultatis, Apostolis concessae sat multa exempla in Act. narrata sunt et iam in comparatione Petri et Pauli allata. Sed vis illius divinae efficacia apud Mosen et apostolos in puniendo et sanando inprimis cernebatur. Qua de caussa narrationes illae de Anania et Sapphira, de Simone, de Elyma etc. a Luca tradita videntur. Neque similitudo nos fugiet, quae inter narrationes Exod. 18, 19 sqq. de eligendis principibus singularum populi divisionum et Act. 6, 2 sqq. de eligendis diaconis intercedit. Neque omnino praetermittendum est, quod secundum verba, quae Lucas ex ore Iesu in coena sacra refert: τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν magis eluceat, hanc coenam sequentibus quoque temporibus destinatam esse coenam mnemonicam, qualis erat coena Paschalis. Sed nolo in his diutius commorari.

Jam in aprico esse censeo, Lucam delectum memorabilium Jesu et Apostolorum fecisse, eumque non sine consilio, ad quod delecta omnia spectant. Quod consilium ex mea sententia hoc erat, ut dubia quaedam permagna, quae plures Judaeos ab amplectenda religione Christiana cohibebant et multos Judaeo-Christianos vexabant, tollerentur. Nihil magis illo tempore impedivit, quominus religio Christiana inter Judaeos propagaretur, quam summa illa legi Mosaicae divinitus tributa auctoritas et maxima Mosi ipsi habita reverentia [46]. Nihil magis turbabat Christianos e Judaeis factos, quam translatio evangelicae salutis ad Samaritanos [47] et gentiles, et commercium Pauli inprimis cum Paganis, quibuscum omnia, ritibus Mosaicis neglectis, Christi beneficia communicaret [48]. Quare Judaei suspi-

---

46) Philo in vita Mosis lib. 1. edit. Hoeschel. pag. 626. D. et 627. A. hunc adeo κληρονόμον τοῦ κόσμου et τοῦ ὅλου ἔθνους θεὸν βασιλέα nominat.

47) Summum inter Judaeos et Samaritanos odium testatur locus evangelii Joann. 4, 9. Et Siracidis 50, 25. 26. qui fini operis sui quasi professionem fidei suae hanc adiecit: invisissimos sibi esse Samaritanos et Philistaeos.

48) Cernitur hoc potissimum e cap. Act. XV., quod Morus merito caput memorabile et quandam quasi clavem innumerorum locorum, quae in Pauli epistolis occurrunt, nominat. Non solum Antiochiam Judaei, h. e. Christiani e Judaeis facti, veniebant docentes: „nisi circumcidamini secundum legem Mosaicam, non potestis salvi fieri, i. e. in coetum Christianorum recipi," atque sic rixas in coetu, qui Christianis ex Hellenistis, Proselytis et Gentilibus factis constabat, movebant, sed etiam Hierosolymis, quo Barnabas et Paulus et alii missi erant, ut Apostolis et presbyteris hanc quaestionem dirimendam proponerent: num pagani, christ. religionem amplectentes, mosaicae legi obstringendi essent; surgebant quidam Christiani, antea Pharisaeorum sectae addicti, qui contenderent: „Circumcidere oportet paganos atque iubere, ut legem Mosaicam observent." Notissimum

ciose quaerebant, quomodo Iesus Mosi, doctrina Christiana legi Mosaicae praeferri posset, cum Moses eiusque lex tam luculentis divinae voluntatis documentis insignita esset. Si qui vero tandem dictis factisque Jesu fidem habuerant, et post eius resurrectionem illum Messiam agnoverant, hi tamen persuadere sibi non potuerunt, ex illius sententia sua beneficia Samaritanis aeque ac Iudaeis, gentilibus aeque ac proselytis offerenda et tradenda esse. Inde gravissima, ut iis videbantur, contra novam doctrinam, novamque cultus divini faciem proferebant argumenta, quae ut infringerent et refutarent et ad dubitationes cum persuadendi vi responderent, doctores Christiani maxime curare debebant. Hoc Lucas pro sua parte efficere studet. Hac de caussa e memorabilibus Iesu partim ea eligit, quae Iudaeis fidem facere possint, Iesum talem vel longe maiorem prophetam esse, quam Mosen, eiusque doctrinam non minus solemni modo sancitam, quam Mosaïcam [49]. Cum vero Iudaei rebus sensum moventibus

---

est decretum, quod collegium Apostolorum et Presbyt. de hac re ferebat, et Antiochiam mittebat. At einsmodi homines nullo respectu decreti Apostolici habito itinera faciebant vel ad remotissimos coetus, ibique semina dissidii spargebant, multos Judaeos ab amplectenda religione Christiana cohibebant, Christianos e Judaeis factos ad defectum a Christianismo sollicitabant, inprimis vero Pauli auctoritatem labefactabant, eumque inconstantiae, novitatis studii et temerariae ab Apost. superioribus secessionis criminabantur. Cfr. Pauli commentatio de consilio, quo scriptor in Act. Apost. concinnandis ductus sit, seorsim edita, et recusa in vol. capitum selectiorum Introductionis in N. T.

49) Nemo mihi obiiciet, Josephum et Philonem post Lucam scripsisse, hunc igitur illos respicere non potuisse. Probe scio. Sed ubi Josephus et Philo scripturam sacram non sequuntur, tum e traditione narrant, cuius vestigia, ut iam passim commemoravi, in Psalmis, in Siracide, in libro sap.

maxime inhaererent, illa potissimum retulit, quae de natalibus Iesu et discessu eius e vita et de inauguratione apostolorum die Pentecostes, deque vi divina miracula patrandi illis tradita relata audiverat; partim ea, quibus Christianis, olim Iudaeis et proselytis, Palaestinensibus aeque ac Hellenistis, persuaderet, Apostolos non nisi ex voluntate et mandato Iesu huius doctrinam et universam ab eo partam salutem ad Samaritanos paganosque transtulisse, Pauloque inprimis non solum munus evangelicum inter gentes propagandi a Domino fuisse iniunctum, sed eum habuisse quoque Petrum antecessorem, cui etiam omni ex parte aequiparandus esset. Hoc consilium secutus, iam in priore suo commentario illa Iesu Christi effata praetermisit, quae sententiam Iudaeo-Christianorum de evangelio inter Samaritanos et gentiles non propagando, deque his, nisi circumcisis, ad coetum Christianum non admittendis confirmare videbantur. Matth. 10, 5.; 15, 21—28., Marc. 7, 25—30. Huc pertinet, quod illa Iesu dicta et praecepta affert, e quibus patet, iam veteres prophetas hominibus alienigenis divina beneficia exhibuisse, Luc. 4, 25—27. et Iesum Samaritanorum salutem curasse, suoque favore eos prosecutum fuisse. Luc. 9, 54—56; 10, 33 sqq.; 17, 16—18. Idemque persuasurus Lucas parabolam Iesu de duobus eiusdem patris filiis, prodigo altero, altero honesto refert. 15, 4—32. Cuius quidem parobolae caussam nullam aliam puto, quam ut Iesus Dei benignitatem et ad Samaritanos in coetum cultorum suorum recipiendos paratum animum illustra-

imo apud nostrum auctorem in oratione Stephani, et in epist. Jud. et ad Hebraeos obvia sunt. His, quae de Mose inter Judaeos, Palaestinenses aeque ac Hellenistas *tradebantur*, Lucas quasi opponit, quae similia de primordiis vitae Jesu etc. e traditione (καθὼς παρέδοσαν) a viris fide dignis audiverat, et ex aliis narrationibus sedulo elegerat.

ret. Filius prodigus populum Samaritanum significat, filius vero honeste vivens populi Iudaici loco adhibetur; fratres hi sibi dissimiles atque invisi partes ferunt populorum fraternorum, qui dissidentes inter se, alter alterum ut degeneratum, hic autem illum ut arrogantem oderunt. Pater autem, Dei partes agens, filium μετανοοῦντα in gratiam recipit [50]).

Cum autem Iudaei eodem odio, quo Samaritanos et gentiles, portitores quoque et omnes, quos ἁμαρτωλῶν nomine notabant, persequerentur, et nullam μετανοίας eorum rationem haberent, sed hos omnes e coetu eiicerent, vel saltem eiectos vellent, Iesus autem cum magna Iudaeorum reprehensione ἁμαρτωλοὺς illos, ad frugem redituros, benevole tractaret, in societatem cultorum suorum recipere non recusaret, eorumque caussam apud Iudaeos ageret, Lucas et illas narrationes parabolasque elegit, quae Dei Iesuque benevolos erga illos sensus declararent, quales sunt illae de muliere, quae Iesum unxit; de Pharisaeo et portitore in templo precantibus; de ove et denario perditis et cum gaudio recuperatis; de Iesu moribundo, pro inimicis precante; uti et hoc modo probaret, Deum in recipiendis hominibus in coetum cultorum suorum magis animum resipiscentem respicere, quam honestatis speciem, rituum-

50) Hanc parabolae explicationem Kellio, Geneseos et scriptorum, quae Salomonis nomen ferunt, interpreti sagacissimo, viroque mihi amicissimo debeo, qui idem me ad comparationem, quae Lucas inter Petrum et Paulum instituit, et ad ea, quae Lucas in Evangelio praetermisit, attentiorem reddidit. Parabolam autem ita explicari debere persuasum mihi est, rectiusque explicari, quam si filium prodigum imaginem gentilium nobis fingamus, et totum locum de gratia Dei erga gentiles μετανοοῦντας intelligamus; quae est plurium, inprimis Michaelis opinio. Vid. nott. ad vers. germanicam ad h. l.

que Mosaicorum strenuam observationem, et quemlibet habere acceptum, qui ipsum revereretur [51]).

Nec minus ad defendendam Evangelii propagationem inter Non-Iudaeos in Lucae δευτέρῳ λόγῳ perplura videntur delecta. Statim ab initio Act. 1, 8. ultimum Iesu mandatum Apostolis datum legimus: „Testes mihi eritis et Hierosolymis et in omni Iudaea atque Samaria ad remotissimas usque terrae oras. Quod quidem mandatum ab illo, quod apud Matthaeum legitur 28, 19. differt. De cuius authentia quamquam multi dubitant [52]), tamen, sive sit genuinum, sive interpolatum, hoc sequi videtur, verba Lucae non ipsa Iesu verba esse. Etenim si ab ipso Matthaeo illud mandatum litteris consignatum est, huius auctoritatem maiorem putamus, quam Lucae. Sin interpolata sunt, quae in evangelio Matthaei legimus, tum et haec, et quae Lucas dedit, e traditione tantum allata et paullulum mutata esse possunt. Videntur autem apud Lucam ita immutata, ut et receptio Samaritanorum in coetum Christianorum probaretur, et simul argumentum totius commentarii describeretur, quod tribus partibus continetur; quarum prima narrat, quae Hierosolymis, altera, quae in omni Iudaea et Samaria, tertia, quae inter gentes, habita inprimis Pauli ratione, gesta sunt.

Pro suo consilio Lucas porro in scena illa Pentecostali hoc maxime illustrat, quod omnes sectatores

51) Cfr. quae Dav. Schulze in lib. laud. (*Versuch über den Verwalter etc.*) de hac notione primaria, Lucae ubique ob oculos versante, prolixius exposuit. p. 40 sqq.

52) Vid. Kuinoel. Commentar. ad Matth. 28, 19. et Beckhausii comment. de authentia formulae baptismi contra Tellerum inprimis, qui in excursu ad novam libri Burneti editionem: de fide et officiis Christiani, illam formulam spuriam esse contendit.

Iesu Messiae, qui tunc congregati erant, alia, quam lingua sacra Hebraica, sicuti in celebrandis festis mos erat, usi sint, et quilibet praesentium, cui sacro igne incaluit animus, lingua vernacula e. g. palaestinensi, cretensi, romana, graeca etc. locutus sit [53]). Quemadmodum πνεῦμα ἅγιον omnibus sine discrimine sexus, aetatis, conditionis impertitum erat, ita et omnes sua lingua et dialecto, qua animi sensus minus impedite exprimere poterant, magna Dei beneficia praedicarunt. Qua ratione luculentissime significabatur, vincula illa rituum Mosaicorum esse soluta, controversiam illam, utrum eloquia prophetica alio quodam sermone, quam hebraeo, fieri possent, solemniter esse transactam, iam novam religionem omnibus omnino hominibus tradendam initiari et magnum huius religionis inter exteras gentes propagandae obstaculum esse remotum.

Jam vero sigillatim de omnibus, quae Lucas in secundo suo commentario narrat, non expositurus sum, quam apprime selecta sint, et eo spectent, ut Christianis Judaizantibus scrupuli de consociatione Samaritanorum et gentilium cum Judaeis in unum coetum, animis illorum iniecti, eximantur, et ut ipsi cum Paulo, qui gentilibus iugum Mosaicorum rituum imponere noluerat, reconcilientur. Huius consilii memor, qui Lucae librum legit, is sibi persuadebit, longe plurima ad illud assequendum esse idonea. Narrat enim deinceps, coetum sectatorum Iesu Chrisi statim ab initio adauctum fuisse accedentibus Hellenistis et Proselytis, evangelicam doctrinam mox exortis Hierosolymae turbis et vexationibus, pluribus Judaeae locis traditam et a viro πνεύματι ἁγίῳ repleto ad Samaritanos esse translatam,

---

53) Huic Heinrichsii sententiae uberius in Excursu II. l. l. adiecto expositae equidem subscribo. Ille omnia collegit, quae super hoc difficili loco nostris temporibus scripta sunt

imo ab hoc viro Samaritanos et paganum quendam, Aethiopem praefectum thesauri Candaces, Reginae Meroës[54]), baptismo coetui christiano obstrictos esse Apostolos vero non solum hanc receptionem Samaritanorum in numerum Christianorum probasse, sed etiam Petrum et Ioannem in Samariam misisse, ut hi baptizatis, precibus factis et manibus impositis, τὸ πνεῦμα ἅγιον impertirent; Petrum deinde, divinitus edoctum non recusasse domum Cornelii, hominis pagani, sed pii, intrare, tum ipsi omnibusque eius cognatis doctrinam salutarem annunciare, nullaque de observandis ritibus Mosaicis addita conditione baptismo eos initiare; quo facto omnes eorum donorum πνεύματος, quae primi Christi asseclae die Pentecostes acceperint, participes factos esse; Petrum quidem, maxima in ecclesia Hierosolymitana auctoritate pollentem, ob hoc ipsum cum hominibus non circumcisis commercium quam maxime vituperatum fuisse, sed narratione eorum, quae evenissent, et novis iisque maioribus vis divinae documentis probasse, ut Deus suis coeptis annuisset, ita se divinae voluntati resistere nec voluisse nec potuisse, et hanc esse novi foederis conditionem, ut ex qualibet gente, qui Deum revereatur, illi adscribi possit. Pergit Lucas in narrando, qua ratione, coetu Christianorum Antiochiae collecto, illinc evangelium propagatum sit, et tunc demum illi Christiani de ritibus Mosaicis observandis cogitaverint, cum Judaizantes Hierosolymis venissent. In reliqua autem maiore parte libri sui totus in hoc est, ut lectoribus persuadeat, quaecunque Paulus egerit, consentientes et antesignanos habuisse Apostolos superiores, quos arbitrabantur, cum omnes, tum inprimis Petrum, conditorem ecclesiae Hierolymi-

54) Vid. Michaelis in animadversionibus ad vers. german. ad h. l.

tanae, apostolum summae auctoritatis. Maiora, clariora, ampliora fuisse, quae Paulus gereret et pateretur; in omnibus tamen eum vestigia illius pressisse, et aeque ac illum nutui voluntatique divinae obsequium praestitisse et auxilio divino fruitum fuisse.

Eo minus haec uberiori expositione egent, cum Vir D. Paulus in commentatione laudata, cum quo in ultima huius disputationis parte quodammodo consentio, diligentius demonstrare studuit, »Lucam non tantum Paulum apostolum narrationis suae paene epicae heroa »habuisse, et ut ad illum perveniret, de originibus re»rum christianarum illa tantum, quibus maxime mens »ipsius perculsa esset, decerpsisse atque sic eventuum »nonnullorum antecedentium farraginem Paulinis rebus »praefixisse, ut haberet, unde ordiretur, sed illi dimi»cationem quoque Judaizantium opinionum cum puriori »Christianismo, Particularismi cum Universalismo ante »oculos versatam fuisse. Hanc epicam quandam esse »unitatem, quae totam huius herois vitam christianis»mo veriori impensam indivulsa concatenatione amplec»teretur atque connecteret. Singula Lucae capita in »huius dimicationis facie, origine et natura describenda »et in defendenda Pauli caussa collineare.«

Mihi quidem, sicuti prolixius demonstravi, constat, Lucam, cum Pauli caussam contra adversarios et obtrectatores defendere eique inter Christianos summam apostolicam auctoritatem vindicare, tum etiam dubia scrupulosque coetibus christianis iniectos eximere vellet, maius tamen aliquid sibi proposuisse, idque non in posteriore demum commentario, sed iam in priore describendo semper ante oculos habuisse, hoc nimirum, ut Judaeis et Judaeo Christianis, qui adhuc dubii haerebant, utrum religionem christianam reciperent et tenerent, an eam reiicerent vel desererent, persuaderet de maiore Jesu Messiae dignitate, quam qua Moses ipse gavisus esset, de divina novi foederis initiatione, de-

que Dei et Jesu Messiae voluntate, ut omnes omnino homines evangelicae salutis participes fierent.

Idem igitur Lucas, etsi non eadem ratione, efficere studuit, quod auctor epistolae ad Hebraeos, quam quidem ipsam nonnulli, inprimis Grotius, nostro auctori tribuunt. Atque haec argumenti similitudo communem auctorem epistolae et duorum illorum commentariorum magis probaret, quam quae Grotius pro sua sententia attulit. Quamquam si Lucas auctor epistolae esset, certo non illa praetermisisset, quae in commentariis ad commendandam religionem christianam exposuit.

Quodsi hoc Lucae consilium fuit, isque ad hoc assequendum in duobus suis commentariis nonnulla reticuit, ac plura e memorabilibus vitae Iesu Apostolorumque selegit; nolim tamen contendere, Lucam omnino, quae narraverit, et quae praetermiserit, ad hunc solum finem accommodasse. Consilium hoc eius secundarium dixerim, primarium vero, ut Theophilo accuratiorem et locupletiorem de iis, quae ore eum docuerat narrationem, litteris consignatam traderet, et haec, quae ipsi memoria dignissima videbantur, oblivioni eriperet. Hoc sibi propositum esse cum ipse in prooemio prioris commentarii dixerit, non licet dubitare. Sed cum, quae de primordiis vitae Jesu, de dictis factisque illius et apostolorum, de rebus ab Apostolis gestis tradita erant, accuratius, ut dicit, explorasset, et ordinem narrationis instituisset, de modo etiam narrandi cogitavit, quo Theophili animum admiratione impleret, in tenenda christiana fide firmaret, dubia fortasse excitata tolleret, eique quam accommodate ad divini Numinis et Jesu Christi voluntatem omnia ab Apostolis, inprimis a Paulo suo peracta essent, demonstraret. De huius Theophili persona, patria, dignitate, religione coniicitur tantum; hoc autem ad veritatem proxime accedere videtur, Theophilum antea gentilem in Italia, fortasse

Romae vixisse [55]). Iam vero ex epistola ad Romanos cognitum habemus, quantas turbas illi Judaeo-Christiani, quos commemoravimus, inter Christianos Romae degentes, moverint, quanta tenacitate legi Mosaicae et ipsi adhaeserint, et Christianos e gentilibus factos illi obstringere voluerint, quanto studio Paulus hos suos et purioris doctrinae acerrimos et periculosissimos adversarios oppugnaverit, hisque et omnibus Christi asseclis persuadere conatus sit, Deum in condonandis peccatis et in exhibendis beneficiis, per Christum partis, externam honestatem et strenuam rituum Mosaicorum observationem minime spectare, sed fidem Jesu Christo habitam. Quam eandem doctrinam Jesus in omnibus illis parabolis, quas Lucas in evangelio suo solus habet, proponit. Christianis igitur romanis [56]) eiusmodi narratio de vita et eventis, de dictis et factis Jesu et Apostolorum, qualem in duobus Lucae commentariis invenimus, quam aptissima et utilissima censenda est. His hominibus operam dedit, ut eiusmodi narrationibus de Jesu Christo et Apostolis fides in Christum firmaretur, eiusque dignitas dignitate Mosaica clarior, excelsior redderetur, evangelicae salutis propagatio et ad omnes omnino gentes sine discrimine originis et religionis translatio defenderetur et comprobaretur. Sic vero mea de ratione commentariorum Lucae sententia novum a verisimili patria et domicilio Theophili petitum argumentum accipit; sic traditio, quae Evangelium Lucae Pauli Evangelium nominat, non ita firmis argumentis innitens, nova luce illustratur. His ita compa-

---

55) Vid. Eichhornius in introduct. in libb. N. T. Vol. II.

56) Licet Lucas ad Theophilum commentarios suos in illius usum potissimum confectos miserit, hoc tamen sine dubio speravit et voluit, ut etiam ab aliis legerentur. Cognitum habuit, Romae et in aliis coetibus plures esse Theophilos, qui diligentiori institutione egerent.

ratis, Lucas, cuius summas laudes in qualibet introductione in eius scripta ipsi merito tributas repetere nolo, hoc quoque nomine praedicandus est, quod narrationes suas circumspecte, prudenter et ad animos lectorum, quales erant, accommodate instituerit. Neque ἀκριβείᾳ suae et fidei, qua se omnia inde ab initio a testibus percontatum fuisse affirmat, hac de caussa quidquam derogatur, quod in narrando poëtico ingenio indulserit, et delectum inter ea, quae audiverat, et scripta invenerat, fecerit. Ἀκρίβεια eius talis fuit, qualis ab eius aetate exspectari potuit. Atque cum nihil narraverit, nisi de quo ipsi persuasum esset, verax sane, fide dignus et sapiens rerum Christianarum commentator censendus est.

De dictione tropica N. T. iudicanda et interpretanda Commentatio.

Scripsit

Maurit. Joan. Henr. Beckhaus, Theol. Dr. et Prof. Ord. Marburg. [1]).

In libris sacris, Novi praecipue Testamenti, interpretandis rationem habendam esse *tropicae dictionis*, et ipsa horum librorum indoles satis superque docet, et rerum, quae in illis tractantur, dignitas atque gravitas omnino requirit, et optimorum omnis aevi interpretum exemplo confirmatur. Iesus nimirum ipse eiusque Apostoli, Orientalium more, figurato sermone saepissime utuntur; cuius quidem intelligendi recte et explicandi subtiliter facultate carere nullo modo poterit, qui in illorum dictis illustrandis atque aliorum in usum convertendis cum fructu versari voluerit. Rerum deinde, hisce in libris propositarum dignitas et gravitas tanta censeri debet a pio quovis et probo doctrinae Christianae assecla, ut ad illas accurate percipiendas detegendumque, qui sub cortice lateat, nucleum omni virium contentione allaborare debeat. — Hinc optimi inter-

1) Constat haec dissertatio duabus particulis, ab auctore doctissimo deinceps editis. Prior prodiit 1819; posterior 1822.

pretes huius dictionis tropicae semper rationem habuere, quanquam alii aliter de singulis locis statuerent. Neminem v. c. in exegeseos sacrae dogmatumque historia vel mediocriter versatum fugere potest, quaenam in ecclesia Christiana viguerint dissensiones circa rectam loci gravissimi Ioan. 6, 47-53. explicationem; verborum, quibus in instituenda s. coena usus est optimus Servator, verum sensum; exegeticam illam de probando ex 1. Cor. 3, 13-15. purgatorio quaestionem [2]): vocabulorum denique ad ordinem, quem dicere solemus, salutis spectantium, κλῆσις, Φωτισμός, ἀναγέννησις, ἐπιστροφή (Act. 15, 3.), παλιγγενεσία (Tit. 3, 5.), ἀνακαίνωσις (Rom. 12, 2.) al. accuratam finitionem, eorundemque ad vitam vere christianam referendorum usum [3]). Nec destituimur exemplis eorum, qui vel olim, vel hoc ipso, quod vivimus, aevo ex male intellectis Apocalypseos locis 21, 10 seq. 20, 4-6. nescio quam urbem coelestem, hisce in terris exstruendam, auro, gemmis lapidibusque pretiosissimis stratam atque omnigena rerum ad exhilarandos sensus facientium copia refertam animo sibi effingunt, ibidemque thronos et regios honores sibi atque aequalibus suis vindicare student [4]). Plurimum itaque refert, tropicam N. T. dic-

---

2) De vero huius loci sensu uberius exposuit Mart. Chemnitzius in examine Concilii Tridentini pag. 569. 570. ed. Genev. 1641. fol.

3) I. A. Tittmann. de vocabulis oeconomiae salutis in Opuscul. theol. (Lips. 1803. 8.) p. 278 seqq. 393 seqq. *idem:* de inhabitatione Sp. S. ibid. p. 399 seqq. et quae monuit vir cl. alio huius libri loco p. 668 seqq. — Huc pertinent quoque phrases ad ethicam christianam referendae e. g. σταυροῦν τὴν σάρκα aliaeque. Cf. Duttenhofer *über Pietismus und Orthodoxie* (*Halle* 1787.) p. 118. 119. 146. 279 seqq. 294 seqq.

4) Corrodi *kritische Geschichte des Chiliasmus. Zweit. Aufl. Zurich* 1794. 8. 4 *Bde.*

tionem diiudicare, et recte interpretari secundum certa firmaque hermeneutices sacrae principia. Quam ob caussam praestantissimi omnium fere seculorum Theologi regulas quasdam huc spectantes proponere earundemque usum aptis hanc in rem exemplis illustrare annisi sunt. At verò negari nequit, quod inter Theologos, eheu! nimium quantum semper viguit, partium studium huic negotio haud parum obfuisse; praesertim cum regularum exempla plerumque depromi solerent e locis N. T. ad dogmata controversa spectantibus; cuius rei exemplum (ut anteriora praetermittamus) sat luculentum videre est in ipso I. A. Ernestio [5]) et qui eum copiose satis refellere studuit, Io. Iac. Hottingero [6]), universam fere de tropica N. T. dictione quaestionem ex iis sacrarum litterarum effatis, quae ad doctrinam de persona Christi atque ad s. coenae institutionem referuntur, illustrantibus: unde factum, ut qui suae partis defendendae studio duceretur, uterque in dubiis atque obscuris S. S. locis haereret ac laboraret, clara et perspicua vel praetermittens vel breviter tantum attingens. Tutiori sane via ingressi sunt, qui ad regulas certas referrent hanc de figurato sermone iudicando et explicando disquisitionem, remque illustrarent iis N. T. locis, quorum interpretatio plana esset ac facilis extraque controversiam posita: Morus [7]) e. g., Keilius [8]) atque

---

5) Institutio interpretis N. T. P. I. Sect. II. c. IV. §§. 10 sqq. p. 105 sqq. ed. 4. Ammon.

6) Opuscul. hermeneut. et crit. (Lips. 1817.) p. 217 — 244. In altera vero quaestionis, quam pertractamus, parte de *interpretanda* nimirum *dictione tropica*, egregiis sane observationibus rem illustravit vir acutissimus.

7) Super Hermeneutica N. T. Acroases academicae ed. I. A. Eichstaedt. Vol. I. (Lips. 1797.) p. 260 seqq.

8) *Lehrbuch der Hermeneutik des N. T.* (*Leipz.* 1810.) §. 42. p. 50 — 53

Griesbachius [9]) (e recentissimis enim Lueckius [10]) universam hanc quaestionem praetermisit, Kaiserus [11]) vero quam brevissime expedivit). Quorum vestigia prementes et nos una alterave observatione hanc rem illustrare constituimus.

Omnis autem de hac re quaestio *duabus* potissimum *partibus* absolvitur: *de dictione* scilicet *tropica N. T. iudicanda* et *interpretanda.*

Primum igitur videndum, quanam ratione *iudicanda* sit *dictio tropica;* unde cognoscamus, quibus indiciis discernere possimus, utrum sermo, de cuius sensu agitur, proprius sit, an figuratus. Quae quidem quaestio suis non caret, iisque haud exiguis, difficultatibus. Ex ipsis enim N. T. libris planum fit, non eos solum, qui Iesum rarius audirent dicentem, minus recte intellexisse figuratos, quos ille proferret, sermones e. g. *Iudaeos* Ioan. 2, 19-22; 6, 30-35. 52. et 60. quinimo *Nicodemum*, qui e doctorum erat numero Ioan. 3, 3-5., *mulierem* denique *Samaritanam* 4, 21-15. sed et, qui diu cum illo versati, assuetique erant, quibus utebatur imaginibus, disciplinae ipsius alumnos, Matth. 16, 6-12. Accedit, quod, utrum hoc vel illud optimi Servatoris effatum, haec vel illa apostolorum verba proprie, an tropice accipienda sint, acerrime dimicatum est inter diversarum partium Theologos. Nec sufficiunt regulae a quibusdam scriptae ad expediendam hancce gravissimam quaestionem. Fuerunt nimirum, qui Canonem scriberent: „*a sensu verborum proprio* n o n f a c i l e *esse recedendum.*" Verum enim vero hoc ipsum: *non facile*, nimis vagum est at-

---

9) *Vorlesungen über die Hermeneutik des N. T. herausgegeben von* Steiner (*Nürnberg* 1815.) p. 114 seqq.

10) *Grundriss der neutestamentlichen Hermeneutik und ihrer Geschichte. Götting.* 1817. 8.

11) *Grundriss eines Systems der neutestamentlichen Hermeneutik.* (*Erlang.* 1817.) §. 141. p. 120.

que indefinitum, neo locos, in quibus a proprio verborum sensu recedere liceat, ab iis, ubi non liceat, discernendi certam exhibet notam [12]). Haud multum adiuvamur addita hac explicatione: *non sine evidenti et summa necessitate id fieri debere* [13]); quaeritur enim, quaenam tandem sit haec necessitas, quibusve nitatur fundamentis? Qui e dogmaticis, quas dicunt, rationibus hanc quaestionem sibi solvendam sumunt, id supponere videntur, quod antea esset argumentis sat evidentibus probandum: in rebus scilicet, quae pertinent ad fidei doctrinam, dictione propria — tropica prorsus neglecta — uti semper et ubivis voluisse ac debuisse Iesum ipsum primosque religionis Christianae doctores [14]). Quod si uberius demonstrare et per partes deducere voluissent, profecto vidissent ipsi, hac ratione

12) Io. Ern. Faber. disp. hermeneut. de canone, quo a sensu verborum proprio non esse facile recedendum praecipitur. Coburg. 1765. 4.

13) Praeivit hanc sententiam Lutherus, qui „sic sentiamus, inquit, neque tropum in ullo Scripturae loco admittendum esse, nisi id cogat circumstantia verborum evidens et *absurditas rei, manifeste in aliquem fidei articulum peccans.* T. III. latin. Ienens. f. 195. Secuti eum sunt Matth. Flacius Clav. SS. P. II. (Lips. 1695. fol.) pag. 288. reg. 4. I. C. Dannhawer. Idea boni interpretis (Argentorati 1652. 8.) p. 85 coll. 97 seqq. Eiusd. hermeneutica Sacra (Arg. 1654. 8.) p. 259 seqq. 396 seqq. Tarnovius exercit. bibl. p. 625. Rambachius inst. hermeneut. p. 58. 59. alii.

14) Rambachius l. c. statuit, in iis locis, ubi fidei articulus ex instituto traditur, propriam significationem, quod ad rei substantiam attinet, quam maxime retinendam: superaddens: „*par enim est credere, auctorem in rebus tanti momenti, ex quibus hominum salus aeterna pendet, adhibere voluisse verba intellectu facilia nullisque tenebris involuta, ne lector incautus in errorum praecipitia ducatur.*“ Exemplo statim utitur ex Matth. 26, 28. desumto; unde, quo tendat praemissa observatio, satis superque apparet.

non satis caveri posse crassos errores. Tutissimum sane erit, eiusmodi in universum regulas proponere, quae cum dogmaticis quaestionibus nihil habent commune, et ad diiudicandam tropicam N. T. dictionem viam munire possunt iis, qui sine praeconceptis opinionibus ad s. litterarum interpretationem accedere velint.

Quae ad troporum notionem, species, originem usumque generaliorem spectant, brevius tantum attingere liceat. Otium nobis in hac re fecerunt post Ernestium [15]), Morus [16]), atque Hottingerus [17]). — Omnis vocabulorum significatio aut *propria* est, aut *impropria* vel *tropica*. *Propriam* dicimus illam, ad quam exprimendam verbum primum inventum fuit atque excogitatum. *Tropica* ea est, ad quam denotandam verbum aliquod iam inventum a *propria* significatione invertitur. Τρόποι nimirum sunt inversiones, conversiones. Quodsi itaque de propria impropriave vocabuli cuiusdam et phraseos significatione quaeritur, res sane huc redit: utrum verba et phrases, uti sonant, sint intelligendae, an vero transferendae ad aliam quandam rem, verbis hisce et phrasibus significatam, e. g. utrum in sermone optimi Servatoris Ioan. 4, 10. ὕδωρ ζῶν, aqua viva sit, uti intelligebat aut intelligere sese simulabat mulier Samaritana, aqua, ipso ex fonte hausta (v. 11. 15.), an vero hac voce innuat Iesus aliud quoddam et quale Dei donum, mentem hominis ita recreans atque corroborans, uti aqua ex fonte hausta corpus hominis corroboratur atque recreatur? Unum idemque enim vocabulum, unam eandemque phrasin propria

---

15) Instit. interpr. N. T. P. I. Sect. I. c. II. §. 2 — 13. p. 31 — 38. ed. Ammon.

16) l. sup. cit. p. 260 — 274.

17) l. alleg. p. 206 — 210.

modo, modo impropria significatione adhiberi ab ipso religionis Christianae auctore eiusque discipulis, dubio caret, et quam plurimis N. T. locis confirmatur. Sic, quum Iesus apud Ioan. 11, 9. affirmat: *ἐάν τις περιπατῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ, οὐ προσκόπτει, ὅτι τὸ Φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει*: quis quaeso unquam dubitaverit, per *τὸ Φῶς τοῦ κόσμου τούτου* hoc quidem in loco significari sensu quam maxime proprio solem, mundi huius visibilis lumen? Contra in aliis eiusdem summi doctoris effatis, ubi dicit: *ἐγώ εἰμι τὸ Φῶς τοῦ κόσμου*, 8, 12. coll. 12, 46.; vel fidem luci habendam commendat 12, 36. *ἕως τὸ Φῶς ἔχετε, πιστεύετε εἰς τὸ Φῶς, ἵνα υἱοὶ Φωτὸς γένησθε*: hanc vocem improprie accipiendam, extra omnem controversiam positum est. Similiter, ut ex apostolorum scriptis addamus exemplum, 1 Petr. 2, 24. *τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ* corpus Messiae, quo peccata nostra expiavit cruci affixus, proprio sensu esse capiendum, ex adiunctis patet, cum eadem illa phrasis apud Paulum Eph. 1, 23. ex ipsa, quam subiungit, interpretatione ecclesiam, cuius caput Iesus Christus constitutus fuit, significet; in prioris vero ad Corinthios epistolae loco 10, 16. (coll. v. 17.) disputari possit, disputatumque fuit inter eruditos, utrum haec phrasis sensu proprio, an improprio accipienda sit [18]). Reperiuntur denique in N. T. libris loci, in quibus unum idemque vocabulum proprio simul et improprio sensu

18) De ipso Christi corpore explicant quam plurimi; de societate vero Christiana post ZWINGLIUM (cf. PLANK *Geschichte der Entstehung etc. des protest. Lehrbegriffs. Zweiter Band* p. 263. 264.) ROSENMUELLERUS in Scholiis ad h. l. collato v. 17. et 12, 27. et STOLZIUS *in den Erläuterungen z. N. T. zu d. St.* Qui priorem interpretationem praeferendam censent, recte, ut mihi quidem videtur, provocant ad τὸ *αἷμα* τ. χ. cui τὸ *σῶμα* τ. χ. opponitur. Cf. BENGELIUS in Gnomone ad h. l.

eodem in contextu adhiberi planum est atque perspicuum. Exemplum huius rei praebet locus insignis 1. Thess. 5, 1-8., ubi vocabulum νύξ v. 2. ὡς κλέπτης ἐν νυκτί proprie accipiendum est, similiterque ἡμέρα sensu proprio innuit diem illum, sive statum illud tempus adventus Domini; utraque vox contra v. 6. improprie explicanda, uti ex adiunctis patet: vos autem lucis ac diei participes estis (υἱοὶ φωτὸς καὶ υἱοὶ ἡμέρας) i. e. ad veram vivamque doctrinae Christianae cognitionem perducti (coll. v. 8.), neque ad nos pertinent nox et tenebrae i. e. rerum divinarum inscitia atque ignorantia. De versus septimi sensu dissentiunt interpretes, quum alii haec verba: οἱ γὰρ καθεύδοντες, νυκτὸς καθεύδουσι· καὶ οἱ μεθυσκόμενοι, νυκτὸς μεθύουσιν, proprie capienda et de somno nocturnisque comessationibus intelligenda autument: alii vero e. g. Rosenmuellerus et Koppius ad allegoricam, quae praecedit, sententiam referentes, hoc fere modo interpretentur: „Non est mirum, infideles esse negligentes in recte agendo, vitiisque indulgere; ignorant enim voluntatem Dei de eo, quod agendum et omittendum sit.“ Ego vero haud scio, an rectius utramque interpretationem coniunxerit Desiderius Erasmus in Paraphrasi sensum huius loci ita exprimens: *Nam ut qui iuxta corpus dormiunt nocte dormiunt, et qui vino temulenti sunt, nocte sunt temulenti; ita qui oscitant ac dormitant in vitiis, in animi tenebris versantur, et qui mundi cupiditatibus atque illecebris ebrii sunt, in mentis caligine versantur At nos, quibus illuxit evangelii dies, sobrios ac vigilantes esse decet* etc. [19]). Menti scribentis scilicet in hoc contextu obversata fuisse videtur tum propria tum impropria verborum significatio; unde factum est, ut

19) D. Erasmi Paraphrasis in N. T. ex recensione I. Clerici curavit L. S. F. Augustin Vol. III. (Berol. 1780. 8.) p. 669

utramque coniungeret, quippe arctissime nexam et in hac notionum serie fere inseparabilem.

Generalioribus hisce observationibus praemissis ad ipsam *dictionis tropicae iudicandae* rationem accedimus. Ne autem regularum numero obruamus lectores [20]), ad haec fere praecepta reducere liceat universam super hoc iudicio disquisitionem, ut consideremus primum ipsius rei naturam; deinde scriptionis indolem atque contextum; tum locos parallelos; nec denique negligamus lucis, quam interdum historia affundit, usum.

Et *primum* quidem ipsius *rei naturam* consideremus necesse est, ut planum fiat: utrum, quae de ea enunciantur, proprio sensu, an figurato capienda sint? Hanc regulam interpreti iam scripsit Augustinus [21]), quamvis ad locos praeceptum aliquod continentes restringat exemplo sumto a loco Ioan. 6, 53., quem vero, cum dogmatici sit argumenti, consulto praetermittimus. In controversia eucharistica idem statuit Io. Oecolampadius, alios quosdam Canones superaddens [22]). E re-

---

20) In cumulandis einsmodi praeceptis nimius est Matth. Flacius l. sup. cit. p. 286—290.

21) de doctrina Christiana l. III. c. 10. „Si *praeceptiva locutio* est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficium iubens, *non est figurata.* Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare: *figurata est.* — Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et sanguinem biberitis, non habetis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere; *figurata est erga*, praecipiens, passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa et vulnerata sit.“

22) „Certum habemus canonem, ubi admittendi sint tropi vel non. Neque enim ita exponenda scriptura, ut inconvenientia

centioribus post I. A. Ernestium hoc tradidit praeceptum S. F. N. Morus, adhibitis eam in rem dogmaticis potissimum exemplis [23]). Quam ob caussam alia ratione hanc regulam illustrandam nobis sumsimus, asserentes: comparari inter se debere subiectum, quod dicere solent philosophi, et praedicatum, ut perspiciamus, an de illo affirmari possit, quod statuerit scriptor, si proprio sensu accipiamus, quibus ille usus est, verba et phrases. Quodsi itaque subiectum et praedicatum *diversi* prorsus *generis* fuerint, manifesto apparet, improprie accipienda esse auctoris verba. Cuius rei exempla sat luculenta deprehendimus in phrasibus, quae sequuntur: *ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν* 1. Petr. 1, 13.; *λογικὸν ἄδολον γάλα* 2, 2.; *θώραξ δικαιοσύνης* Eph. 6. 18. coll. Sapient. 7, 14. 1. Thess. 5, 8.; *κέρας σωτηρίας* Luc. 1, 69.; *λίθοι ζῶντες* 1. Petr. 2, 4; *τὰ ὅπλα τοῦ φωτός* Rom. 13, 12., quibus opponuntur ibidem *τὰ ἔργα τοῦ σκότους*. Huc quoque pertinet coniunctio rerum, quae per naturam suam disiunctae censeri debent, e. g. in phrasi: *ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν* Luc. 5, 10. Lucem affundit haec observatio haud paucis N. T. locis, quorum quis verus sit sensus, adhibita hac regula planum fiet atque perspicuum, e. g. quando Paulus apostolus Ananiam, summum populi Iudaici pontificem his verbis alloquitur: *τύπτειν σε μέλλει ὁ θεὸς, τοῖχε κεκονιαμένε·* Act. 23, 3., de Corinthiis statuit

sequantur; quoniam eloquia Dei examinata sunt sicut aurum: — deinde observandum, quid series orationis habeat; — ad haec scripturas cum scripturis conferre oportet, ne sibi pugnent." I. Oecolampadii de genuina verborum domini: hoc est corpus meum: iuxta vetustissimos auctores expositione liber (Basileae 1525. 8.) c. VII.

23) l. sup. alleg. p. 276 seqq.

ἀπελούσασθε — ἐν τῷ πνεύματι τοῦ θεοῦ ἡμῶν 1. Cor. 6, 11.[24]), Ephesiis *πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας* apprecatur; denique auctor Ep. ad Hebr. 12, 29. *Deum* nominat *πῦρ καταναλίσκον*: quae quidem omnia tropice intelligenda esse, liquet.

Deinde ad *scriptionis indolem atque contextum* respiciendum erit interpreti, qui propriam a tropica dictione discernere, hancque iudicare cupiat. Et scriptionis quidem indoles in universum est consideranda. Quodsi enim totus, de quo agitur, liber poëticum referat characterem, tropisque et imaginibus repletus sit, v. c. Apocalypsis, singulorum quoque locorum improprium ut plurimum esse sensum, nemo facile negaverit. In prosaico contra scripto peculiarem aliquem locum universo libri scopo et argumento intime iunctum si deprehenderis, ac quaestio oriatur: sitne proprio an improprio sensu accipiendus: prior sane sententia praeferenda. Qua de caussa locus insignis 2. Petr. 3. 3-13. de mundi visibilis conflagratione videtur interpretandus, reiecta illorum, qui de conversione quadam politica sive morali hic agi autumant, sententia[25]). Minorum vero scripti alicuius sectionum eandem esse rationem, dubio caret. Cum enim, v. g. loci Ioan. 4, 35-38; 6, 34 seq. Rom. 6, 3-11. Eph. 6, 11 seq. imaginibus atque figuris abundent, de singularum, quae ibidem le-

24) Cf. I. I. Griesbach. progr. ad h. l. Ienae 1783.

25) e. g. Hammondi, Wetstenii, aliorum: vid. Camp. Vitringa Observat. Sacr. L. IV. c. XVI. Ioa. guil. Kraft Observ. Sacr. Fascic. VI. Observat. V. p. 197 seqq. cf. quoque Pott. ad h. l. — *Ueber eine bevorstehende Veränderung der Erde, nach 2 Petr. III.* in Henke N. Magaz. etc. *Bd. III. St.* 2. p. 315—364.

guntur, phrasium significatione, propria an impropri dissentire haudquaquam licebit. Nec praetermittend ipsius effati forma. Eiusmodi enim loci, qui ex Orien talium more, gnomes sive sententiae brevis, praegnan tis ac figuratae formam referunt, tropice sunt interpre tandi, e. g. Matth. 7, 6.; Luc. 6, 41-43. coll. v. 39 (*εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς*) et id genus alii. Praecipu autem consulendus *contextus*, videndumque, an in iis qua aut antecedunt aut sequuntur, deprehendantur hae illave improprii sermonis indicia. Sunt autem varia, u quam plurimis N. T. Scriptorum exemplis edocemu Ubi nimirum auctor ipse utitur vocibus, quae apert prodant, instituí aliquam collationem, res per se patet Luc. 12, 35. *Ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, κα οἱ λύχνοι καιόμενοι·* (semper parati sitis) *καὶ ὑμεῖς ὅ μοιοι ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν κ. τ λ.*; 2. Petr. 1, 19. *καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητι κὸν λόγον, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, ὡς λύχνῳ φαί νοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ*, unde et quae sequuntur, phrases *ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖ καρδίαις ὑμῶν*, improprie accipiendas esse, satis super que apparet: transferuntur scilicet ad penitiorem per fectioremque doctrinae divinitus patefactae cognitionem Proxime ab his abesse videntur ii loci, in quibus pro priae atque impropriae loquutiones ita iunguntur, u altera alterius explicationem involvat. Cuius rei unun alterumve exemplum in medium proferre liceat. Cur Iesus Matth. 11, 29. admonens auditores: *ἄρατε τὸ ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς*: superaddit: *καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ* aperte significat, iugum illud, quod in se suscipere de beant, figurato sensu sumendum esse, nilque aliud in dicare, nisi divinae, quam ipse traderet, doctrinae prae cepta; cf. Sirac. 51, 26. *Paulus* apostolus Rom. 6, 21 hac quaestione ad eos, qui aliquando peccatis dedit fuerant, directa: *τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε*; in pe

steriori huius commatis membro simul adiungens: τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος: dubio procul innuit, *fructum* peccatorum hic loci significare illorum *exitum*, sive *mercedem*. Philipp. 3, 2. idem ille scriptor divinus βλέπετε τοὺς κύνας, cavete vobis, inquit, a canibus: quae verba improprie de falsis doctoribus iisdemque impudentibus accipienda esse, aperte docent, quae sequuntur: βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, cavete vobis ab operariis pravis; cf. Apoc. 22, 15. Similiter Iac. 4, 4. alloquium illud: μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, de adulterio proprie sic dicto non esse intelligendum, verum figurate de nimio rerum terrestrium amore interpretandum, non e contextu solum generatim considerato, sed etiam ex iis, quae adduntur, planum fit: οὐκ οἴδατε, ὅτι φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ θεοῦ ἐστιν [26]). — Lucem haud raro quoque voci, de cuius sensu proprio impropriove dubitari possit, foeneratur oppositi huic vocabuli collatio: e. g. Rom. 6, 23. si cum verbis illis: τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος: quae a Theologorum haud paucis proprie intellecta, atque ad mortem sic dictam naturalem relata legimus, oppositam conferas sententiam: τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ, ζωὴ αἰώνιος κ. τ. λ. tropicam potius vocis θάνατος significationem praeferendam, illamque de omnis generis miseria interpretandam esse intelliges. Ea denique, quae in contextu sequuntur, ad gravissimam illam de tropica dictione iudicanda quaestionem magni momenti esse, uno alterove loco probabimus. Dissentiunt interpretes, quid sibi velit vocabulum ἡ ζωὴ αὐτοῦ Luc. 12, 15. utrum scilicet improprie de *felicitate*, an vero proprie de *vita* hominis explicari debeat? Posteriorem interpretationem cum Paulo, Boltenio, aliis praeferendam ego quidem

26) Cf. Grotius et Hottingerus ad h. l.

existimaverim, hac potissimum motus ratione, quod quam immediate sequentem Jesus narrat, parabola de viro divite, per mortem inopinatam abrepto, huic expositioni magis patrocinetur (v. 16.-21.). Simili de caussa Joan. 9, 4. verba: ἕως ἡμέρα ἐστίν· ἔρχεται νὺξ de vitae huius duratione et quae illam sequitur, morte interpretari malim, cum statim superaddat optimus Servator: ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, φῶς εἰμι τοῦ κόσμου: quamdiu inter homines versor (vitam inter eos dego) lumini iis sum (felicitatem ipsorum promoveo).

Tum ad recte iudicandam tropicam dictionem non parum faciunt *loci paralleli*, in quibus eadem illa res aliis verbis phrasibusque, tam propriis, quam figuratis describitur. Exempla hanc in rem protulit Keilius [27]); quae hic repetere nolumus, cum liber in omnium manibus sit. Id unum addere liceat, observandam inprimis esse, quam auctor ipse dederit, verborum suorum interpretationem. Luculentum huius rei exemplum occurrit Joan. 11, 14. ubi Jesus aperte profitetur, Lazarum mortuum esse, adeoque verba illa, quibus antea usus fuerat: (v. 11.) Λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται non de somno proprie sic dicto, sed tropice de morte, quam obierat Lazarus, fuisse accipienda. Nec dissimilis est locus Matth. 16, 6. ὁρᾶτε καὶ προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων. Cuius quidem effati verum sensum discipuli non capiebant putantes, de fermento proprie dicto locutum esse magistrum. At Jesus v. 7 sqq. in memoriam illis revocando, se alio tempore tot hominum millibus cibum praebuisse plus quam sufficientem, perspicue satis docuit, quod et ipsi paullo post intelligebant, fermenti vocabulum non de fermento panis, sed improprio sensu de doctrina Phari-

---

27) *Lehrbuch der Hermeneutik des N. T.* §. 43. not. *e*).

saeorum et Sadducaeorum cavenda esse intelligendum. Quo pertinent, quae ab utroque Evangelista expressis verbis monentur: a *Matthaeo* quidem v. 12.; a *Joanne* autem v. 13., quibus improprius verborum sensus haud parum confirmatur.

Nec negligendum *denique* lucis, quam interdum affundit *historia*, usum statuimus. Commendarunt hanc regulam Morus et Keilius, qui quidem exemplis ex Matth. 10, 34. coll. Luc. 9, 61. Act. 3, 21. 1. Cor. 15, 32. 2. Cor. 8, 9. petitis eam illustrare ac confirmare conati sunt. At vero, cum rarior huius praecepti usus sit in iudicanda tropica N. T. dictione, et locus inprimis vexatissimus 1. Cor. 15, 32. ob monumentorum historicorum defectum dubiae admodum sit interpretationis [quamvis plerique Theophylactum sequantur, qui de certamine cum Judaeis et Demetrio Act. 19, 23 seq. exposuit [28]]: uberiori huius canonis illustratione atque usu nunc quidem supersedemus.

Praeceptis, quae hucusque proposuimus, accurate observatis tropicam N. T. dictionem plerumque non sine successu examinatum et iudicatum iri confidimus. Verum restabunt hinc inde verba et phrases, quorum an proprius impropriusve sit sensus, dubitari adhuc possit. In loco Luc. 17, 34., ubi legimus: ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἔσονται δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς κ. τ. λ., quaeritur, quid per hanc phrasin ταύτῃ τῇ νυκτὶ significetur? Proprie eam explicant e recentioribus quidem interpretibus I. A. Bolten et Paulus (ταύτῃ h. e. τῇ αὐτῇ eadem nocte), improprie autem de tempore calamitoso dictum putant post H. Grotium, Pape et Kuinoel. Loci paralleli Matth. 24. 40. 41. collatione quaestio illa

28) I. G. Rosenmueller historia interpretationis libror. sacror. in eccles. christ. Vol. IV. p. 306. cf. Krause ad h. l.

expediri nequit, nec lucem praebet historia. Attamen prior interpretatio mihi quidem videtur praeferenda ob comma in Lucae evangelio paullo ante praecedens v. 31. ubi verba *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ* dubio procul sensu proprio accipienda sunt. Dubia magis et anceps quaestio est de vocibus *παροικία* 1. Petr. 1, 17. *πάροικοι* et *παρεπίδημοι* 2, 11., utrum his innuatur conditio, qualis tum erat eorum, quibus haec epistola scripta fuit, extra patriam scilicet sedem versantium, an vero conditio hominum Christianorum generalis, qui peregrini quidem in hac vita, cives tamen futuri sint in vita coelesti? Priorem rationem (coll. 1, 1. *ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς*) sequuntur Semlerus, Morus, Pottius ad v. 12. praecipue provocantes [29]); posteriorem Calvinus, Bengelius (qui Psalm. 39, 13. Hebr. 11, 13. conferri iubet), Henslerus, Hottingerus. Quam quidem controversiam ego dirimere non ausim, cum utraque huius phraseos interpretatio cum usu loquendi conveniat, atque contextui non adversetur.

His de indicanda tropica N. T. dictione observatis ad *alteram* quaestionem, quae ad eandem *interpretandam* spectat, progredimur. Haec vero commode posse videtur tribus partibus absolvi. Debet enim explicari, primum, unde petita sit aliqua imago; tum, quid per illam ipsam significari voluerit auctor; denique, quaenam similitudo sit imaginis ac rei [30]).

Et ad *primam* quidem quaestionem quod attinet, planum plerumque satis est ac perspicuum, unde de-

---

29) Conferri quoque meretur, qui hanc sententiam pluribus argumentis defendere studuit I. Crellius in Ethica Christiana p. 189. edit. in 4.

30) Cf. in genere S. F. N. Mori super Hermen. N. T. acroass. acc. ed. Eichstaedt V. 1. p. 300. 306 — 309., ubi exemplis planis et aptis rem illustrat; I. H. Hottingeri opusc. philol. crit. atque hermen. Lips. 1817. p. 245 — 257.

sumta sit comparatio. Iesus nimirum eiusque Apostoli uti solent imaginibus a rebus obviis et cuivis notis, quae derivantur e. g. ab aqua, a vite, a semente, a pane, a sole et id genus aliis; aut certe iis, quarum notitia auditores sive lectores non poterant non esse instructi e. g. athletarum stadio, cursu, continentis, praemiis 1. Cor. 9, 24-27. militum armis atque indumentis Eph. 6, 10 seqq. Facili igitur negotio N. T. interpres demonstrare poterit, unde quae instituitur comparatio sit ducta. Nec morari necesse est molestam antiquiorum quorundam interpretum sedulitatem, qui ad remotissimas fere atque ex intimis antiquitatum recessibus, depromtas imagines confugere, quam subsidere in rebus notis, et, ut ita dicam, paratis uti mallent. At vero negari nequit, esse in ipsis N. T. libris hic illic locos, ubi dubium videri possit, qualis sit illa, quam respexerit effati alicuius auctor, imago. Cuius rei exemplum sat luculentum videre est in loco notissimo Luc. 1, 69. ubi generis humani redemtor appellatur *κέρας τῆς σωτηρίας* cornu salutis (קרן ישועה Psalm. 18, 3. 2. Sam. 22, 3.). Qua quidem denominatione indicari Sospitatorem, maxima potentia instructum, dubio caret. Quaeritur autem, utrum actus divino spiritu vates hac phrasi utens respexerit ad eminentias et ansas altaris, quod Fischerus statuit [31]); sive ad galeam, quae incolumitatem praestet, ita quasi caput muniat, ut de ictibus hostium nihil sit metuendum: quam quidem sententiam post Christ. Bruenningsium inprimis ornavit et vindicare studuit I. A. Noesselt [32]),

---

31) Prolus. de vitiis lexicorum N. T. p. 214 seqq. et Animadvers. ad Leusdenium de Hebraismis N. T. p. 40.

32) Chr. Bruennings diss. de Cornu salutis 1743. et in Comp. Antiqq. graecar. c. VIII. pag. 5. n. 1. pag. 110. Noesselt

vir immortalis; an petita sit haec imago ab animalibus cornugeris, quae praecipuum robur cornibus adhibendis exserunt. Quod post interpretum veterum et recentiorum plerosque nuperrime defendit A. L. VAN DER BOON MESCH [33]), et ego, etsi hanc controversiam inter viros doctissimos agitatam dirimere non ausim, hanc sententiam utpote faciliorem et usui loquendi Hebraeis proprio quam maxime congruam (videsis Psalm. 89, 18; 148, 14. Sirac. 47, 5-7. et praecipue 1. Sam. 2, 10. ubi de *rege* adhibetur), caeteris praeferendam existimaverim. Haud absimilis videtur mota circa imaginem ab eodem vate v. 78. adhibitam quaestio, ubi de Messia affirmat: *ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ᾽ ὕψους*, quam quidem comparationem a surculo ex arboris radice propullulante (cf. Zach. 6, 12. LXX. *ἀνατολὴ ὄνομα αὐτοῦ*) depromtam indicarunt ex eruditis haud pauci; ab ortu solis contra derivandam et adiuncta *ἐξ᾽ ὕψους* (Psalm. 73, 9.) atque *ἐπιφᾶναι* (Act. 27, 20.) demonstrant, et universa huius loci series planum facit [34]).

Intricata magis et difficilior ad decidendum *secunda* videtur disquisitio: quid per tropicam eiusmodi dictionem significetur, s. qua ratione auctor eam voluerit intelligi? Dubium id quidem videri nequit, si *ex ipsa loquentis sive scribentis explicatione*, quae fuerit ipsius mens, pateat. Hoc haud raro expressis verbis fieri,

---

Opuscul. ad interpretat. sacrar. scripturarum Fasc. I. pag. 33 seqq.

33) Commentatio de hymno Zachariae Luc. I, 69—79. (Lugd. Batav. 1818. 4.) p. 11. 12.

34) Cf. quae post alios monuit v. D. BOON MESCH l. c. pag. 23. 24.

notum est; cuius rei praeter locos iam alibi [35]) prolatos Matth. 11, 29. Philipp. 3, 2. Jac. 4, 4. Joan. 9, 4. unum alterumve dabimus exemplum. Quum Jesus Matth. 23, 27. Scribas et Pharisaeos comparat sepulcris dealbatis extrinsecus quidem speciosis, intus vero cadaverum ossibus et omni sordis genere repletis, statim ipse huius similitudinis explicationem addit: οὕτω καὶ ὑμεῖς ἔξωθεν μὲν φαίνεσθε κ. τ. λ. v. 28. innuens, externam illos quidem prae se ferre probitatis ac virtutis speciem, ipsorum mentem vero plenam esse simulationis et improbitatis [36]). Similiter Paulus apostolus in oratione valedictoria ad ecclesiae Ephesinae antistites habita Act. 20, 28. 29. propriis modo, modo figuratis dictionibus utens satis superque declarat, per gregem, cui ut illi prospiciant, monet, innui τὴν ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου, coetum Christianorum, adeoque illud ποιμαίνειν idem esse ac regere, dirigere, salutem eius curare. Et λύκοι illi βαρεῖς, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου ex ipsius apostoli interpretatione v. 30. falsi sunt doctores, vana proferentes in medium. Denique, ut allegoriae quoque proferamus exemplum, idem ille apostolus Eph. 6, 13–17. ubi ad fortitudinem et constantiam hortatur lectores, per partes eundo singula τῆς πανοπλίας τοῦ θεοῦ membra ita interpretatur, ut cuivis armorum telorumve generi respondeat aliquis mentis vere christianae habitus et adminiculum aliquod ad repellenda, quae fidei ac virtuti hominum christianorum interitum minari videantur. Cf. 1. Thess. 5, 8. [37]). Verum enim vero, desideratur aliquando eiusmodi figurati sermonis interpre-

35) Proluss. I. p. 20. 21. 23.

36) Eiusdem fere generis sunt loci Marc. 2, 17. coll. Luc. 5, 21. (Mori Acroases l. c. p. 307.) Luc. 6, 43. 44. coll. 45. Luc. 21, 35. cf. 34 fin.

37) Mori Acroases l. c. p. 307. 308.

tatio ab auctore addita eaque perspicua. Tunc ex iis, quae per oppositionem dicta sunt, intelligi licebit, quid sibi velint adhibitae imagines. Sic apud Matth. 7, 9. quid per lapidem loco panis, ac serpentem pro pisce datum innuerit optimus Servator, expressis verbis haud edocemur. Verum cum v. 11. panem illum ac piscem exponit ipse per δόματα ἀγαθά, dona utilia et salutifera, inde licet concludi, vi oppositionis per lapidem et serpentem significari res doni loco oblatas, eas autem nullius utilitatis, imo noxias ac perniciosas. Si vero neque perspicue neque obscurius addita est imaginis interpretatio, ad *contextum*, quem vocare solent, attendat interpres necesse est. Additur nimirum hic illic observatio quaedam scriptoris ad illustranda illius, quem introducit loquentem, verba faciens. Cuius rei exemplum praebet Joan. 7, 38. 39. ubi fluvios aquae, de corpore credentis in Jesum defluentes, explicat ipse Evangelista de Spiritus sancti donis, in uberiori penitorique doctrinae christianae cognitione conspicuis 38). Concluditur simul genuinus figuratae dictionis sensus ex iis, quae antecedunt obscuram eiusmodi phrasin aut sequuntur. Ex antecedentibus id planum haud raro fieri, hisce et similibus exemplis edocemur. Legenti effatum I. C. apud Matth. 7, 3. 4. statim in mentem venit quaestio: quid intelligendum sit per τὸ κάρφος (festucam) in oculo fratris et τὴν δοκόν (trabem) in oculo proprio? Non est addita his imaginibus explicatio. Quod si autem conferamus, quae occurrunt v. 1. 2. perpendamusque consilium divini doctoris eo nimirum tendens, ut iudiciorum de aliis temeritatem ac severitatem fugiamus, incurrit sane in oculos, τὸ κάρ-

38) Cf. I. A. Noesselt disputatio ad h. l. in Opusculis ad Interpretat. Sacr. script. fascicul. I. n. III. pag. 56 seqq. praes. p. 66. ed. 2.

φος dici de parvis aliorum, τὴν δοκόν vero de magnis admodum nostris ipsorum naevis. Simili fere ratione, si tropicam illam Iesu Christi sententiam. Luc. 9, 62. οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τ. χεῖρα αὐτοῦ κ. τ. λ. attentius considerantes, responsum ea dari cogitemus ad petitionem v. 61. propositam: ἐπίτρεψον κ. τ. λ. permitte ut prius valedicam (s. mandata iniungam) domesticis meis; planum fit, per eum, qui manu aratro admota, retrospicit, significari hominem, qui dum ad maiora tendere deberet, minoribus et ad rem haudquaquam facientibus distrahi sese patiatur. Ex iis, quae sequuntur, tropicae dictionis sensum intelligi posse, itidem exemplo ut nobis quidem videtur sat luculento illustrabimus. Quando v. c. Matth. 9, 38. Jesus discipulos adhortatur, expetant a domino messis ut operarios emittat in messem (θερισμόν) suam; eo ipso, quod statim vocatis ad se ex illorum numero duodecim primariis, illos ablegat ad praedicandam doctrinam de regno dei etc. 10, 1. 7. ostendit, per messem illam se intelligere huius doctrinae propagationem; per operarios autem eos, qui saluberrimo huic officio vitam viresque dioare essent parati. Extant autem hic illic in N. T. libis loci, ad quos illustrandos nil additum reperimus, et tunc certe explicatio singulorum troporum difficilior est magisque perplexa. In memorabili Joannis baptistae effato Matth. 3, 12. ubi de venturo, quem nunciabat, Messia: οὗ τὸ πτύον inquit ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ κ. τ. λ. per τὸν σῖτον significari homines probos et obsequentes, per τὸ ἄχυρον vero improbos, leves ac immorigeros, dubio quidem caret. Nec obscurum esse potest, quid innuatur per concremationem πυρὶ ἀσβέστῳ perficiendam, gravissimas nimirum, qui hosce manent, poenas ab ipso Messia infligendas [39]. Si vero quaesieris: quid sig-

39) Schott Opuscula exegetica critica dogmatica T. II. p. 199.

nificetur per ἅλωνα aream, ad quam purgandam praesto sit, vel per τὴν ἀποθήκην, granarium illud, quo triticum sit colligendum: responsio haud ita plana ac facilis est. Areae nomine h. l. describi regionem ac gentem iudaicam [40]), veri simillimum videtur statuere, si comparaveris locos haud absimiles Jes. 21, 10; 25, 10. Per τὴν ἀποθήκην equidem intellexerim coetum s. societatem cultorum Messiae respectu simul habito conditionis eorum felicissimae ἐν τῇ βασιλείᾳ τ. οὐρ. exspectandae [41]). Eadem fere ratio est loci Hebr. 6, 7. 8. ubi de terra pluviam delabentem imbibente herbamque utilem cultoribus gignente asserit auctor, contingere illi divinam benedictionem; ea contra, quae spinas tribulosque profert, tanquam inutilis describitur et quae a divina maledictione prope absit ac tandem comburenda. Venusta hac imagine describi conditionem diversam eorum hominum, qui doctrinae christianae copiam nacti vel bene vel male tam insigni beneficio utantur, et per se facile patet, et ex commatum sequentium 9. et 10. argumento colligitur [42]); quodsi autem subtilius interpretari velis hunc locum ac quaerere, quid intelligendum sit per pluviam, fruges opportunas, spinas tribulosque etc. terrae infrugiferae combustionem, id quidem aliquo modo deduci potest in apricum, caveas tamen, ne nimis arguteris in harum imaginum applicatione. Fruges opportunae bonas indicant hominis pii ac probi actiones s. virtutem et bona opera [43]); spinae

40) Ita Iahnius quoque exposuit in Bengel's *Archiv für die Theologie etc.* Bd. II. S. 83.

41) Io. Malchioris Opera omnia T. I. p. 278.

42) Dindorf ad I. A. Ernesti lectiones academ. in ep. ad Hebraeos p. 477.

43) Selecta e scholis L. C. Valckenaerii in libros quosdam N. T. T. II. (Amstelod. 1817. 8.) p. 502.

ac tribuli actiones indicant pravas, inutiles imo noxias; et universus huius loci sensus huc fere redit: hominem christianum, qui religione sua bene utatur, magnos facere in ea progressus; quodsi autem non tulerit fruges, in peius ipsum ruere, et ad extremum certissime periturum esse [44]. Nec negligendam denique censemus in tropis interpretandis *locorum similium comparationem*. Exstant nimirum loci, qui revera pro parallelis habendi sint, et haud parum faciant ad illustrandas imagines e. g. in effato J. C. apud Matth. 6, 22. 23. quid per *ὀφθαλμόν*, qui est *ὁ λύχνος τοῦ σώματος* indigitetur, expressis verbis dictum non deprehendimus. At vero locus parallelus Luc. 11, 34. 35. per addita ad explicationem verba *τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ lumen quod tibi inest*, planum facit, intelligendam esse hominis rationem et in specie sensum recti, veri et boni, mentibus nostris ab ipso Deo immissum [45]. Verum sunt et alius generis loci, qui quamvis strictiori sensu paralleli haberi nequeant, ad illustrationem troporum aliquo modo adhiberi tamen posse videantur. Sic e. g. imprecationi a Paulo adversus summum pontificem dictae: *τύπτειν σε μέλλει ὁ θεός, τοῖχε κεκονιαμένε*· i. e. tundet (s. puniet) te Deus, *paries dealbate* Act. 23, 3. lucem foeneratur locus supra iam allegatus Matth. 23, 37., ubi Pharisaeorum sectam optimus Servator comparat *sepulchris dealbatis*; unde patet, eandem huic imagini subesse notionem pessimi scilicet

---

44) Ernesti l. c. p. 486.

45) Sic Marc. 10, 38. 39. per poculum (τὸ ποτήριον) quod ebibendum et per immersionem (l. βάπτισμα) quae subeunda sit discipulis suis Jacobo atque Joanni, innui perferendas ipsis calamitates, locorum similium Matth. 26, 39. Ioan. 18, 11. Luc. 12, 50. comparatione abunde confirmatur.

simulatoris [46]). Nec minus singularum, quibus I. Chr. in parabola elegantissima Ioan. 15, 1 seqq. usus est, imaginum verum sensum erui posse instituta cum locis N. T. similibus comparatione, docuit Noesseltus loco infra citato [47]), quo ablegasse lectores sufficiat. —

Devenimus nunc ad *tertiam* disquisitionis institutae partem: in quo nimirum sita sit signum inter et rem significatam similitudo (tertium sic dictum comparationis). Quanti intersit, accurate versari in tractanda gravissima hac quaestione, iam vidit Isidorus Pelusiota, seculi *quinti* scriptor, qui epistolarum IV. 137. ad locum Matth. 10, 16. observat: exempla non universe capienda esse, alioquin, inquit, non essent exempla sed res eaedem [48]). Addi posse et alias similitudines, a contextu et scopo haud abhorrentes equidem haud negaverim; in his vero conquirendis *parce* ac caute versandum. Illa autem, quam modo memoravimus, institutae comparationis indoles praecipua et ratio perspicitur *primum* ex ipsa loquentis vel scribentis interpretatione. Quum Jesus apud Joan. 6, 35: „ego sum, inquit, panis vitae;" addita simul hac explicatione: *ὁ ἐρχόμενος πρός με, οὐ μὴ πεινάσῃ, καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε*: perspicue satis innuit se esse eum, qui omnibus humanae mentis necessitatibus prospiciat, ita ut quicunque se fuerit fide et obse-

46) Selecta e scholis L. C. Valckenaerii in libros quosd. N. T. I. pag. 589. Riehm de fontibus actuum apostolicor. p. 88.

47) Opuscul. ad interpret. sacr. scriptur. fasc. II. p. 31 seqq.

48) τὰ παραδείγματα οὐχ ἅπαντα λαμβάνεται (quod nos diceremus: non ultra tertium comparationis sunt extendendae), ἐπεὶ οὐκ ἂν εἴη παραδείγματα, ἀλλὰ ταυτότης. Cf. I G. Rosenmuelleri hist. interpretat. libb. ss. in eccl. christ. P. IV. p. 191.

quio prosecutus, nunquam cariturus sit vera felicitate, imo omnibus salutis verae praesidiis abunde gavisurus, alia nulla unquam quaesiturus [49]). Similitudinis igitur cardo versatur in vi panis, nutriendi hominem, conservandi eius vitam, fulciendi labantes ipsius vires. Si Paulum apostolum 1. Thess. 5, 2. legimus scribentem: diem reditus Domini venturum ὡς κλέπτης ἐν νυκτί furis instar nocturni: verba quae sequuntur: ὅταν λέγωσιν· εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια· τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, aperte significant, repente ac inopinato nil tale cogitantibus superventurum hunc diem, sicuti fur nocturnus illabitur in aedes eorum, qui secure dormiunt, nil mali augurantes. Cf. loci, qui hanc interpretationem mire confirmant Matth. 24, 43. Luc. 12, 39. *Deinde* ex sermonis serie idem poterit deduci atque illustrari. Cum e. g. Petrus apostolus in epistola priori 4, 12. loquitur de πυρώσει aestu calamitatum animi explorandi caussa (πρὸς πειρασμόν) immisso, illumque explicat tum in genere, quod venerint in societatem τῶν τοῦ χριστοῦ παθημάτων. v. 13. tum in specie, quod propter doctrinae christianae professionem convitiis proscindantur v. 14. ex adiunctis patet: tertium sic dictum comparationis situm esse in sensu affectionum molestarum, quibus premuntur et ii, quorum corpora aestus vexat, et ii, quorum mentes affliguntur contumelia. *Denique* locorum parallelorum collatione idem illud poterit illustrari. Quando v. c. Jesus in allocutione ad comitantes ipsum mulieres Luc. 23, 31. tristissima urbis Hierosolymorum quoque incolarum fata praenuntians addit: ὅτι εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται; per arborem viridem intelligi debere ipsum innocentem ac qui salutem afferret

49) Schott Opusc. I, 159.

hominibus; per arborem vero aridam inprobum quemcunque aliis nocivum, facile patet ex locorum Ezech. 20, 47. et 21, 3. comparatione, coll. quoad sensum 1. Petr. 4, 17. Accuratius autem si inspicias Ezechielis locum, quanam in re inter arbores hominesque similitudo sit quaerenda, dubium esse non potest: in utriusque nimirum conditione bona vel prava, quippe quae sit in caussa, quod nullo modo parcendum existimemus arbori aridae ac infrugiferae, homini nullius pretii, imo nocivi et ipsi perniciei qui iamiam sit tradendus.

Adhibitis rite hisce subsidiis plerumque in apricum deduci poterit vera dictionis tropicae origo, recta ipsius significatio et quae signum inter ac rem significatam intercedat, similitudo. Reperiuntur autem hic illic in N. T. locutiones tropicae, quae diverso modo explicari possint, uti e. g. videre est in loco vexatissimo Marc. 9, 40. 50.[50]). Nec ubivis primo quidem intuitu vera institutae comparationis caussa incurrit in oculos, sed curatiori eget indagatione. Exemplum sumamus ex Jacobi epistola, 1, 18., ubi haec habentur: Ille (Deus) pro consilio benevolo nos verae doctrinae ope genuit *εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων*. A rebus sacris primitiarum imaginem ductam esse[51]), quippe quae solenni modo Deo consecrari atque offerri solerent, consentiunt fere interpretes. Sed dissentiunt in eo, utrum referenda sit similitudo *τῆς ἀπαρχῆς* ad *praestantiam* eorum, qui per doctrinam christianam fuerint emendati, hoc modo: ita ut hominum essemus praecipui: an vero instituta comparatio inde sit derivanda, quod primitiae primae fuerint fru-

50) Schott Opuscula II. 3 seqq.

51) L. v. Voorst animadversiones de usu verborum cum praepositionibus compositorum in N. T. Spec. I. 74.